COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM.

XIX.

PATRES QUARTI ECCLESIÆ SÆCULI.

EUSEBIUS.

II.

PROSTAT INSUPER VENALE

LUGDUNI,

APUD **RUSAND**, BIBLIOPOLAM;

MONTIS PESSULANI,

APUD **VIRENQUE**, BIBLIOPOLAM;

PARISIIS,

APUD **GAUME** FRATRES, BIBLIOPOLAS;

ROMÆ,

APUD **MERLE**, BIBLIOPOLAM.

PARISIIS, E TYPOGRAPHEO COSSON,
VIA VULGO DICTA SAINT-GERMAIN-DES PRÉS, N° 9.

COLLECTIO

SELECTA

SS. ECCLESIÆ PATRUM,

COMPLECTENS

EXQUISITISSIMA OPERA

TUM DOGMATICA ET MORALIA, TUM APOLOGETICA ET ORATORIA;

ACCURANTIBUS

D. A. B. CAILLAU,

MISSIONUM GALLICARUM PRESBYTERO,

NONNULLISQUE CLERI GALLICANI PRESBYTERIS,

UNA CUM

D. M. N. S. GUILLON,

IN FACULTATE THEOLOGIÆ PARISIENSI ELOQUENTIÆ SACRÆ PROFESSORE,
PRÆDICATORE REGIO, AUCTORE LIBRI CUI TITULUS GALLICE:
BIBLIOTHÈQUE CHOISIE DES PÈRES GRECS ET LATINS.

OPUS REGI DICATUM.

TOMUS DECIMUS NONUS.

PARISIIS,

APUD MÉQUIGNON-HAVARD, EDITOREM,

VIA VULGO DICTA DES SAINT-PÈRES,

BRUXELLIS, APUD EUMDEM.

PARISIIS, APUD A. POILLEUX, BIBLIOPOLAM,

VIA VULGO DICTA DU CIMETIÈRE-S.-ANDRÉ-DES-ARCS.

M. DCCC. XXX.

EUSEBII PAMPHILI,

CÆSARIENSIS EPISCOPI,

PRÆPARATIONIS EVANGELICÆ

PARS PRIOR

USQUE AD LIBRUM XI.

EUSEBII PAMPHILI

CÆSAREÆ PALÆSTINÆ EPISCOPI,

PRÆPARATIONIS EVANGELICÆ

LIBRI QUINDECIM.

(INTERP. FRANC. VIGERO ROTOMAGENSI, SOC. JESU PRESBYT.)

LIBER PRIMUS[1].

CAPUT PRIMUM.

Quid illud sit, quod evangelicæ materiæ ratio pollicetur.

Cogitanti mihi Christianæ Religionis institutum, hoc opere, quod veritatis Evangelicæ demonstrationem pollicetur, illius ignaros edocere; idem tibi, qui sacrum Episcoporum decus et ornamentum es, Theodote sanctissime Deoque carissime, adjunctis etiam precibus consecrare visum est. Qua quidem in re hoc sequutus sum, ut opis abs te aliquid impetrarem, quippe qui sacrificiis tuis divino amore succensis hoc abs me susceptum Evangelicæ doctrinæ argumentum summopere promovebis. Sed enim, quid illud sibi

[1] Vide D. Guillon, tom. v, pag. 133.

velit, quod Evangelium appellamus, diligenter in primis enucleare juvat. Est igitur Evangelium, quod faustam cœlestium maximorumque bonorum præsentiam humani generis universitati annuntiat; quæ cum prædicta jam olim fuissent, tum vero novissime omnibus illuxerunt. Illud porro nec cæcarum opum, nec vitæ hujus brevissimæ ac miserrimæ copiam facit, nec ullius omnino rei, quæ cum corpore sit et corruptione conjuncta : sed earum duntaxat, quæ cum animis intelligente natura præditis necessitudinem ac societatem iniere; a quibus ea, quæ corporis propria sunt, ita pendent, ut eas etiam instar umbræ consequantur. Caput autem horum omnium pietas est, non jam ista, quæ nomen ementita suum infinitis erroribus implicatur; sed ejusmodi, quæ hanc sibi appellationem suffragante veritate defendit. Hæc illa est, quæ cum sensus nostros ad eum, quem unum ac solum, uti vere est, omnia Deum confitentur, erigit; tum vitæ nostræ rationes ex ipsius quoque voluntate moderatur. Ex hoc autem vitæ genere nascitur hominis cum Deo amicitia, cui ter ille felix, et singulari Dei benevolentia constitutus finis comitatur, qui cum cœlitus ex rerum immortalium connexione aptus est, tum ad earum exemplum ac similitudinem regitur, atque in iis postremo acquiescit. Quid vero felici hac et divitiis omnibus circumfluente Dei amicitia beatius cogitari possit? Non ille vitæ, lucis, veritatis, bonorumque omnium quæstor veluti ac dispensator est? Non quamobrem omnia sint atque vivant, causam in se ipse complectitur? Qui ergo semel divinæ hujus amicitiæ munere ornatus sit, quid tandem is ultra desideret? Quid, inquam, ei desit, qui bonorum auctorem omnium sibi devinctum habuerit? Cujus denique rei laboret inopia, qui magnum illum Præsidem, ac præpotentem hujus universitatis Moderatorem in patris ac tutoris locum obtinuerit? Nihil profecto dici potest, quo ad

summam cumulatamque tum animi, tam corporis, externorumque bonorum felicitatem indigeat, qui propius ad Regem universorum Deum vi charitatis accesserit, quique ab eo fuerit beatissimi amoris gratiam, pietatis hujus, scientiæ ac sapientiæ conciliatricis, merito consecutus. Hanc igitur adeo lætam ac salutarem hominum cum Deo necessitudinem, missus ad nos cœlitus ex Deo summe bono Deus Verbum, sic tanquam splendor aliquis immensi luminis, cunctis hominibus feliciter annuntiat. Is non ex uno alterove loco, sed ex omnibus orbis universi nationibus homines ad rerum omnium Deum vehementer invitat, Græcosque pariter ac Barbaros, viros simul, fœminas, ac puerulos; inopes æque ac divites, sapientes et idiotas, ut properare, oblatumque munus omni cum animorum alacritate ac studio suscipere velint, extimulat : ac ne ipsum quidem servile genus ab ejusmodi societate vocationis excludit. Quippe qui enim una eademque omnes substantia naturaque procreavit, omnium parens, is jure omnes pariter in unius æqualisque munificentiæ communionem ascivit, notitiam amoremque sui cum iis omnibus prolixe communicans, qui morem vocanti gerere, gratiæque suæ beneficium libenter accipere complectique voluerint. Hanc itaque Christus erga Patrem suum charitatem oratione sua toti passim orbi prædicatum venit. « Deus enim erat in Christo seipsum mundo » concilians, nec imputans eis peccata sua[1], » quemadmodum litteræ divinæ docent. « Cum venisset, *inquit*, evan» gelizavit pacem iis, qui procul erant, et pacem, iis qui » prope[2]. » Atque hæc ipsa mundo pridem universo Hebræorum aliqui divino afflati Spiritu oracula cecinere. Et eorum quidem unus magna voce pronuntiat : « Reminis» centur et convertentur ad Dominum omnes fines terræ, » et adorabunt eum omnes patriæ gentium[3]. » Et rursus :

[1] 2 Cor. v, 19. — [2] Isai. LVII, 19. — [3] Psalm. XXI, 28.

« Dicite in gentibus, quoniam Dominus regnavit : etenim » correxit orbem terræ, qui non commovebitur [1]. » Alius vero sic loquitur : « Conspicuus erit Dominus in ipsis, et » funditus exterminabit omnes deos nationum terræ, ip- » sumque adorabunt singuli ex loco suo [2]. » Hæc nimirum illa sunt, quæ jam usque ab ultima sæculorum memoria divinis oraculis mandata cum essent, Jesu Christi Servatoris nostri doctrinæ beneficio nostris aliquando temporibus extitere. Ac merito sane Verbum illud, quod nuper ad nos e cœlo delapsum est, hanc tot pridem vocibus prædicatam, et ab iis saltem, qui in hujusmodi rebus non hospites penitus ac peregrini erant, expectatam, per omnes populos Dei notitiam annuntiavit, ut priscorum illorum voces consentiente operum ipsorum exitu comprobaret.

Verumenimvero, quorsum nimis incitato animi gestientis impetu congruentem intermediæ disputationis ordinem, et consequentiam occupamus, cum rem a capite arcessere, ac quæque nobis incommodare possunt omnia summoveri prius refelli oporteat? Nam cum hoc nonnulli persuasum habeant, disciplinæ christianæ professionem nulla posse ratione defendi, sed qui nomen illud amplectantur, eos quod semel visum fuerit, inconsiderata fide, negligentique ac temeraria quadam assensione comprobare; adeóque asseverent, qui sese ad hoc institutum aggregarint, evidens certumque argumentum habere nullum, quo rerum quæ promittuntur veritatem demonstrent, verum ad unam tantummodo fidem adhærescere velle, eosdemque propter istam nullo judicii nulloque rationis examine attentatam exploratamque fidem, fideles vulgo nominari : jure sane ac merito facturus mihi operæ pretium videor, si cum ad hoc Evangelicæ demonstrationis opus aggrediar, pauca sternendæ ac præmuniendæ ad universam hanc disputationem viæ gratia de rebus iis ante definiam,

[1] Psalm. xcv, 10. — [2] Soph. II, 11.

de quibus tum Græci, tum qui circumcisionem profitentur, aut si qui præterea diligentius propiusque res nostras inspicere ac scrutari velint, justam nobis quæstionem movere posse videantur. Etenim sic existimo, nostrum hunc sermonem ad perfectiorem Demonstrationis Evangelicæ doctrinam, graviorumque dogmatum intelligentiam ita demum convenienti ordine processurum, si quæ ad præparationem illam pertinent, viam nobis aperuerint, quippe quæ primorum elementorum ac facilioris introductionis loco futura sint, magisque ad earum gentium, quæ nuper ad nos accessere, captum accommodata. Deinde vero, simul atque hujusmodi rudimenta superarint, habitumque mentis ad majora capienda probe compararint, exquisitam ipsis eorum cognitionem trademus, quæ ad perfectissimæ cæteraque omnia complexæ Jesu Christi servatoris ac Domini Deique nostri œconomiæ mysteria pertinebunt. Hanc igitur Præparationem ab iis auspicemur, quæ tam a Græcis, quam a Judæis ac reliquis omnibus, qui subtilius in mores institutumque nostrum inquirunt, commemorari possent.

CAPUT SECUNDUM.

Quænam vulgo nobis, qui res nostras criminantur, objicere soleant.

Ac primum quidem non sine causa quæsierit ex nobis quispiam, quidnam hominum simus, qui ad hoc scribendi genus accedamus: Græcine an Barbari? aut quid inter utrosque medium esse queat? quales porro nos esse profiteamur, non utique nomine, quod jam apud omnes vulgatum est,

sed morum vitæque rationibus? Quippe se neque Græcorum apud nos ritus, neque Barbarorum sectam ullam intueri. Quid ergo novi professio nostra sit? aut quænam hæc nupera vivendi norma? Deinde vero, quis nos et summe impios esse, et Divinitatem funditus sustulisse neget, qui mores patrios deseruerimus, quorum observantia nullus non populus, non civitas ante nulla continebatur? Præterea, quid hominibus illis ad spem illius boni ostendatur, qui tutelaribus Diis bellum denuntiarint, quosque tot beneficiorum auctores habent, repudiarint? Nam quid ab iis aliud fieri, quam cum diis ipsis pugnari dicas? Qua porro venia dignos fore, qui cum ab eorum cultu defecerint, quos ab omnis ævi memoria tam Græci, quam Barbari passim universi, tam in urbibus quam in agris, omni sacrorum, religionum, ac mysteriorum genere, communique Regum omnium, Legum-latorum, ac philosophorum approbatione deos celebrarunt; tum vero quidquid inter homines impium, ac diis invisum erat, ultro delegerint? Quibus autem ii jure non subjiciantur pœnis, qui patriorum sacrorum desertores, peregrinas et omnium traductas vocibus Judæorum fabulas æmulentur? Quis item hoc summæ cujusdam improbitatis ac temeritatis esse non videat, amicorum necessariorumque mores atque ritus inconsiderate ac leviter abjicere, ac sese futili quadam nulloque examine probata fide ad hominum impiorum, populosque omnes hostili prosequentium odio sectam adjungere? Imo, ne Deum quidem ipsum a Judæis cultum more institutoque Judæorum venerari: sed novam ac desertam quamdam, ubi nullum aut Græcorum, aut Barbarorum vestigium appareat, semitam insistere?

Atque hæc Græcorum forte quispiam, qui nihil usquam veri de suis nostrisve rebus ac rationibus intellexerit, nobis verisimiliter objiciat. Hebræi vero contra succenseant,

quod externi et alienigenæ cum simus, eorum tamen libris nihil ad nos utique pertinentibus abutamur, quodque nos ipsos inverecunde (ut ipsi loquentur) et impudenter intrudentes, domesticos et indigenas patriis religionibus per vim exturbare conemur. Enimvero, sive Christus aliquis divinitus olim prænuntiatus habeatur, et Judæis certe Prophetas illos fuisse, qui adventum ejus prædixere, qui simul ipsum Judæis, non autem populis alienigenis Redemptorem esse Regemque venturum cecinere : sive alia quædam lætiora sacræ litteræ contineant, ea quoque Judæis pronuntiata esse, adeoque minus juste nos facere, qui perperam eadem et alieno plane sensu capiamus. Illud etiam perabsurdum esse, quod eas quidem reprehensiones, quibus nationis hujus delicta coarguuntur, cupide admodum avideque arripiamus; quæ vero promissa divinitus ei bona sunt, omnino reticeamus, vel potius extorta per vim in nos ipsos transferamus : quod sane palam et cum aliorum injuria suæ cupiditati servire, ac seipsum in errorem et fraudem inducere est. Denique, hoc ab omni ratione maxime alienum esse, quod cum ne illa quidem, quæ Judæorum legibus constituta sunt, eodem ritu servemus, sed in omnium oculis adversum ea delinquamus; promissa tamen iis qui legibus obtemperant optima quæque nobis præmia vendicemus.

CAPUT TERTIUM.

Non temere susceptam a nobis esse salutaris doctrinæ veritatem.

Adductis in medium iis, de quibus dubitari cum aliqua probabilitate possit, age jam, implorato hujus universitatis

Dei per Servatorem nostrum ipsius Verbum, tanquam per summum Pontificem, auxilio; quod primum nobis objectum est ita purgemus, ut eos ante omnia calumniari demonstremus, qui nihil a nobis certo posse argumento confirmari, sed fidei cuidam ab omnibus rationibus imparatæ addictos nos esse affixosque, pronuntiant. Neque vero commentum istuc longius repetitis probationibus, sed e re nata ductis redarguemus; partim videlicet eo demonstrationum genere, quo apud illos utimur, qui percipiendæ sermonum eorum quos de rebus nostris instituimus doctrinæ gratia conveniunt: partim ex responsis, quibus in quæstionibus ex subtiliori Logicorum arte discussis adversariorum argumenta refellimus; partim denique ex disputationibus illis, quas tanquam nobis honorificas, tam scripto quam sine scripto, sive privatim cum singulis qui nos interrogant sive publice ad populum ultro habere consuevimus. Quibus merito sane libri, quos præ manibus habemus, addi possunt, utpote qui universum Evangelicæ demonstrationis opus comprehendant. Sic enim manantem ex Deo gratiam, ac cœlestis munificentiæ vim, tanquam felix nuncius, universo hominum generi susceptus a nobis sermo declarat, ut illam quoque Jesu Christi Dei Filii Servatoris Dominique nostri œconomiam subtiliore plurimorum et illustrissimorum argumentorum demonstratione confirmet. Ac permulti quidem ante nos in alio sæpe disputandi genere studiosius elaborarunt; seu scriptis voluminibus adversariorum nostrorum objectiones confutarent, seu commentariis quibusdam et tractatibus sigillatim in certa membra digestis, inspiratas divinitus sacrasque litteras diligenter explanarent, seu denique fidei nostræ dogmata vehementiori contentione defenderent. Hujusmodi tamen quasi proprium ac singulare argumentum a nobis cum animi voluptate tractatur. Quamquam omnium sane princeps Paulus ille

sacer Apostolus, repudiatis fallacibus ac fucatam probabilitatis speciem ostendentibus conclusiunculis, certas et ab omni ambiguitate vacuas demonstrationes adhibens, sic alicubi loquitur : « Et sermo meus et prædicatio mea non in » persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis [1]. » Quibus hæc subjicit, « Sapien- » tiam autem loquimur inter perfectos; sapientiam vero » non hujus sæculi, neque principum hujus sæculi, qui des- » truuntur : sed loquimur Dei sapientiam in mysterio, quæ » abscondita est. » Ac rursum, « Sufficientia nostra, *inquit*, » ex Deo est, qui et idoneos nos fecit ministros novi Testa- » menti [2]. » Enimvero jure nobis inter omnes præceptum hoc est, ut quicunque demum illius spei, quæ religione nostra continetur, rationem ex nobis requirat, ad suscipiendam ejus defensionem parati continuo et expediti simus. Quamobrem explorare cuivis ac discutere licet, cum innumerabiles, ut ante dicebam quas recentiores plerique acutissimas et evidentissimas ad doctrinæ nostræ confirmationem argumentorum probationes edidere; tum etiam commentarios non paucos, quibus sacras ac divinitus conceptas litteras illustrando, veritatem illorum et nusquam vacillantem orationis constantiam, qui hunc nobis ab initio religionis divinæ ritum prædicarunt, sic tanquam adhibitis Mathematicorum demonstrationibus, in omnium oculis ac luce posuerunt. Sed enim supervacaneum, opinor, fuerit, verborum fidem quærere, ubi res ipsas iisdem longe clariores et illustriores intueri liceat, quas cœlestis ac divina Servatoris nostri vis ac potestas, universis hominibus divinam ac cœlestem vitam feliciter annuntians, palam etiamnum et evidenter ostendit. Nam cum ipse non tantum fore prædixerit, ut (quod suæ apud omnes populos monimentum voluntatis extaret) tradita ab eo doctrina, ubi degeret

[1] I Cor. II, 4. — [2] 2 Cor. III, 5.

hominum genus, longe lateque prædicaretur: verum etiam divina præsentione, illam ipsam quæ aliquanto post ejusdem numine ex omnium gentium societate conflata est, quæque nec dum eo tempore, quo vitam inter homines homo ipse degebat, coaluisse videbatur, Ecclesiam, nullis unquam viribus expugnandam, ac ne ab ipsa quidem morte superandam: at penitus inconcussum illius robur mansurum esse prænuntiarit, utpote, quæ vi ejus ac potestate, sic tamque immoto ac nullis omnino machinis perrumpendo scopulo, altis defixa radicibus niteretur: hujus sane prædictionis veritas exitu comprobata, hiantem ac procacem hominum istorum buccam omni oratione justius obstruxerit, qui vulgo nihil non intemperanter et impudenter effutiunt. Quis enim verax illud Christi oraculum esse non fateatur, cum res ipsæ tantum non magna palam et aperta voce pronuntient, non humanæ id naturæ, sed numini divino tribuendum, quod res illas, priusquam fierent, eo futuras modo prospiciens ita prædixerit, ut easdem operis ipsius fine compleret? Etenim jam universum, qui solis quidem radiis illustretur, orbem terrarum illius Evangelii fama pervasit, jam omnes undiquaque populos nationesque percurrit, ipsiusque prædicatio, via plane cum ejusdem verbis cohærente, longius in dies etiamnum latiusque procedit. Præterea quam nominatim ipse divinitus prænuntiavit Ecclesia, jam profundis nixa radicibus, hominumque sanctorum ac Deo dilectorum precibus votisque sublata, ad cœlestium usque orbium fornicem caput attollit, ac novis quotidie dignitatis incrementis aucta, spiritali ac divino prædicatæ ab illo pietatis fulgore passim ita coruscat ut non suis tantum hostibus, sed ne ipsis quidem mortis, foribus vel tantillum debilitata concedat. Quæ quidem omnia huic uni ab eo quondam prolatæ voci accepta ferenda sunt: « Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,

» et portæ inferi non prævalebunt adversus eam[1]. » Cæterum infinita sunt id genus alia, a Servatore nostro prænuntiata, quibus in proprium ac singulare argumentum locumque congestis, dum congruentes et consentaneos divinis ejus præsentionibus rerum ipsarum exitus ante oculos ponimus, eorum quæ nobis de ipso persuademus, certiorem omni dubitatione veritatem esse demonstramus. Neque vero levis et contemnenda est, si ad superiores adjungatur, eidem veritati asserendæ fides, quam ex Hebraicarum litterarum testimonio arcessimus, cum iis ante tot annos præsentium bonorum promissionem Hebræi Prophetæ generi mortalium universo prædicarint, ipsiusque adeo Christi nominis ita meminerint, ut futurum simul ad homines ejusdem adventum prædixerint. Adde quod novum etiam et insolens ejus, quæ per omnes populos funderetur, doctrinæ genus indicarunt, futuram quoque Judaicæ nationis incredulitatem et obfirmatam in repugnando contumaciam prædicentes, necnon quidquid adversus eum impie molita est, ac quæcumque illam propterea non dilatæ longius, sed quasi e vestigio secutæ calamitates oppressere : supremam intelligo regiæ ipsorum Metropolis obsidionem, ipsamque adeo regni funditus excisi eversionem, cum eorum per omnes gentes dispersione, quamque sub inimicorum et hostium dominatu patiuntur servitute conjunctam. Quæ certe prædictionibus illis consentanea, post ejusdem nostri Servatoris adventum, in omnium oculis pertulere. Jam vero, quis non illustres illas atque perspicuas eorumdem Prophetarum voces, quibus futuram, Christo jam ex rebus humanis subducto, cum Judæorum prolapsionem ac repudiationem, tum Gentium vocationem feliciter prænuntiarunt, admiratione defixus obstupescat, cum hæc similiter Servatoris nostri doctrinæ beneficio, palam exitum nacta fuerit cum illorum prophe-

[1] Matth. XVI.

tiis omnino congruentem? Per ipsum enim effectum est, ut innumerabilis ex omni hominum genere multitudo rejectis idolorum erroribus, veram præpotentis rerum omnium moderatoris Dei notitiam religionemque susciperet, cumque cæterorum quæ prisci homines fuderunt oraculorum, tum hujus inprimis Hieremiæ Prophetiæ fidem quodammodo facere videretur: « Domine Deus meus, ad te » Gentes venient ab extremo terræ, et dicent, quod falsa » patres nostri idola possederunt, nec erat in ipsis utilitas. Si » faciet sibi homo deos, et ipsi non sunt dii[1]? »

CAPUT QUARTUM.

Non inconsiderate nos ad rerum utilissimarum fidem suo tempore adhærescere.

Hæc igitur illa sunt, quibus instituti nostri ratio ita confirmatur, ut quivis intelligat eam non humano quodam impetu excogitatam, sed prævisam divinitus, scriptisque oraculis divinitus prænuntiatam, longeque adeo magis universis hominibus a Servatore nostro divinitus oblatum fuisse. Præterea numine plane divino robur ejus ac firmitatem constitisse, cum vexata tot annos, partimque dæmonum qui videri non possunt, partim eorum qui pro varietate temporum diversi imperabant, oculisque cernebantur principum acerbitate jactata, majoribus in dies ornamentis et illustriori splendore conjunctis, hominumque frequentiori multitudine augeatur. Ut plane dubitare nemo possit, quin Deus ille rerum moderator omnium, Servatoris nostri doctrinæ

[1] Jerem. XVI, 19.

et nomini vim quamdam omni conatu et oppugnatione superiorem, cunctorumque victricem hostium cœlesti auxilio largiatur. Jam vero illud ipsum, quod omnibus per sese hominibus ad bene beateque vivendum, partim clarissimis ipsius verbis, partim vi occultiore proponebatur, cujus non oculis divinam ejus potestatem virtutemque subjiciat? Etenim divinæ profecto arcanæque potestatis id fuit, ut simul atque verbum illius, deque summi unius tantum Dei, qui rebus præesset omnibus, principatu, doctrina proponeretur, continuo genus hominum in integram libertatem, cum a fraudulenta dæmonum efficacitate, tum a multiplici gentium dominatu vindicaretur. Præsertim, cum sexcenti olim reges singulis in nationibus, in urbibus autem ac regionibus imperium infiniti reguli obtinerent; aliique populi, tyrannorum alii, alii denique plurium dominatu premerentur: cumque inde omnis generis bella, ut par erat, existerent, commissis inter sese gentibus, vicinosque populos infestis semper, armis petentibus, mutuasque vicissim clades stragesque subeuntibus, quod mutuis alios alii obsidionibus incursionibusque vexarent. Ex quo proinde fiebat ut, non ii modo, qui civitates incolebant, sed etiam ii, qui in agrorum ac terræ cultura versabantur, rem militarem jam inde a pueris addiscerent, gladiosque continenter, ac vulgo per vias publicas, pagos, agrosque et rura gestarent. At vero cum sese primum Christus ostendisset (de quo Prophetæ olim ista cecinerant: « Orietur in diebus ipsius justitia et » multitudo pacis: et conflabunt gladios suos in vomeres, et » lanceas suas in falces, non sumet gens adversus gentem » gladium, nec discent amplius bellum gerere[1] »), oraculorum veritatem continuo rerum exitus comprobavit. Etenim multiplex ille Romanorum principatus illico sublatus est, cum Augustus sub ipsum nostri Servatoris adventum

[1] Isai, II, 4.

summam rerum, unus accepisset. Ex eo vero tempore ad ætatem usque nostram, civitates ut antea cum civitatibus dimicantes, populosque cum populis commissos, hominum denique vitam rerum omnium perturbatione contritam nemo vidit. Quis ergo non jure miretur, si diligenter secum ipse cogitet, quid causæ fuerit, quamobrem homines olim, quo tempore gentes universas dæmones tyrannide oppressas tenebant, et summo cunctis a mortalibus cultu celebrabantur, deorum ipsorum œstro perciti, in mutua bella furioso quodam impetu ruerent : sic, ut modo Græci cum Græcis, modo cum Ægyptiis Ægyptii, Syri cum Syris, cum Romanis denique Romani ipsi bella susciperent, aliique vicissim alios vel in servitutem abducerent, vel obsidionibus conficerent, quemadmodum veteres illorum temporum historiis consignatum ac testatum reliquere. Ut primum autem religiosissima pacisque amantissima Servatoris nostri doctrina increbuit, non ille tantum error, qui deorum multitudinem invehebat, funditus tolleretur; verum etiam importatæ dudum per ista populorum dissidia calamitates subito conquiescerent? Equidem id vel maximum arbitror divinæ arcanæque Servatoris nostri potestatis argumentum. Illius autem utilitatis, quæ palam doctrinæ hujus prædicationem consecuta est, cuivis rem secum attente reputanti clarum hoc inprimis et illustre specimen intueri liceat; quod nec alias unquam ex omni hominum memoria, nec ab eorum ullo, qui fama quondam nominis et existimatione floruerunt : sed tantum ex quo ipsius doctrinæ per universum orbem diffusæ verbis et concionibus hominum aures afflari cœpere, continuo factum sit, ut qui ferini prius ac barbari nationum omnium mores fuerant, iidem lenioribus et humanioribus institutis mansuescerent. Itaque nec Persæ, qui semel ejus disciplinæ nomen dederunt, nuptias amplius cum matribus ineunt: nec Scythæ, quod in eorum quoque regionem Christi sermo

penetrarit, humana jam carne pascuntur; nec alia barbarorum genera incesto filiarum ac sororum concubitu polluuntur : nec ad mares furioso libidinis æstu mares ipsi rapiuntur, nec cæteras, quæ naturæ leges violant, corporis voluptates persequuntur, nec canibus atque volucribus necessariorum ac propinquorum suorum cadavera, quibus id quondam in more fuerat, objiciunt : nec senio jam confectis, ut antea, laqueos injiciunt, nec sibi amicissimorum carne post obitum antiquo ritu saginantur : nec majorum instituto dæmonibus tanquam diis homines immolant, nec sibi carissimos jugulant falsa pietatis opinione delusi. Hæc nimirum illa sunt, aliaque id genus propemodum infinita, quibus infesta quondam hominum vita habebatur. Ac Massagetæ quidem atque Derbices, ut historiarum fide proditum est, propinquorum suorum longe miserrimos eos putabant, qui naturali fato supremum vitæ diem obiissent, cujus ante propterea necessitatem occupantes, quos vehementius diligerent, eos ætate jam effœtos non immolabant modo, sed iis etiam quasi lautissimis epulis utebantur. At vero Tibareni senes maxima secum affinitate conjunctos præcipites agere : Hyrcani vivos eosdem ac spirantes, Caspii jam morte functos avibus canibusque objicere. Scythæ vivos una defodere, quosque mortui summopere adamassent, ipsorum ad rogos jugulare, Bactrii denique seniores adhuc superstites canibus itidem laniandos projicere consueverant. Hæc, inquam, omnia superioribus illis temporibus grassabantur, nunc autem fieri omnino desiere, immani ac belluina tot malorum peste salutaris unius evangelicæ Legis viribus profligata. Jam vero, quod neque expertia vitæ, surdaque simulacra, neque conscelerati dæmones suarum in iis præstigiarum vim exerentes, neque partes mundi hujus aspectabilis, neque hominum pridem extinctorum manes, neque animantium ratione carentium teterrimæ ac nocentissimæ

deorum amplius in numero habeantur : sed istorum omnium loco, per unam hanc evangelicam Servatoris nostri doctrinam effectum sit, ut ex Græcis pariter ac Barbaris quotquot ejus verbum sincero animo, non simulatione quadam et inani ostentatione suscipiunt, cum supremæ philosophiæ gradum attingant, ut unum eumdemque summum Deum, nullis hujus aut universitatis, aut ævi finibus comprehensum, præpotentem cœli terrarumque Regem ac Dominum, solis, astrorum, totiusque mundi procreatorem venerentur, celebrent, Deumque fateantur : ita porro vitam quasi ad amussim exigere conformareque studeant, ut ipsum etiam oculorum sensum disciplinæ legibus contineant, nihilque non temperatum ex aspectu cum cupiditate conjuncto in animum subire patiantur, ac vel ipsa ex cogitatione radicitus genus omne fœdæ perturbationis excindant : hæc omnia quis plurimum cunctis hominibus ad bene beateque vivendum momenti afferre non videat? Præterea, quod nullo plane jurejurando opus habeant (tantum abest ut perjurio locus esse possit), eo quod nunquam omnino jurandum esse; at rejecto mendacio verum constanter et ubique retinendum ex illo didicerunt adeo ut, ita vel non, in omnem partem satis esse putent, quippe qui vel ipsam animi inductionem omni sacramento firmiorem atque certiorem exhibeant. Similiter, quod ne in levissimis quidem voculis, ac mutuis quotidianisque congressionibus sese negligentius habere velint, sed in iis etiam accurate, quidquid loquuntur, expendant, ne quod ipsis verbum aut vanum, aut contumeliosum, aut turpe, minusve compositum excidat; idque propter unum hoc ejusdem monitum : « De omni verbo » otioso reddetis rationem in die judicii[1]; » totum, inquam, illud cu[illegible] vitæ est, quamque sublime philosophiæ genus [illegible]d hæc, quod infinita virorum, mulie-

[1] Matt[illegible]

rum ac puerorum, servorum pariter atque liberorum, ignobilium et nobilium, nec non Barbarorum simul atque Græcorum, omnibus in locis, oppidis, regionibus, et quotquot soli subjectæ sunt nationibus, ad subeundam eorum præceptorum, quibus nuper informati sumus, disciplinam, denso agmine multitudo confluat, ejusmodique sermonibus aures præbeat, quibus ad coërcendam non actionum modo petulantiam, verum etiam earum, quæ in sola mente versantur, cogitationum turpitudinem, omnesque tum ventris, tum quæ sub ventre sedem habent voluptates domandas excitetur: quodque nullum non genus hominum divinæ doctrinæ præceptionibus imbuatur, ut lacessentium inimicorum injurias excelso exaggeratoque animo ferre, non mutuis ac similibus improbos homines ulcisci velit: ut iracundiæ vim, ut impotentem ac furiosum cupiditatis omnis impetum regere ac frænare conetur, adeoque ut opes fortunasque suas cum inopibus egentibusque communicet: ut quemlibet hominem communis humanitatis nomine complectatur, quemque vulgo tanquam peregrinum habent, eum quasi naturæ lege conjunctissimum ac veluti fratrem agnoscat. Hæc qui simul universa congerat, fieri ne poterit, quin idem prædicatam a nobis doctrinam eam esse fateatur, quæ summa veraque bona cunctis hominibus feliciter nuntiarit, quodque præcipuum et quasi caput ad bene beateque vivendum per sese erat, hominum vitæ contulerit? Illud porro quod sequitur, cujusmodi tandem esse putas, quod nimirum eadem genus hominum universum non Græcorum modo, sed ferocissimorum etiam barbarorum, et eorum, qui in extremis terræ finibus degebant, a vecordi ferinoque ritu abduxerit, atque ad sententias philosophis plane dignas traduxerit? Cujusmodi sunt eæ, quas de animi immortalitate vitaque illa, quæ postquam migratum hinc fuerit Deo caros homines apud ipsum quasi recondita manet, imbiberunt: cujus amore

capti tantum in brevis hujus fluxæque vitæ contemptu meditationis ac studii posuere, ut vere pueros, quotquot olim maximam ex philosophia laudem sibi famamque pepererant, illamque jactatam perdiu mortem ac philosophorum omnium ore decantatam, nihil nisi puerilem quamdam lusionem fuisse ostenderint; cum ipsæ quoque apud nos puellæ tenerique pusiones, adeoque barbari homines, iidemque, si oculis æstimarentur, viles et abjecti, Servatoris nostri viribus auxilioque freti, hujus de animorum immortalitate doctrinæ veritatem re ipsa potius quam oratione comprobarint. Cujusmodi etiam illud est, quod universi passim homines, ubiubi gentium ipsi degant, ex ejusdem Servatoris nostri disciplinæ præceptis sanum et constantem divinæ providentiæ hanc rerum universitatem moderantis sensum hauriant, quodque nemo non ea, quæ de tribunali judicioque divino prædicantur, mente percipiat, eoque plurimum instituendæ vitæ cautionis adhibeat, et ab omni sceleris improbitatisque genere singulari studio ac provisione declinet.

CAPUT QUINTUM.

Non sine prudenti maturoque judicio, nos a superstitioso majorum nostrorum errore discessisse.

At vero præcipui maximique beneficii, quod a salutari prædicatione profectum est, ita facile summam intelligas, si superstitiosum illum errorem veteris idololatriæ tecum ipse reputes, qua genus humanum universum propter vim ac violentiam dæmonum antea pessundabatur: ex qua tamen illa sic tanquam ex teterrima caligine Græcos simul ac

Barbaros divino numine liberatos, ad spiritalem eamdemque clarissimam veræ erga Deum præpotentem rerum omnium regem pietatis lucem vindicavit. Sed enim, quid attinet hoc loco pluribus id conari, ut non inconsideratæ cuidam ac temerariæ fidei, sed consilii utilitatisque plenis rationibus, quæque veræ pietatis formam et institutum complectantur, nos ipsos addixisse ostendamus? Equidem, cum universo hoc opere id agatur unum, qui vim ac momenta rationum capere et assequi possunt, eos ut in pervidendam argumentorum sanitatem incumbant, ut quas accipiunt dogmatum nostrorum demonstrationes attentius ac subtilius examinent, uti denique ad suscipiendam, quicumque rationem ex nobis quærat, illius, quæ religione nostra continetur, spei defensionem, promptos sese ac paratos exhibeant, etiam atque etiam adhortamur. Nunc vero, quoniam omnium ea facultas et solertia non est, cum ejusmodi sit tamque amans hominum verbi divini suavitas, ut neminem omnino repudiet, sed potius cuilibet sanando congruam et convenientem medicinam adhibeat: adeoque imperitos et idiotas ad leviorem curationis rationem invitet; jure sane ac merito qui ex rudioribus initiantur, mulieres videlicet ac pueros, vulgariumque ac plebeiorum hominum multitudinem ad christianæ vitæ pietatem quasi manu adducentes, integram sanamque fidem principio sic tanquam medicamentum aliquod adhibemus, eorumque mentibus de divina Providentia, de animorum immortalitate, deque vita ad virtutis normam exigenda cogitationes inserimus. Quid autem? an non eos etiam videmus, qui curandis corporum ægrotationibus operam scienter navant, quæcumque ad exquisitam medicinæ artis cognitionem pertinent longo usu multaque doctrina perdiscere, omniaque ratione tractare; qui vero ad eosdem curandæ gratia valetudinis accesserint, illos fidei cuidam exitusque lætioris expectationi sese ita

permittere, ut cum ex istius scientiæ præceptis intelligere nihil accurate perfecteque possint, non nisi ex utraque suspensas habeant incolumitatis suæ rationes ? Ac peritissimus quidem medicus in medium prodiens, quid aut cavere aut facere oporteat, sic tanquam princeps ac dominus aliquis scienter præcipit : ægrotus autem ipsi perinde ac regi et legislatori obsequitur, quod sibi quidquid præceptum ab eo fuerit, utile quoque futurum putet. Ita discipuli cujusvis doctrinæ præcepta a magistris excipiunt, quod ab illis didicerint, id sibi expedire rati. Imo vero ne ipsius quidem philosophiæ partem ullam quisquam attingeret, nisi ejus professionem usui ante sibi fore crederet. Atque ita factum videmus, ut alius Epicuri sectam eligeret, alius cynicum vivendi genus æmularetur, ad Platonis, ad Aristotelis alius sese disciplinam adjungeret, alius denique stoicorum dogmata cæteris omnibus anteferret : sic ut singuli quidquid probarent, id fide quadam speque meliori tanquam sibi profuturum amarent atque retinerent. Sic artes eas, quæ mediæ nominantur, homines persequuti sunt; et alii quidem rei militari se dedere; mercaturam alii factitare maluerunt, ea nimirum fide ac persuasione multo ante adducti, quod ejusmodi vitæ ratio plurimum sibi ad eam tuendam opis esset ac commoditatis allatura. Nuptiarum etiam primæ illæ congressiones, ejusque spei quæ sobolis propagationem intuetur conjunctiones mutuæ, ex sincera quadam egregiaque fide initium habuerunt. Præterea navigationem quis adornat ancipiti exitu, qui non alia prius salutem suam quam fidei lætæque spei ancora fundaverit. Alius item agriculturam exercet, jactoque in terram semine domi sedet, tempestatis conversionem expectans, futurumque sibi persuadens, ut semen illud jam in terræ gremio corruptum, ac pluviarum inundationibus obrutum, denuo tanquam ex ipsa morte reviviscat. Alius porro longum ex patria in exte-

ram aliquam regionem iter instituens, spem similiter atque fidem sibi adjungit, faustas utique sibi viæ duces futuras. Quid aliud denique manibus oculisque tenemus, quam vitam hominum universam ex duabus hisce rebus spe nimirum fideque suspensam teneri? Quid ergo causæ est, quamobrem adeo mireris, quibus non vacat omnia sigillatim ac subtilius addiscere, illis divina hæc, quibusque tantum animus informatur, præcepta fideli manu tradi; aliis vero licere præterea ipsas quoque vestigare rationes, et eorum, quæ asseruntur docenturque demonstrationes indagare? Sed enim pauca hæc quasi prolusionis causa nec sine utilitate præfati, ad primum accusationis caput aliquando redeamus, et quinam simus, quasve secuti antea vitæ rationes, iis, qui utrumque ex nobis quærere solent, respondeamus. Nos igitur et genere Græcos esse, et Græcorum olim sententias moresque complexos fuisse, nunc autem ex universis nationibus, tanquam novissime conscripti exercitus selectos eximiosque milites congregatos a patria superstitione defecisse, ne ipsi quidem negaverimus. Præterea nobis, cum Judæorum litteras approbemus, maximamque doctrinæ nostræ partem ex eorum prophetiis colligamus, non idem tamen amplius, quo circumcisionis defensores utuntur, vitæ genus placere, id vero sponte quoque ultroque fateamur. Nunc ergo tempus est istorum omnium reddendi rationem. Quonam autem alio consequi modo poterimus, ut ritus patrios jure ac merito deseruisse videamur, quam si illos ipsos in medium producamus, et eorum, qui hos in libros inciderint, ob oculos ponamus? Sic enim evangelicæ quoque demonstrationis vis illa divina clarius elucescet, si oculis omnes usurpare potuerint, quorum tandem et cujusmodi malorum ea medicinam feliciter annuntiet. Quo pacto præterea nos magna cum ratione Judæorum litteras persecutos esse constabit, nisi earum etiam vim atque auctoritatem osten-

damus? Jam vero præclarum simul fuerit, quam ob causam qui ipsorum monumenta complectamur, similem tamen vitæ consuetudinem repudiemus, ostendere. Ad extremum quæ nostra sit evangelicæ doctrinæ ratio, quis item proprie christianismus nominetur, quippe, qui neque Græcorum sit, neque Judæorum institutum, sed recens quædam veraque Dei sapientia, quæ vel ipso nomine professionis suæ novitatem præ se ferat. Age itaque, vetustissimas adeoque illas ipsas, quas a majoribus accepimus de deorum natura sententias, quæque in omnibus passim urbibus etiamnum jactari solent; unaque pergraves illas egregiorum philosophorum, de mundi ac deorum ipsorum origine, disputationes ante omnia contemplemur: sic enim intelligemus, jurene an secus ab iisdem recesserimus. Verbis autem, in iis quæ abs me prodentur atque vulgabuntur, non meis utar, sed illorum, qui quos ipsi deos vocant, eorum cultum singulari ac præcipua contentione studioque defenderunt, ut ab omni fingendi calumniandique suspicione nostra hæc disputatio vindicetur.

CAPUT SEXTUM.

De principe Phœnicum Ægyptiorumque theologia.

Phœnices quidem et Ægyptios omnium principes soli, lunæ, ac stellis divinitatem tribuisse, vulgatum est, iisque solis rerum omnium ortus interitusque causam assignasse; deinde vero quæ passim et ubique jactantur deorum tam molitiones quam procreationes in hominum genus invexisse: saltem ante illos, supra res eas, quæ in cœlo videri solent

intelligentia vel tantillum progressum esse neminem; si tamen paucos aliquot excipias, quorum apud Hebræos memoria celebratur, qui totum id, quod visu percipitur, longe purissimo mentis oculo superantes, ipsum mundi effectorem, ac rerum omnium molitorem sancte pieque coluerunt, cum tantam illius sapientiam atque potestatem, quam utcunque sibi ex operibus ipsis animo et cogitatione fingebant, singulari quadam admiratione prosequerentur: cumque unum illum Deum semel esse credidissent, eumdem quoque Deum unum, ut par erat, ita prædicarunt, ut veram illam ac principem eamdemque solam pietatem, quam a parentibus acceperant, studiose liberi retinerent. At reliqua hominum multitudo cum ab ejus unius veritate pietatis excidisset, ad cœli astrorum, quæ corporeis oculis intuebatur, splendorem puerili mente obstupescens, illa deos esse pronuntiavit, iisdemque sacrificiorum et adorationis cultum adhibuit, sic tamen, ut nec ipsis templa construeret, nec eorum statuas atque simulacra mortalem ullam in speciem effingeret, sed aspectum in æthera cœlumque ipsum omnino defigeret, vimque mentis omnem rerum earum, quæ in illo cernuntur finibus terminaret. Verumenimvero, nequaquam hic stetit eorum, qui postea secuti sunt, hominum de multitudine Deorum error, sed in altam improbitatis voraginem actus, impietatem peperit ipso quoque negatæ divinitatis scelere graviorem. Atque hujus erroris Phœnices ac paulo post Ægyptii auctores fuere. Primum enim ex iis Orpheum memorant Hyagri filium translata secum Ægyptiorum mysteria cum Græcis hominibus communicasse; Phœnicum autem religiones apud eosdem una cum ipsarum litterarum disciplina Cadmum intulisse: nec litterarum eo adhuc tempore notum Græcis usum fuisse. Nos igitur in primis, quæ ad primam illam mundi procreationem attinent, eo plane modo spectabimus, quo vulgati

laudatique a nobis scriptores de illa disputarunt : tum quæ de principe ac vetustissima generis humani superstitione prodiderunt : tertium vero locum iis, quæ Phœnices, quartum iis, quæ Ægyptii docuere, tribuemus; quinto autem, quæ Græcorum propria sunt, ita dividemus, ut primum quidem priscum etiam illorum pluribusque fabulis implicatum errorem, deinde paulo graviorem magisque adeo cum ipsamet natura conjunctam philosophandi rationem contemplemur; tum vero de egregiis ipsorum oraculis disputationem persequamur; ad extremum gravissima quæque præclaræ Græcorum philosophiæ momenta ponderemus. Jam ubi hæc omnia diligenter et enucleate discusserimus, ad Hebræorum nos dogmata conferemus, eorum inquam Hebræorum, qui primi ac vere hoc nomine censebantur, quique Judæorum appellationem postea nacti sunt. Quibus omnibus nostrorum denique rituum explicationem, sic tanquam sigillum aliquod imponemus. Cæterum ad pertexendam istorum omnium historiam necessitate quadam adducimur; ut iis, quæ in qualibet religione primaria eximiaque videri solent, in omnium luce positis, ipsius veritatis ratio clarius deprehendi certiusque possit, adeoque nemo non intelligat, qui modo libros hosce legerit, cujusmodi sint cum ea, quæ deseruimus, tum illa veritas, quam secuti sumus. Sed enim ad primum caput aliquando veniamus. Unde autem demonstrationum nostrarum firmamenta repetemus? non utique nostris ex litteris, ne doctrinæ huic nostræ servire nimium, ac prolixius indulgere videamur. Eos ergo potius ex Græcis ipsis testes producamus, qui non modo philosophiæ nomine gloriantur, sed etiam qui cæterarum gentium historias diligentius indagarunt. Ac Diodorus quidem Siculus, vir apud Græcæ eruditionis principes longe notissimus, quippe qui unum in corpus Bibliothecam historiarum universam compegerit, antiquam Ægyptiorum

theologiam ab ipsomet arcessens capite prosequitur. Ex quo prima tantum illa subjiciam, quæ ipso statim operis initio veterum sententias commemorans de mundi ortu hunc in modum ipse disputavit.

CAPUT SEPTIMUM.

Cujusmodi ex mente Græcorum mundi ortus fuisse dicatur.

« De diis igitur[1], quas et cujusmodi notiones illi animis » informarint, qui primi divini numinis cultum exemplo » suo docuere, ac de singulis eorum, quibus immortali- » tatem fabulæ tribuerunt, dabimus operam, ut quoniam » hoc argumentum ejusmodi est, quod longam oratio- » nem desideret, suo quæque loco seorsim plurima com- » plectamur. Nunc vero, quæ cum iis quas præ mani- » bus habemus, historiis consentanea nobis et congruentia » videbuntur, summatim hic ea subjiciemus, ne quid om- » nino, quod scitu dignum sit, requiratur. Ac de universo » quidem hominum genere, omnibusque rebus, quæ in co- » gnitis orbis terrarum partibus gestæ sunt, quam in tanta » vetustate fieri accuratissime poterit, narrationem institue- » mus, eamque ab ultima sæculorum memoria repetemus. » Igitur de primo hominum ortu, apud æquissimos ac proba- » tissimos rerum naturalium historiarumque scriptores, sen- » tentiæ fuerunt omnino duæ. Qui enim ex iis nec mundi or- » tum ullum fuisse, nec interitum futurum esse posuerunt, ii » sempiternum quoque genus hominum esse, nec ullo un- » quam tempore illorum procreationem cœpisse voluerunt.

[1] Diod., Biblioth. lib. I.

» Qui vero generatum eumdem atque occasurum putave» runt, ii perinde atque ipsius, hominum etiam generationem » certo quodam tempore principium habuisse defenderunt. » Quippe cum hujus primum universi coagmentatio fieret, » unam aliquam cœli et terræ ex permixta confusaque am» borum natura formam extitisse; deinde vero simul atque » corporum distinctio successisset, continuo mundum qui» dem, totum hunc, quem videmus, partium ordinem ac» cepisse, aërem vero continenti motu agitari cœpisse; ita » tamen ut pars ejus ignea supremam in regionem evolaret, » quod ipsius natura sursum ingenita levitate ferretur (at» que hanc esse causam, quamobrem sol ipse ac reliqua » siderum multitudo incitatissimæ circumvectionis impetu » rapiatur); quod autem cœnosum ac turbidum erat, id ex » humidi conjunctione concretum, unum in locum ob insi» tam gravitatem subsideret. Illud porro cum in se ipsum » perpetua conversione volveretur, ex humidis sui partibus » mare, ex solidioribus vero terram lutosam admodumque » teneram mollemque procreasse : quæ principio quidem » igneo solis irradiantis afflatu compacta sensim ac stipata » constiterit; deinde, cum extima superficies vi caloris ef» fervesceret, partes ejus quædam humidiores variis subinde » locis intumuerint, quibus inclusa materies putrida, mem» branisque tenuissimis involuta foveretur : id quod in sta» gnis etiamnum, locisque palustribus fieri videmus, si » quando posteaquam solum refrixerit, æstu repentino aër » incalescat, neque paulatim mutationem ejusmodi patiatur. » Itaque cum humidiores illæ partes hunc in modum vitalem » pariendi vim ex calore prolemque conciperent, eas noctu » quidem ex decidente ab aëre circumfuso nebula nutrimen» tum, interdiu vero robur ex calore ac firmitatem acce» pisse : donec ipsi fœtus justum incrementum suamque » maturitatem obtinerent, ruptisque demum æstu membra-

» nis, animantium omnis generis formæ nascerentur. Ex his » autem, quæ majorem nactæ calorem essent, eas pennis » instructas altiores in mundi plagas subvolasse : in quibus » vero terrena concretio dominaretur, illas reptilium ac cæ- » terarum, quæ in terra versantur, animantium ordine ac » numero comprehensas fuisse : quotquot denique humida » maxime natura constarent, eas in cognatum sibi affinem- » que locum omnes confluxisse, piscium nomine appellatas. » Ad extremum vero terram, cum majorem in dies solidio- » remque duritiem partim ex solis ardentiori calore, partim » ex ventorum flatu capiat, nullam per sese amplius ex gran- » dioribus animantibus procreare posse, sed earum quamli- » bet ex mutua marium ac fœminarum commixtione gene- » rari. Neque discrepantem ab iis, quæ adhuc commemora- » vimus, Euripidis, qui Anaxagoram Physicum audierat, de » hujus universi ortu mentem fuisse putaverim. Is enim sic » in Menalippe scribit :

» Cœli unus ante vultus ac terræ fuit,
» Ac proprius ex quo utrumque disclusit locus,
» Cuncta ambo generant, inque lucem efferunt
» Sylvas, volucres, ac feras; tumque quos salum
» Nutrit, hominumque genus.

» Atque hæc de prima mundi procreatione a majoribus accepi- » mus. Porro, qui principes omnium nati homines erant, eos » sine ordine ac ferino plane ritu victitantes, hucque dissipatos » atque illuc ad pascua exiisse, ac si quid teneriorum et mitio- » rum herbarum esset, cum sponte nascentibus arborum » fructibus comedisse ferunt. Cum autem eos feræ perseque- » rentur, utilitate magistra mutuam sibi opem tulisse, metu- » que simul congregatos, alterius alterum paulatim formam » agnovisse : cumque vocem illi confusam primum et ab omni » significatione vacuam effunderent, singulis paulatim voci- » bus articulate proferendis, signisque rerum, quæ occurre-

» bant, inter sese constitutis, notam eorum sibi omnium ex-
» plicationem interpretationemque fecisse. Jam vero quod
» cœtus ejusmodi toto passim orbe conflarentur, singuli-
» que voces, prout cuique temere ac fortuito visum erat,
» componerent, non eamdem idcirco loquendi rationem
» cum universis communem fuisse. Atque hinc formæ lin-
» guarum multiplices, primæque illæ hominum societates
» omnium parentes et capita gentium extiterunt. Cæterum
» quod nihil adhuc eorum, quæ conservandæ ac tuendæ vitæ
» serviunt, excogitatum esset, illam ægre admodum primi
» isti homines tolerabant, quippe qui et a vestibus imparati,
» nec domiciliorum aut ignis usum edocti, et victus ali-
» mentique mitioris prorsus ignari essent. Etenim cum ipsi
» nondum comportandæ ex agris annonæ rationem tenerent,
» nihil omnino fructuum levandæ quondam inopiæ gratia re-
» condebant. Itaque plurimi per hyemen cum asperitate fri-
» goris, tum ciborum penuria passim interibant. Verum ubi
» paulatim usu ipso cautiores evasissent, in speluncas hye-
» mis tempore confugere, quique asservari diutius poterant
» fructus reponere cœperunt. Ignis autem aliarumque com-
» moditatum utilitate perspecta, ipsas quoque paulatim ar-
» tes ac cætera, quorum ex opportunitate plurimum ad com-
» munem vitam emolumenti redundaret, invenerunt. Enim-
» vero ipsa primum inopia sese omnium omnino rerum ma-
» gistram hominibus præbuit; cum uniuscujusque notitiam
» animali optime a natura comparato, quodque non tantum
» administris ad omnia manibus utebatur, sed etiam ratione
» valebat animique solertia, familiariter suggereret. Atque
» hæc nobis præsertim qui mediocritati studeamus, de primo
» hominum ortu, deque vivendi ritu vetustissimo, satis
» erunt. »

Hactenus laudatus a nobis auctor, qui in ista sua mundi procreatione commemoranda, ne Dei quidem vel nomine

tenus meminit, sed fortuitam quamdam ac sponte oblatam hujus universi dispositionem invexit. Eadem vero græcos philosophos partem sane maximam videas prodidisse. Quorum equidem in præsentia de rerum principiis opiniones ac dissensiones mutuas, ex iis, quos Stromata Plutarchus inscripsit, tibi ante oculos ponam, easque non ex certa quadam et comprehensa animo cognitione, sed ex conjecturarum nescio qua probabilitate profectas. Tu autem non dicis causa, sed otiose adhibitoque judicio, eorum, qui abs me commemorantur, dissidia tecum ipse contemplare.

CAPUT OCTAVUM.

Opiniones philosophorum de hujus universi coagmentatione.

Thaletem ferunt ante cæteros omnes hujus universitatis principium Aquam posuisse, quod ex ea cuncta prodiisse, ac rursus in eamdem dissolvi arbitraretur. Hunc secutus Anaximander, qui ejusdem Thaletis consuetudine ac familiaritate usus erat, « causam omnium omnino rerum uni » duntaxat infinito assignandam esse docuit; ex eo quippe » cum cœlestes orbes, tum infinitos plane mundos eductos » ac secretos esse dicebat. Corruptionem autem, multoque » ante generationem ipsam ex eo fieri asserebat, quod » mundi isti omnes ab immenso quodam ævo perpetua con» versione volverentur. Terram vero figura cylindrum imi» tari, ejusque altitudinis esse, quæ si cum latitudine con» feratur, tertiam illius partem constituat. Cæterum fœcun» das atque genitales calidi frigidique partes, circa mundi » hujus procreationem ab omni æternitate sepositas fuisse

»pronuntiabat, ex quibus conflata sphæra quædam ignea »circumfusum terræ aërem veluti cortex arborem involve»ret. Ea disrupta cum esset, ac circulis quibusdam inter»clusa, solem, inde lunam ac stellas extitisse. Præterea »hominem ex diversæ formæ animantibus initio genitum »esse defendebat : nam cum cæteræ per se ipsas continuo »pastum capessant, tum certe hominem, qui perdiu lacte »operaque nutricis indigeat, nunquam alias, si ejusmodi »foret, eo tempore salvum esse potuisse. » Hæc Anaximander. Anaximenem autem aiunt, « rerum omnium principium »Aërem statuisse, qui genere quidem ipso infinitus esset, at »certis qualitatibus suis definitus, atque circumscriptus. »Hujus partim ex constipatione, partim raritate succedente »cuncta generari : itemque, sempiternum esse motum; ex »eodem aëre in sese coacto atque compresso terram omnium »principem eamque latam admodum natam esse, aërique »propterea jure ipsam ac merito insidere. Solem porro, lu»nam, ac reliquam siderum multitudinem ex terra sui »principium ortus habuisse. Quare solem quidem ipsum »terram nuncupabat, eundem tamen arbitrabatur incitatis»simo cursu vehementissimum illum calorem, idque oppor»tune admodum, esse consecutum. » Jam vero Xenophanes Colophonius singularem quamdam insistens viam, et ab eorum, quos adhuc produximus, omnium opinione deflectentem, « nullum penitus vel ortum vel interitum re»linquit, sui semper simile hoc universum esse ratus : si »enim detur procreatum illud esse, continuo secuturum »uti prius non fuerit; id autem, quod non est, neque fieri, »neque aliud efficere, neque rursus ex eo fieri quidquam »posse. Præterea sensus fallaces esse contendit, unaque »cum illis ipsam quoque rationem in omnibus criminatur. »Terram progressu temporis continenter deorsum ferri, ac »paulatim in mare labi : solem autem ex pusillis iisdem-

» que pluribus igniculis conflatum esse tradit. Quin etiam de » diis ita disputat, nullum ut inter eos esse principatum » existimet, quod nefas utique videatur deorum quemquam » alterius ferre dominatum : rem esse nullam, ad quam ul- » lius ipsorum auxilio alius omnino quisquam indigeat : eos- » dem porro cuncta in universum audire pariter ac cernere, » sigillatim vero ac per partes nihil. Postremo terram infi- » nitam esse, nec omnes illius partes aëre contineri, nihil non » ex ea procreari; solem tamen ac reliqua sidera suam nubi- » bus originem debere pronuntiat. » Parmenides autem Elea- tes Xenophanis ejusdem familiaris, partim ad illius sese opiniones adjunxit, partim contrariam quamdam instituit factionem. « Etenim sempiternum esse orbem hunc uni- » versum, omnique motu carere; ipsiusque naturæ verita- » tem omnino constare defendit; singularem enim illum et » unigenam, stabilem ac quietum, nec certo aliquo tempore » generatum esse : generationem porro ad ea rejicit, quæ » falsa quadam opinione putentur esse, adeoque sensus » omnes communione veritatis excludit. Affirmat præterea, » si quid præter id, quod vere est, uspiam existat, illud ip- » sum aliquid non esse, quod autem aliquid non sit, id uni- » verso minime contineri : quod igitur vere est, id nequa- » quam esse genitum, ea ratione concludit. Cum denique vis » magna densioris aëris deflueret, inde terram extitisse opi- » natur. » Zeno quidem Eleates nihil hoc in genere singulare vulgavit, sed ancipiti fere dubitationis æstu fluctuavit. At vero Democritus Abderites « universum, quod effectorem » sui ac molitorem habeat neminem, infinitum esse vult, » omnisque mutationis expers. Idem quoque disertis concep- » tisque verbis asserit, hoc mundi statu, rerum earum, quæ » nunc efficiantur, causas nullum penitus habere princi- » pium; sed quæ vel fuerunt antea, vel nunc sunt, vel » posthac futura sunt omnia, jam olim infiniti plane spatio

» temporis vi quadam necessitatis colligata esse. Soli porro » ac lunæ generationem attribuit, ac tum seorsim utrum» que docet proprios habuisse motus, cum nondum usque » adeo calidam ambo fulgentemque naturam obtinerent, sed » terrenæ potius naturæ persimilem : ad eum enim prius » modum utrumque procreatum esse, quem singularis quæ» dam ac propria subjecti mundi conditio postulabat : dein» ceps vero ubi major solis ejusdem circulus evasisset, ignem » ipso tum inclusum et comprehensum fuisse. »

Epicurus Neoclis filius Atheniensis, inanem earum, quæ de diis suscipiuntur, disputationum fastum dejicere conatur : simulque « contendit, ex eo, quod non sit, oriri nihil : hoc » universum tale semper fuisse, taleque perpetuo futurum, » quale nunc est : si tempus infinitum jamque ante produc» tum excipias, novi nihil toto orbe perfici : universum, » corpus esse non solum immutabile, sed etiam infinitum : » bonorum denique finem una voluptate contineri. Aristip» pus Cyrenæus bonorum quoque finem in voluptate, ma» lorum autem in dolore constituit : reliquam physiologiam » ita circumscribit, hujus ut unius rei considerationem uti» lem esse dicat :

» Quid tristis lætive domi sors improba verset. »

Empedocles Agrigentinus « quatuor Elementa ponit, » Ignem, Aquam, Aërem et Terram, quorum causas ami» citiam ac discordiam esse vult. Idem ex prima Elemento» rum confusione secretum Aërem ac circum in orbem fu» sum esse ait : Ignem vero postmodum exilientem, cum » locum sibi alium non reperiret, sursum tandem concreti » aëris frigore compulsum evolasse. Duos præterea dimidios » orbes circa terram circulari motu ferri, alterum ex igne » totum, alterum ex aëre igneque modico temperatum, » quam ipse noctem esse arbitratur : motus autem initium

» ex eo contigisse, quod in ista elementorum conjunctione » vehementior ignis impetus extitisset. Jam vero solem na- » tura sua non ignem, sed ignis reflexionem esse, illi quam » ex aqua fieri videmus persimilem : at lunam ex aëre, » quem ignis reliquerat, sua sponte coaluisse (quippe enim » grandinis instar concrevisse aërem); lumen porro suum » eamdem a sole mutuari. Denique animi principatum nec » in capite, nec in pectore, sed in sanguine constituit; ideo- » que qua parte corporis diffusus magis sanguis ille fuerit, » eadem homines præstare arbitratur. » Metrodorus Chius « sempiternum esse hoc universum affirmat, propterea » quod si genitum illud esset, ex eo, quod nusquam est, » genitum fuisset : quoniam autem sempiternum sit, infini- » tum pariter esse, utpote quod neque principium, unde » cœperit, nec terminum aut finem habeat. Imo, ne moveri » quidem universum; nec enim illud moveri posse, nisi alio » migret; necesse autem esse vel in plenum migrare, vel » in vacuum. Præterea ex aëre constipato nubes primum » deinde aquam procreari, quæ in Solem defluens, ipsius » ignem extinguat, qui tamen denuo succedente raritate » accendatur. Eumdem porro solem, progressu temporis sic- » citate concrescere, ac stellas quidem et limpida et splen- » denti aqua generare, noctem vero simul atque diem ex » mutua illa cum extinctione tum inflammatione, omnesque » omnino defectiones eadem ratione complere. » Diogenes Apolloniata « Aërem elementum ponit, moveri autem uni- » versa, et infinitos esse mundos affirmat. Cæterum ejus- » modi somniat eorum molitionem : scilicet cum universum » ita moveretur, ut rarius hic, alibi densius fieret, ubicun- » que major densitas contigeret, ibi convolutionem quam- » dam effecisse, tum similem in modum cætera : quæ autem » omnium levissimæ partes essent, eas regione superiori oc- » cupata solem produxisse. »

Talis ergo fuit sapientissimorum etiam Græciæ philosophorum, eorum saltem, qui Physici vocabantur, de universi constitutione, deque prima mundi procreatione disputatio, in qua nullum architectum, nullum rerum omnium effectorem posuerunt, imo ne Dei quidem mentionem ullam fecerunt, sed temerariæ cuidam agitationi, ac fortuito plane motui hujus universitatis causam assignarunt. Ac tanta quidem eorum est inter sese dissensio, ut eadem nulla prorsus in re pronuntiarint, sed contentione ac sententiarum diversitate omnia compleverint. Itaque Socrates vir ille singularis et eximius, istos omnes vaticinari ostendebat, nihilque omnino ab insanis ac furiosis discrepare, si Xenophontem ut dignum fide testem audiamus. Sic enim in Memorialibus[1] ipse loquitur : « Socratem vero nullus unquam » impii quidquam atque nefarii aut vidit agentem, aut loquentem audivit. Neque enim de universi natura, quemadmodum plerique vulgo, disputabat, sic nimirum, ut quo » pacto sese hic habeat, qui a Sophistarum natione mundus vocatur, aut qua fati ac necessitatis vi cujuslibet rei » cœlestis ratio teneatur, investigaret; sed eos potius, qui » genus hoc rerum curiosius agitarent, insanire demonstra» bat. » Quibus hæc subjungit : « Permirum autem ipsi videba» tur, ne perspectum quidem illis hoc fuisse, quod eo co» gnitionis hominum ingenia pervenire nullo modo possint, » cum ii, præsertim qui sese hoc disputationis genere plu» rimum efferant, non in eadem opinione sententiaque ver» sentur, sed alii cum aliis furiosorum utique more se ge» rant. Quippe enim ex furiosis alios esse, qui ne gravia » quidem et atrocia metuant, alios vero, qui ipsa quoque » non metuenda extimescant : sic eorum, qui naturam uni» versi diligentius explorare conentur, alios quidquid est » unum esse velle, alios infinitam rerum multitudinem in-

[1] Lib. I.

» vehere; aliis item placere continenti motu res omnes agi» tari, aliis contra, nullo unquam tempore moveri posse, » aliis denique generari omnia ac deinceps interire, aliis vero » nihil unquam vel genitum esse, vel interitu periturum. » Atque hæc Socrates, ut Xenophon auctor est. Quibus similia prorsus ea sunt, quæ Plato eumdem Socratem in eo, quem de Animo scripsit, dialogo ita commemorantem inducit. « Etenim mirum[1], *inquit*, o Cebes, quanta me, juve» nis cum essem, illius cupiditas sapientiæ tenuerit, quam » vulgo naturæ contemplationem appellant: quippe magnifi» cum oppido mihi videbatur causas nosse rerum singula» rum, ac cur unaquæque vel oriatur, vel intereat, vel exi» stat, intelligere; sæpiusque adeo me sursum deorsumque » versabam, cum in ejusmodi primum quæstionem incum» berem: utrum scilicet, quod nonnullis placebat, ubi fri» gidum et calidum loci aliquid corruptioni dederint, tam » demum animantia nutrimentum ac firmitatem accipiant? » utrum sanguine, an aëre, an potius igne sapiamus? an » vero his omnibus exclusis, uni cerebro audiendi, videndi, » atque odorandi sensuum origo debeatur: sic ut ex iis me» moria simul et opinio, ex utraque autem, ubi placide » quieteque constiterint, cum iisdem cohærens scientia ge» neretur? Cumque vicissim rerum earumdem interitus, » quæque tam in cœlo quam in terra vulgo contingunt me» cum ipse reputarem, demum ita me ad hoc contemplatio» nis genus ineptum, ut qui maxime, esse judicavi. Cujus » rei hoc tibi argumentum instar omnium proferam: quod » quæ mihi prius ac cæteris optime videbar intelligere, ea» dem postmodum omnia dediscerem; tantum illa ipsa con» templatio mihi cæcitatis offuderat. » Hæc Socrates ille Græcorum omnium ore famaque celebratus. Quare cum ea tanti Philosophi de illorum omnium, quos ante comme-

[1] In Phædone.

moravimus ; Physiologia mens et sententia fuerit; jure quoque sentio nos ab istorum negatæ divinitatis scelere declinasse : præsertim cum ipsorum de multitudine deorum error ab iis, quæ de universi ortu somniarunt, nequaquam alienus esse videatur. Cæterum id suo loco manifeste deprehendetur, ubi principem Græcorum Anaxagoram, qui mentem hujus universitatis molitioni præfecerit, laudari ostendemus. Nunc vero transfer animum sis ad Diodorum, quæque de prima hominum Theologia memoriæ prodidit, considera.

CAPUT NONUM.

Priscos homines cœli tantum astra coluisse, cum nihil neque de hujus universi Deo, neque de simulacris erigendis, neque de dæmonibus cognovissent.

« Priscos[1] Ægyptios ferunt, cum oculos hujus in mundi » contemplatione defixissent, cumque rerum omnium natu» ram vehementiori admiratione obstupescerent, solem ac » lunam sempiternos esse deos omniumque principes cen» suisse; quorum alterum Osirin, alteram Isin, ex certa » quadam notatione, utriusque nominis ratione ducta, nun» cuparint. Etenim, si vocum istarum significationem Græcæ » linguæ verbis exprimamus, Osirin quidem aliud esse ni» hil, quam multis oculis præditum : nec immerito sane, » cum ipse radiis omnem in partem longe lateque diffusis, » sic tanquam pluribus oculis terram simul ac mare lustret » universum. Quibuscum illud etiam poëtæ consentiat :

[1] Diod. lib. I.

» Sol qui cuncta procul cernitque auditque per orbem.

» Quanquam prisci quidam apud Græcos fabularum inven- » tores eumdem Osirin, et Bacchum, et vero similitudine » quadam atque affinitate nominis Sirium appellarunt. Ex » quibus Eumolpus in bacchicis carminibus ita cecinit:

» More Astri Bacchum vultu flagrante micantem.

» Orpheus autem sic:

» Ergo Phanetem ipsum, vel Bacchum nomine dicunt.

» Quin etiam addunt nonnulli, ex siderum varietate ortum » esse morem, ut idem astrictam nodo hinnulli pellem cir- » cumferret. Isin vero, antiquam, significare aiunt, quo no- » mine Luna propter antiquissimum ac sempiternum ortum » appellata fuerit. Cornua porro eidem affigunt, partim ea fi- » gura permoti, quam sub accretionem diminutionemve lu- » minis cornuum instar curvatam ostendit, partim quod ei » vacca sit apud Ægyptios consecrata. Cæterum geminos » hosce deos mundum universum moderari docent. »
Ac de Ægyptiis quidem hæc a nobis dicta sunto. Jam in Phœnicum etiam Theologia reperias, qui principes apud illos naturalis sese philosophiæ studio dediderunt, eos solem pariter atque lunam, cæterasque stellas inerrantes, elementa præterea, quæque cum iis conjuncta sunt, deorum in loco tantum habuisse. Iisdem porro mortales vetustissimos terræ germina dedicasse, quibus divinitatem ipsi quoque cum adorationis cultu tribuebant, quibus cum vitam ipsimet adhuc tolerabant, tum eorum non posteri modo, sed etiam majores in inferiis ac libationibus solenni ritu perficiendis uti consuevere. Misericordiam autem, commiserationem et luctum senescenti terræ germini, primæ animantium ex terra

procreationi, ac simul eorum ex mutua congressione generationi, mortique adeo ipsi, per quam hac vita defungerentur, consecrabant. Ejusmodi erant divini cultus notiones hominum istorum imbecillitati, et angustis adhuc pusillisque animis congruentes. Atque hæc Phœnicum etiam libris, ut deinceps ostendemus, continentur. Quinetiam ille ipse, qui nostra memoria vixit, quique evomendis in nos contumeliis atque maledictis famam sibi nomenque confecit, in iis quos de vitando rerum animatarum usu conscripsit, priscæ illius veterum consuetudinis, laudato Theophrasti testimonio, meminit his omnino verbis. « Infinitum plane videtur [1] » fluxisse tempus, ex quo genus hominum longe sapientissi- » mum, ut loquitur Theophrastus, sanctissimam illam et a » Nilo conditam regionem incoleret, ad focum domesticum » sacra diis cœlestibus facere cœpit, non myrrhæ, non ca- » siæ thurisque cum croco mixtorum primitiis (neque enim » istorum usus nisi post multas ætates fuit, cum homo curio- » sus erroris indagator effectus, post multorum laborum at- » que lacrymarum guttas, necessariæ vitæ primitias diis ob- » tulit); non illarum, inquam, rerum, sed virentis herbæ, » cujus sic tanquam naturæ genitalis primævam quamdam » lanuginem manibus sublatam offerebat. Quippe enim prio- » res animantibus arbores, multoque ante ipsas gramen an- » nuum terra procreavit, cujus folia radicesque carpentes » cum integris earum naturæ germinibus veteres illi combu- » rebant, eoque sacrificii genere, qui cœlestes Dii videban- » tur, sibi conciliabant, atque sempiternos ignis honores ip- » sorum divinitati consecrabant. Nam illis etiam ignem con- » servabant suis in templis immortalem, quod iisdem simil- » limus esse videretur. Cæterum ex illa rerum, quas terra » produxerat, ἀναθυμιάσει, has subinde voces θυμιατήρια, θύειν, » θυσίαι effinxerunt, quibus nos perinde ac si novum hoc im-

[1] Porphyr. lib. II.

»probitatis genus significarent, alieno plane sensu abuti»mur, dum fallacem hunc cultum, qui animantium immo»latione perficitur, θυσίαν appellamus. Ac prisci quidem illi »homines, ne quid adversus hunc ritum peccaretur, tanto »studio tantaque diligentia providebant, ut quod in eos, »qui rejecto vetere instituto novum aliquod inveherent, »ἠράσαντο, hoc est diras effunderent, ἀρώματα τὰ θυμιώμενα, id est »suffitiones ipsas, imprecationes dirasque nominarent.» Quibus, post alia quædam, hæc subjicit. « Ubi autem illæ »sacrificiorum primitiæ in majorem impietatem hominum »vitio prorupissent, tandem usus teterrimarum victimarum »crudelitate plenus invaluit, ut quas ante conceptas nos»trum in caput imprecationes diximus, eæ hoc demum »tempore, quo homines ipsi vivas ac spirantes animantes ju»gulant, earumque sanguine altaria cruentant, exitum sor»titæ videantur.» Hæc ipse quoque Porphyrius, nec suo magis quam Theophrasti ore commemorat. Plato denique sermonem hunc nobis auctoritatis suæ veluti sigillo concludat. Is enim in Cratylo ante ea quæ de Græcis ipsis disputat, sic ad verbum loquitur : « Mihi quidem illi homines »videntur, qui Græciam primi tenuerunt, eos tantum deos »censuisse, quos nunc Barbarorum plerique colunt, solem »nimirum, lunam, terram, astra, cœlum : quæ cum ipsi »viderent omnia continenti cursu ferri, eadem ab illa, τοῦ »θεῖν, hoc est cursus ejusmodi natura θεοὺς, deos nomina»rint.»

Ac primos illos quidem et vetustissimos homines nihil vel in templis extruendis, vel in erigendis simulacris operæ ac studii posuisse, cum necdum istæ pingendi, fingendi, cælandi statuas efficiendi, ac ne domos quidem tectaque ædificandi artes inventæ ac constitutæ essent, cuivis, opinor, rem apud se reputanti facile constabit. Quod autem nec ipsorum, qui Dii postea vel Heroës appellati sunt, ulla apud

eosdem mentio fuerit; quodque nec Jovem, aut Saturnum, aut Neptunum, aut Apollinem, aut Junonem, aut Palladem, aut Bacchum, aut alium omnino Deum, seu mas foret, seu fœmina, quales infiniti postea cum apud Barbaros, tum apud Græcos passim extiterunt, agnoscerent : imo, quod nullus tum inter homines seu bonus, seu malus Dæmon celebraretur : sed illa tantum quæ in cœlo apparebant Astra, παρὰ τὸ θέειν, id est a currendo, θεῶν, hoc est Deorum nomen, ut ipsimet aiunt, obtinerent : denique, quod ne illa quidem animantium immolationibus, aut iis, qui postea sunt excogitati superstitiosis honoribus colerentur; non jam oratione nostra, sed domestico Gentilium ipsorum testimonio, quod certam ex disertis eorum verbis, quæque citavimus antea, quæque suis postea locis subjiciemus, probationem suppeditat, plane conficimus. Quamquam divinæ etiam Christianæ religionis litteræ hoc ipsum docent, quibus continetur, gentibus quidem universis eorum, quæ sub aspectum cadunt, siderum attributum initio cultum fuisse, uni autem Hebræo populo singularem quamdam et eximiam cum hujus universi effectoris ac molitoris Dei, tum etiam veræ adversus eum pietatis notitiam præcipuo munere beneficioque concessam. Quare nulla plane apud antiquissimos homines sive Græcorum, sive Barbarorum Theogoniæ mentio, nullus statuendorum simulacrorum usus, nulla, quæ multa nunc est in ista Deorum partim marium, partim fœminarum appellatione, nugarum vanitas. Nec enim illius ætatis hominibus nota erant, quæ postea ex mortalium ipsorum turba petita confictaque nomina; imo ne dæmonum quidem spirituumve sensus fugientium invocationes, nec absurdæ ineptæque de Diis et Heroibus fabulæ, nec arcanarum et infandarum initiationum mysteria, nec ullum omnino multiplicis ac stolidæ eorum, qui sequuti sunt, hominum superstitionis vestigium cernebatur. Sunt hæc nimirum ab

hominibus excogitata commenta, sunt mortalis naturæ fictiones, vel potius turpis ac flagitiis perditæ vitæ artes; id quod illius etiam divini oraculi fide comprobatur, «Initium »fornicationis, exquisitio idolorum[1].» Maneat igitur hunc omnium gentium de multitudine Deorum errorem nonnisi post longam ætatum seriem extitisse, qui cum a Phœnicibus et Ægyptiis initium habuisset, ab iis in reliquas postmodum nationes ad ipsos usque Græcos sese propagarit. Atque id ipsum præterea vetustissimæ historiæ monumenta declarant, quam utique jam tempus est, ducto ab Phœniciis initio, propius intueri.

Res autem istas Sanchuniatho quidam memoriæ prodidit vir antiquissimus, quemque ante Trojana tempora floruisse, summaque cum diligentiæ, tum veritatis laude Phœnicum historiam scripsisse testantur. Hujus opera omnia Philo, non Hebræus ille, sed Byblius, ex Phœnicum idiomate Græcam in linguam conversa vulgavit. Ejusdem quoque meminit, is qui nostra memoria opus illud adversum nos mendaciis fraudibusque textum consarcinavit, dum libro quarto ipsum hujus testimonii sui prædicatione commendat. «Rerum inquit[2], ad Judæos pertinentium historiam San»chuniatho Berytius summa fide conscripsit, quippe quæ »cum eorum locis atque nominibus apprime consentiat, »cum præcipua rerum illarum capita ab Hierombalo quo»dam Ievi Dei sacerdote accepisset. Hoc illius opus Abibalo »regi Berytiorum dedicatum, non modo rex, sed etiam ii, »quorum apud ipsum erat de scriptorum veritate cognos»cere, omnes comprobarunt. Atque istorum quidem ætas »Trojanis temporibus antiquior, proxime ad Mosem ipsum »accedit : ut ex Phœniciæ regum serie quivis auferre po»test. Hic igitur Sanchuniatho, qui Phœnicia lingua ve»terem historiam partim ex singularum urbium actis,

[1] Sap. XIV, 11. — [2] Porphyr. 11.

»partim ex Templorum monimentis coagmentatam singu-»lari veritatis studio perscripsit, Semiramide, quam Ilia-»cis temporibus vel antiquiorem vel æqualem fuisse me-»morant, apud Assyrios regnante, vixit. Ejusdem porro »Sanchuniathonis opera Philo Byblius Græco sermone do-»navit. » Hæc ille, quibus istius Theologi cum in scribendo veritatem, tum etiam vetustatem nobis testatam reliquit. Verum in operis suscepti progressu non jam Deum universi moderatorem, immo ne cœli quidem incolas, sed viros quosdam ac mulierculas morti obnoxios, eosque non ea morum honestate, ut propter virtutem suscipi ac probari mereantur, aut ea præditos sapientia, quæ nos ad ipsorum æmulationem invitet, sed omnibus flagitiis ac sceleribus coopertos nobis pro Diis obtrudit, ac simul eos ipsos esse confirmat, qui passim etiamnum omnibus in oppidis atque regionibus Deorum loco celebrantur. Quarum tu rerum certas etiam et ex illorum scriptis depromptas accipe probationes.

Philo igitur, qui Sanchuniathonis opus universum novem in libros distribuit, ipso statim primi libri procemio hæc ad verbum de eodem auctore præfatur. « Hæc cum ita »se haberent, Sanchuniatho vir in primis eruditus, cum »operam in rerum plurimarum studio posuisset, cumque »gentium omnium historiam jam usque a prima universi »molitione nosse vehementer optaret, præcipuam quam-»dam in pervestigandis Taauti rebus diligentiam adhibuit, »quod satis intelligeret, omnium qui lucem hanc aspexe-»rant, eum litteras principem invenisse, ac scribendorum »commentariorum auctorem fuisse. Ab illo autem auspica-»tum esse; quem ab Ægyptiis Thoyth, ab Alexandrinis »Thoth, nominatum, Græci Ἑρμῆν, hoc est Mercurium red-»didere. » His commemoratis, recentiores illos, qui postea emerserant, eo nomine reprehendit, quod quæ de Diis

vulgo ferebantur, ad allegorias nescio quas et physicas explicationes vi facta veritati traducerent. Is ergo sic in progressu loquitur. « Sed enim qui novissime rerum sacrarum » disputationem attigere, cum eorum quæ facta erant ipso » statim initio veritatem rejecissent, allegoriis quibusdam ac » fabulis excogitatis, cumque rebus iis, quæ hujus universi » naturam consequuntur affinitate conficta, mysteria densis » obducta tenebris, instituerunt, ne quis eorum, quæ reapse » gesta erant, veritatem intueri facile posset. Ille autem cum » in arcana quædam Ammoneorum volumina incidisset, quæ » ex interioribus templorum penetralibus, ubi ante jacue- » rant, educta, cum obvia passim non essent, omnium sen- » tentiam diligenti meditatione quæsivit, lætumque sus- » cepti laboris exitum consequutus, quæ in ipso aditu oc- » currebant fabulis cum allegoriis omnibus de medio subla- » tis, institutum opus suam ad perfectionem maturitatem- » que perduxit : donec qui post illum extitere Sacerdotes, » idem ipsum occultare denuo atque ad priscarum fabula- » rum commenta revocare postea voluissent, unde mysticus » ille sensus emersit, qui nunquam antea Græcorum animos » occuparat. » Quibus deinceps ista subjungit. « Hæc tandem » a nobis reperta sunt, cum vehementi cognoscendæ Phœ- » nicum historiæ desiderio teneremus, ac posteaquam ingen- » tem librorum monimentorumque sylvam cupide scrutati » essemus, non eam tamen, quæ penes Græcos erat, quod » ipsam magna cum dissensione animorum, et contentionis » potius quam veritatis studio conflatam a nonnullis esse per- » viderem. » Tum quibusdam interjectis, « Ad fidem, *inquit*, » illius scriptis adhibendam, eo maxime quod oculis intue- » mur Græcorum hominum dissidio adducti sumus : de quo » tria quoque volumina, quorum inscriptio est, *De incre-* » *dibili historia*, studiose ac diligenter elaboravimus. » Ac rursum post alia nonnulla subdit : « Jam vero, quo illus-

»trior habeatur magisque distincta rei totius intelligentia »hoc etiam ante omnia ponere nos oportet, Barbarorum »antiquissimos, Phœnices in primis et Ægyptios, a quibus »cæteri deinceps populi morem illum accepere, in maxi- »morum Deorum loco eos omnes habuisse, qui res ad vi- »tam agendam necessarias invenissent, quique beneficium »aliquod in genus hominum contulissent. Eos nimirum »quod sibi plurimorum auctores bonorum esse persuade- »rent, divinis honoribus coluere; ac Templorum usu, quæ »jam ante constructa fuerant, hoc ad munus officiumque »traducto, columnas insuper statuasque ligneas ipsorum »nomine consecrarunt, eaque præcipuo religionis cultu »prosequuti Phænices, festos illis quoque dies longe cele- »berrimos dedicarunt. In quo quidem eximium illud fuit, »quod regum suorum nomina universi hujus elementis, ac »quibusdam eorum, quibus Divinitatem ipsi tribuebant, »imponerent. Naturales porro deos, solem, lunam, reli- »quasque stellas inerrantes, cum elementis ac cæteris cum »iisdem affinitate conjunctis solos ex omnibus agnoscebant; »ut mortales quidem alios, alios autem immortales deos »haberent.» Quibus Philo breviter in procemio constitutis, ad Sanchuniathonis interpretationem aggreditur, his verbis Phœnicum Theologiam edisserens.

CAPUT DECIMUM.

nicum theologia.

« Principium hujus universitatis ponit Aërem tenebrosum »ac spiritu fœtum, seu mavis tenebrosi aëris flatum ac spi-

» ritum, chaosque turbidum altaque caligine circumfusum. » Hæc porro infinita esse, nullumque nisi longo sæculorum » intervallo terminum habere. Verum, ubi spiritus, *inquit*, » amore principiorum suorum flagrare cœpisset, eumque » simul esset mixtio consequuta, nexum hunc mutuum Cu- » pidinem appellarunt. Is quidem rerum omnium procrea- » tionis principium fuit. Spiritus vero suam ipsius procrea- » tionem minime agnoscebat. Ex hac illius conjunctione pro- » diit Mot; id quod limum nonnulli, alii aquosæ mixtionis » corruptionem esse volunt, ex qua secutæ productionis » semina, ipsaque adeo rerum universarum generatio exti- » terit. Cæterum animantia quædam erant omni sensu ca- » rentia, quæ postmodum intelligentia præditos animantes » procrearunt. Eos illi Zophasemin, hoc est cœli contem- » platores nominarunt, in ovi figuram conformatos. Illico » autem Mot, cum sole, luna, stellis, ac reliqua majorum » astrorum multitudine emicuit. Hujusmodi a Phœnicibus » mundi ortus ponitur, qui omnem plane divinitatem exter- » minet. Jam, qualis ab iisdem invehatur animalium gene- » ratio, videamus. Sic ergo philosophatur. Cum igneum » splendorem aër emisisset, ex ardenti maris ac terrarum » inflammatione, venti, nubes, magnoque ruentium impetu » cœlestium imbrium ac nimborum effusiones extitere: » cum autem hæc omnia, quæ distincta paulo ante, ac » propter vehementiorem solis æstum a propria sede dis- » juncta fuerant, in eodem rursus aëre concurrerent, at- » que alia cum aliis committerentur; tonitrua simul ac » fulgura peperere; quorum ad tonitruum fragorem, des- » cripti antea intellectu præditi animantes velut a somno » excitati, horrendoque sonitu exterriti, mares pariter ac » fœminæ tam in terra quam in mari moveri cœpere. « Ejus- modi est, quæ ab istis somniatur, animalium generatio: quam hæc ejusdem auctoris verba excipiunt. « Hæc in Taauti

» de mundi ortu commentariis scripta reperta sunt, quæ » quidem ipse cum argumentis et conjecturis, quas mentis » acie perviderat, excogitavit; tum eorum quoque facem » nobis lumenque prætulit. « Mox Austri ac Boreæ, cæterorumque ventorum nominibus explicatis, ita prosequitur. « At illi omnium principes terræ germina consecrarunt, iis» que Deorum in loco habitis adorationis cultum tribuerunt, » quibus vitam non ipsi modo, sed ipsorum etiam posteri, » majoresque omnes tolerarunt, inferiasque ac libamina » perfecerunt. Atque hæ divini cultus cogitationes, inquit, » cum eorum imbecillitate animique angustiis congruebant. » Tum scribit, ex Colpia vento, atque ejus uxore Baau, quam » Græci Νύκτα, hoc est Noctem, interpretantur, Ævum ac » Primogenitum, mortales ambo, procreatos; Ævumque » cibi ex arboribus petendi auctorem fuisse. Qui ab illis » geniti sint, eos Genus ac Progeniem appellatos, Phœnicen » incoluisse : cumque vehementior æstus urgeret, in cœlum » manus ad Solem sustulisse. Quippe, Deum enim hunc, *in» quit*, unum cœli moderatorem esse credebant, eumque » propterea Beelsamen, id est, Phœnicum lingua, cœli » Dominum, Græca vero Δία, hoc est Jovem, nominabant. » Deinceps Græcorum his verbis traducit errorem. Neque » enim sine ratione pluribus ista modis explicate distinguenda » putavimus, sed varias hac etiam in parte nominum quæ » rebus attribuuntur notiones ac significationes secuti su» mus; quæ Græci homines cum ignorarent, alieno sensu » accepere, in errorem ambiguitate significationis inducti. » Porro ex genere Ævi ac Primogeniti filio natos ait esse li» beros morti similiter obnoxios, eosque Lucis Ignis, et Flam» mæ nominibus appellatos; qui cum ignem ex mutua li» gnorum collisione reperissent, ejusdem usum homines » docuerint. Iidem filios genuere, qui mole ac proceritate » corporis vulgus hominum longe superarent, quorum no-

» mina montibus iis attributa sunt, quos ipsi prius occupa» rant. Quare montes Cassius, Libanus, Antilibanus, et » Brathyus, ab illis nomen accepere. Cæterum ab iis Mem» rumus et Hypsuranius procreati sunt; qui a matribus ejus» modi appellationes invenere, mulierculis, inquam, illis » quæ sui copiam eo tempore obvio cuilibet impudentissime » faciebant. Jam vero Hypsuranium in insula Tyro domici» lium suum collocasse, ac tuguriorum ex calamis cum » junco papyroque contextis efficiendorum artem excogi» tasse, gravesque cum Usoo fratre inimicitias exercuisse » tradit. Ac princeps quidem pellibus quas feris ab se captis » detraxerat, corpus tegere Usous instituit : cumque tur» bulentia imbrium ventorumque tempestate coorta, ex » Tyri arborum collisione ignis exarsisset, quæque ibidem » erat sylvam incendisset, arbore cujus ante ramos amputa» rat, navigii loco usus nequaquam sese mari, nullo licet » exemplo, committere dubitavit. Geminos quoque cippos » cum Igni Ventoque dedicasset, mox utrique adorationis » cultum exhibuit, quasque venando ceperat ferarum san» guinem libavit. Posteaquam autem supremum isti omnes » diem obiissent, qui superstites, inquit, remansere, virgas » ac cippos in eorum honorem consecratos adorarunt, fes» tosque dies solenni ritu quotannis peregerunt. At vero mul» tis post seculis, ex illius Hypsuranii sobole Venator ac Pis» cator nati sunt, qui piscationis ac venationis artem inve» nere, ac toti piscatorum venatorumque nationi suum pos» tea nomen indidere. Ab iisdem fratres procreati duo, qui » ferrum ac multiplicem ferri usum reperere. Quorum alter » Chrysor nomine, quem Vulcanum esse ait, plurimum » opere ac studii partim in eloquentia, partim in cantionibus » ac divinandi artibus collocavit. Is etiam hamum atque es» cam, piscatorum lineam, ac tumultuarias rates invenit, » primusque mortalium omnium navigavit. Quamobrem

»eum quoque post obitum instar Dei coluerunt, ipsum-
»que præterea Diamichii nomine appellarunt : nec desunt
»etiam qui ab ejusdem fratribus struendorum ex lateribus
»murorum ac parietum rationem excogitatam esse velint.
»Ab ejusdem posteris geniti adolescentes duo, quorum unus
»Artifex, alter vero Terrestris Indigena nuncupatus. Hi quis-
»quiliarum cum lateritio luto miscendarum, utriusque vero
»solis calore exiccandi, ac tectorum ædibus imponendo-
»rum auctores fuere. Alios item duos procrearunt, quorum
»unus Agri, alter Rustici sive Agricolæ nomen accepit. Et
»huic quidem simulacrum eximio cultu dedicatum est, ad-
»dito quoque in Phœnice templo, quod ab aliquot jugato-
»rum boum paribus gestabatur : quin etiam in veterum li-
»bris deorum maximus elogio plane singulari nominatur.
»Ambo præterea construendis ædibus non solum atria, ve-
»rum etiam ducta in orbem septa cum speluncis addidere.
»Ab iis tam agricolarum, quam venatorum, qui canibus
»uterentur, genus propagatum. Iisdem Erronum ac Tita-
»num attributum nomen. Filios reliquere Amynum et Ma-
»gum, quibus villarum gregumque alendorum rationes fe-
»runtur acceptæ. Ex istis nati Misor et Sydyc, hoc est So-
»lutu facilis, ac Justus, qui salis usum reperere. Misor
»filium Taautum habuit, primorum in scribendo elemen-
»torum inventorem, quem Ægyptii Thoor, Alexandrini
»Thoyth, Græci Mercurium nominarunt. Ex Sydyc vero
»Dioscuri, seu Cabiri, seu Corybantes, seu denique Samo-
»thraces originem accepere. Ambos quoque navigium pri-
»mos excogitasse ferunt. Ab utroque procreati alii, qui
»non herbas modo, sed etiam venenatorum morsuum cura-
»tionem et cantiones invenere. Eorumdem ætate natus est
»Eliun quidam nomine Altissimus, itemque fœmina Beruth
»appellata. Hi loca Byblo vicina tenuere ac Terrestrem
»quemdam sive Indigenam Cœlum postea nuncupatum ge-

» nuere, a quo etiam illud sublime elementum, quod supra » nos volvitur, propter eximiam pulchritudinis ac formæ » speciem cœlum vocarunt. Is sororem habuit iisdem paren- » tibus natam, cui nomen Terra, quod propter singularem » ejus corporis dignitatem, cum ea, quam terram vocamus, » postea communicarunt. Parens autem illorum Altissimus, » cum ferarum congressione periisset, Deorum in numerum » est relatus, quem libationibus ac sacrificiis liberi coluere. » At Cœlus ubi paternum in imperium successisset, Terram » sororem matrimonio secum junxit, ex eaque liberos qua- » tuor suscepit, Ilum, qui Saturnus dictus est, Betylum, » Dagonem, qui Sito, hoc est frumenti præses, nominatur, » et Atlantem. Ex aliis autem uxoribus ingentem liberorum » multitudinem genuit, id quod adeo grave et acerbum » Terræ accidit, ut zelotypia vehementiore succensa, abs » Cœlo multis ante probris onerato divortium fecerit. Cœlus » autem etsi ab ea discesserat, vi tamen quoties libitum » erat, eadem oppressa, domum sese denuo recipiebat. » Verum quod susceptos ex ipsa filios interficere conaretur, » Terra convocatis auxiliaribus copiis, ejus impetum sæpe » propulsabat. Interea Saturnus, ubi virilem ætatem atti- » gisset, Mercurii Trismegisti, qui ipsi a tabulis et codicillis » erat, consilio atque opibus, maternas ulturus injurias, » Cœlo patri sese acriter objecit. Idem liberos procreavit, » Proserpinam et Minervam; ac prior quidem virgo diem » obiit : Minerva autem Mercurioque auctoribus, falcem ex » ferro hastamque conflavit; tum Mercurius Saturni sociis » vehemens contra Cœlum pro Terra dimicandi studium » magicis cantionibus injecit. Saturnus igitur his instructus » copiis, bellum cum Patre committit, eoque imperii fini- » bus ejecto, regnum capessit. Hoc in certamine capta Cœli » concubina gestans uterum, cujus ille singulari amore fla- » grabat. Eam Saturnus Dagoni in uxorem dedit, apud

» quem susceptum ex Cœlo fœtum enixa Demaroontem no-
» minavit. Tum vero Saturnus ædes suas muro cingit, By-
» blumque condit urbem Phœniciæ principem. Mox Atlan-
» tem fratrem, quod eum suspectum haberet, suadente
» Mercurio alta terra defossum obruit. Per idem ferme tem-
» pus Dioscurorum nepotes cum tumultuariis ratibus navi-
» giisque conflatis navigarent, ad Cassium montem ejecti
» templum eo loco dedicarunt. Jam vero socios Ili, qui Sa-
» turnus idem erat, Eloim quasi Saturnios appellarunt, qui
» ejusdem Saturni æquales etiam dicebantur. Porro Sadi-
» dum filium Saturnus, quod secus aliquid de illo suspica-
» retur, gladio suo jugulavit, manusque paternas extincti
» sanguine cruentavit, ac paulo post filiam quoque suam
» capite truncavit, ut reliqui omnes Dii hanc Saturni men-
» tem penitus obstupescerent. At Cœlus cum interim exula-
» ret, post aliquod temporis intervallum, Astarten filiam
» virginem cum duabus alii sororibus, Rhea nimirum ac
» Dione, summisit, quæ Saturnum fraude insidiisque tolle-
» rent. Verum Saturnus puellas amore blanditiisque captas,
» sorores ambas secum matrimonio copulavit. Quod ubi Cœ-
» lus audiisset, Fatum ac Pulchritudinem cum aliis sociis
» adversus eum expeditionem suscipere jussit, quam pariter
» utramque Saturnus illecebris delinitam apud se retinuit.
» Præterea, Cœlus, inquit, Deus Bætylia reperit, animatos
» lapides insolenti arte molitus. Cæterum, Astarte filias
» septem Titanidas, sive Dianas, Saturno peperit, simulque
» Rhea totidem filios, quorum postremus ut primum lucem
» aspexit, consecratus est. Quin etiam ex Dione quidem
» puellas, ex Astarte vero mares præterea duos Cupidinem
» Amoremque suscepit. Dagon autem, quod frumentum et
» aratrum invenisset, Aratrius Jupiter nuncupatus est. Sy-
» dyco, quem justum interpretamur, una ex Titanidis Æs-
» culapium genuit. Saturno præterea liberi tres in Peræa

» nati, Saturnus ejusdem cum Patre nominis, Jupiter Be- » lus, et Apollo. His propemodum æquales Pontus, Typho » et Nereus Ponti pater. Ex Ponto Neptunus ac Sido nas- » cuntur. Sidonis autem ea suavitas et elegantia vocis erat, » ut hymni modulate canendi artem princeps inveniret. A » Demaroonte Melicarthus et Hercules procreantur; moxque » Cœlus ad Demaroontis sese partes adjungens, Ponto, a quo » defecerat, denuo bellum movet. At Pontus Demaroontem, » qui magno impetu suos in fines incubuerat, in fugam ver- » tit; ille autem felicis fugæ gratia sacrificium vovit. Porro » Saturnus anno occupati regni altero supra tricesimum, » ubi Cœlum patrem mediterraneo quodam in loco structis » insidiis captum in potestatem habuisset, verenda ipsi juxta » fontes fluviosque circumfusos amputavit; quo loco Cœlus » idem postea consecratus est. Tum vero dispertitus ejus ac » dissipatus spiritus est, et sanguis e vulnere defluens in vi- » cinorum fontium ac fluviorum aquas distillavit. Locus » etiamnum ostenditur. » Hæ sunt cum Saturni, tum eorum, qui Saturni ætate vixerunt, decantati a Græcis ævi laudes egregiæ; quos etiam, princeps atque aureum hominum lingua discrepantium genus, ob jactatam illam veterum felicitatem, nuncupare solent. Verum noster hic scriptor interjectis quibusdam ita prosequitur. « Astarte vero, quæ » maxima nominatur, Jupiter Demaroon, et rex Deorum » Adodus, in ea regione Saturno consentiente regnarunt. » Astarte capiti suo, tanquam insigne regni, Tauri caput » imposuit : cumque terrarum orbem peragraret, lapsam de » cœlo stellam reperit, eamque in Tyro sancta insula con- » secravit; cæterum hanc ipsam Astarten Phœnices Vene- » rem esse memorant. At vero Saturnus, dum orbem lus- » trat universum, Minervæ filiæ totius Atticæ regnum tradit, » ac diræ pestilentiæ inclementia exitioque commotus, filium, » quem unum ex legitima uxore susceperat, Cœlo patri to-

» tum flammis consumptum immolat, tum sibi ipse verenda
» præscindit, sociosque omnes ad simile factum per vim
» adigit; nec multo post, Muth filium, quem ex Rhea ge-
» nuerat, vita functum consecrat, quem Phœnices modo
» Mortem, modo Plutonem appellant. Deinde Saturnus By-
» blum urbem deæ Baaltidi, quæ etiam Dione vocabatur,
» Neptuno autem et Caberis, Agricolis item et Piscatoribus
» Berytum dono dedit, ubi Ponti reliquias iidem consecra-
» runt. Taautus vero Deus cum jam ante Cœli imaginem ef-
» finxisset, mox Saturni etiam atque Dagonis cæterorumque
» deorum vultus, unaque sacros elementorum characteres
» expressit. Quin etiam insigne regni Saturno ejusmodi ex-
» cogitavit; oculos in vultu binos ac totidem in occipite,
» quorum duo placide connivere ac nictare viderentur: alas
» item singulis in humeris geminas, e quibus explicatæ duæ,
» duæ vero contractæ ac demissæ forent. Atque oculorum
» symbolo significatum volebat, Saturnum et dormiendo
» cernere, et dormire vigilando; alarum autem, eumdem
» et volare quiescendo, et volando quiescere: cæteris vero
» diis alas in humeris duas tantum attribuit, quippe qui Sa-
» turnum ipsum volando sequerentur. Ad ejusdem Saturni
» caput alas propterea geminas affinxit, quarum altera men-
» tis principatum, altera sentiendi vim indicaret. Saturnus
» autem cum in Meridiem venisset, Taautum Deum Ægypti
» universæ regem creavit. Atque hæc principes omnium, in-
» quit, Cabiri septem liberi Sydec, cum Æsculapio fratre
» octavo, ipsiusmet Taauti jussu, in commentarios tabulas-
» que retulerant. Thabionis autem filius, primus apud Phœ-
» nices ex omni memoria sacrorum interpres, eadem allego-
» riis quibusdam ementitus, cum rerum naturalium et eorum
» quæ passim hoc in mundo contingunt affectionibus con-
» juncta, Prophetis Orgia celebrantibus, et sacrificiorum
» mysteriorumque principibus tradidit. Qui deinceps ina-

» nem hanc ostentationem, quam omni ope omnique studio
» augere conati erant, suis quoque successoribus et initiatis
» reliquere. Horum unus Isiris quidam fuit, trium littera-
» rum inventor, frater illius Chnæ, qui primus postea Phœ-
» nix vocatus est. Quibus hæc deinde subjicit. At vero Græci,
» homines præ cæteris gentibus politi admodum et elegantis
» ingenii, primum quidem istorum pleraque sibi tanquam
» propria vindicarunt : sed cum aures atque animos fabula-
» rum voluptate permulcere vellent, novis eadem ac multi-
» plicibus postea commentorum quasi ornamentorum acces-
» sionibus supra modum exaggerarunt. Atque hinc Hesiodus,
» ac reliqui circulares Poëtæ, quorum fabellis omnia circum-
» sonant, propria sibi quædam Gigantum ac Titanum certa-
» mina, sectionesque alias confinxere. Quæ cum illi passim
» et ubique jactarent, veritatem ipsam tandem oppresse-
» runt. Aures vero nostræ jam inde ab infantia illorum fictio-
» nibus assuetæ, et opinionibus per multa sæcula propagatis
» occupatæ, quam semel accepere fabularum vanitatem per-
» inde ac depositum aliquod, ut statim ab initio dixi, cus-
» todiunt. Itaque quod ab ipso tempore vires ac robur acce-
» perit, possessionem ita confirmavit suam, ut eam excutere
» longe difficillimum sit, jamque veritas ipsa nugarum,
» adulterinæ vero ac spuriæ narrationes loco veritatis ha-
» beantur. » Verum satis ista sunto, quæ ex Sanchuniathonis operibus huc usque retulimus, quæ cum a Philone Byblio conversa græceque reddita sunt, tum Porphyrii philosophi testimonio tanquam vera comprobantur. Cæterum idem in eo, quem de Judæis scriptum reliquit, hæc præterea de Saturno commemorat. « Taautus ille, quem Thoth Ægyptii
» vocant, cum ingenti apud Phœnices sapientiæ laude flore-
» ret, quæ ad religionem cultumque deorum pertinebant,
» primus ex humilium ac plebeiorum capitum inscientia
» vindicata, eleganti et accomodato ad scientiæ leges ordine

»disposuit. Cui cum Surmubelus deus, et Thuro, quæ dein»ceps mutato nomine Chusarthis appellata est, longo ætatum intervallo successissent, occultam ipsius et allegoriarum involutam umbris theologiam illustrarunt. » Ac paulo post : « Hoc, inquit, apud veteres in more positum erat, »ut in summis reipublicæ calamitatibus, penes quos aut »civitatis aut gentis imperium esset, ii liberorum carissimi »ultoribus Dæmonibus jugulati sanguine quasi pretio, pu»blicum exitium pestemque redimerent. Qui vero tum ad »sacrificium devovebantur, eos mysticis quibusdam cere»moniis adhibitis jugulabant. Saturnus igitur, quem Phœ»nices Israelem nominant, quemque post obitum in astrum »ejusdem nominis consecrarunt, cum iis in locis regnaret, »ac filium unigenam ex nympha quadam indigena, quam »Anobretem vocabant, suscepisset, eumque propterea no»mine Jeüdem appellatum, quod ea vox apud Phœnices »unigenam etiamnum significet : cumque gravissimum belli »periculum universam in regionem incubuisset, illum ip»sam regio cultu ornatum ad aram ab sese prius erectam et »instructam immolavit. » Jam vero considera, cujusmodi ea sint, quæ idem ipse Philo ex Sanchuniathonis opere de Phœnicum elementis conscripto, græcis expressa verbis, de reptilibus quibusdam ac venenum jaculantibus animalibus commemorat; quæ cum nullam hominibus utilitatem afferant, tum pestem iis atque interitum creant, in quos tetrum illud suum et exitiale venenum excusserint. Sic igitur ad verbum ille. « Taautus quidem draconis serpentium»que naturæ divinitatem aliquam tribuebat; quam ejus opi»nionem Phœnices et Ægyptii postea comprobarunt. Enim»vero genus hoc animantis præ cunctis reptilibus, vi et »copia spiritus abundare docet, ejusque naturam igneam »esse, quod etiam propterea celeritatem, inquit, præ se »fert omni exceptione majorem, cum neque pedum, neque

»manuum, neque alterius cujusquam exterioris membri »adminiculum habeat, cujusmodi sunt, quibus ad motum »reliquæ animantes uti solent. Præterea varias ac multipli- »ces corporis formas ostendit, ac sinuosis intortum spiris, »sese quam libuerit incitato vibrat impetu. Diuturnæ ad- »modum vitæ est, nec solum exuto senio juvenescit, verum »etiam majora corporis simul et virium accipit incrementa, »donec tandem confecto certo quodam annorum curriculo »in seipsum iterum dissolvatur, quemadmodum in sacris »etiam tabulis idem Taautus scriptum reliquit. Id quod in »causa fuit, cur hoc animantium genus in sacris pariter »atque mysteriis adhiberi soleret. De hoc autem in com- »mentariis, quos Ethothia inscripsimus, pluribus a nobis »disputatum est, ubi ipsum immortale esse, et in sese de- »nuo, quemadmodum ante dicebam, resolvi demonstravi- »mus. Nec enim hujusmodi animal, nisi vi quadam percus- »sum ante fuerit, morte naturali extinguitur. Atque illud »quidem Phœnices bonum Dæmonem, Ægyptii vero Cne- »phum similiter nuncuparunt, eidemque caput accipitris »ob præcipuam quamdam hujus volucris agendi vim addi- »derunt. Quin etiam Epeis ille, qui summus ab iis sacro- »rum interpres et scriba nominatur, quemque Arius Hera- »cleopolites græca lingua donavit, sic ad verbum allegorice »rem istam exposuit : Unus omnium maxime divinus erat »serpens ille, qui accipitris formam præ se ferebat, idem- »que aspectu jucundissimus : quippe enim, ubi oculos ape- »ruisset, continuo primigeniæ suæ regionis loca omnia luce »complebat : sin autem conniveret, illico tenebræ succede- »bant. Ac natura quidem igneum illum esse vi ipsa verbi »διηύγασεν, id est, illustrabat, Epeis manifeste declaravit : »lucis enim, τὸ διαυγάσαι, hoc est illustrare, proprium est. »Pherecydes autem, occasione ex Phœnicibus arrepta, »theologicam de illo numine quod Ophionem ipse nuncu-

»pat, deque Ophionidis instituit disputationem; nos autem »de illis aliquid etiam postea subjiciemus. Cæterum Ægyp»tii mundum eodem consilio depingentes, rotundum circu»lum aërio colore, flammisque sparsum exprimunt, cujus »in medio serpens extentus accipitris forma collocatur. Ac »tota quidem figura græco theta [1] persimilis est, ita nimirum, »ut circulo mundum exhibeant, serpente autem medio il»lum utrinque conjungente, bonum Dæmonem significent.» At vero Zoroastres magus in sacro Persicorum rituum commentario, hæc totidem verbis habet. «Deus autem est Ac»cipitris capite, princeps omnium expers interitus, sempi»ternus, sine ortu, sine partibus, maxime dissimilis, omnis »boni moderator, integerrimus, bonorum optimus, pruden»tium prudentissimus, legum æquitatis ac justitiæ parens, »se tantum præceptore doctus, naturalis, perfectus, sa»piens, et sacræ vis physicæ unus inventor.» Eadem insuper Ostanes de illo tradit in eo, quod Octateuchum inscripsit, volumine. Reliqui autem omnes, principem illum secuti, de rerum natura, quemadmodum ante dictum est, philosophati sunt: ac primis elementis serpentium forma, in templis quæ construxerant solenni ritu dedicatis, cum sacrificia, tum festos quoque dies, et orgia celebrarunt, quod illos deorum maximos esse, rerumque omnium principes ac moderatores putarent. Verum hæc de serpentibus modo satis.

Hujusmodi ergo est Phœnicum Theologia, quam ut irretortis oculis fugiamus, ac priscorum vesaniæ medicinam persequamur, salutaris Evangelii doctrina præcipit. Nam quod ista omnia nec fabulæ sint, nec commenta Poëtarum, quæ latentem nescio quam in intimis sensibus contemplationem involvant: sed potius vera sapientium ac veterum, ut ipsi quidem appellant, theologorum testimonia, quæ res

[1] Θ.

omnibus et poëtis et ſabularum scriptoribus antiquiores complectantur, fidemque arcessant cum ex illa ipsa, quæ in Phœnicum urbibus ac pagis etiamnum celebratur deorum appellatione atque historia, tum ex iis, quæ apud singulos peraguntur, mysteriis, quivis opinor intelligit: nihil ut jam necesse sit coactas rerum istarum physicas explicationes perscrutari, cum certissimis quæ sponte ac per se ipsas illæ suppeditant, argumentis indiciisque teneantur. Hæc ergo de Phœnicum Theologia dicta sunto. Jam enim tempus est, ut ad Ægyptiorum sacra doctrinamque transeamus.

LIBER SECUNDUS.

PROOEMIUM.

Hujusmodi ergo sunt, quæ Phœnicum theologia continentur, quæ quidem sic, ut nusquam omnino respiciamus, fugienda nobis esse, priscorum autem vesaniæ curationem studiose persequendam, salutaris Evangelii doctrina præcipit. Enimvero quod ista nec fabulæ sint, nec commenta poëtarum, quæ latentem nescio quam reconditis in sensibus contemplationem involvant; sed potius vera sapientium ac veterum, ut ipsi quidem loquuntur, theologorum testimonia, quæ res omnibus et poëtis, et fabellarum scriptoribus antiquiora complectantur, sibique fidem arcessant cum ab illa ipsa, quæ in Phœnicum urbibus ac pagis etiamnum retinetur, Deorum appellatione atque historia, tum ex iis, quæ apud singulos antiquo ritu celebrantur mysteriis, quivis, opinor, ex communi tam reliquorum auctorum, quam eorum etiam, qui pro theologis habentur, consensu intelligat. Siquidem ex eo constat, veteres illos, qui res ad Deorum naturam ac religionem pertinentes omnium primi collegere, nihil penitus vel ad morum informationem, vel allegoricos fabularum sensus referre, sed in nuda ac simplici narrationis ipsius historia constanter hærere voluisse. Hoc ipsissima eorum, quos laudavimus, omnium verba declarant, nihil ut jam necesse sit, coactas rerum istarum physicas explicationes indagare, cum certissimis, quæ sponte ac per se ipsas illæ suppeditant, argumentis indiciis-

que teneantur. Hæc igitur de Phœnicum theologia dicta sunto. Jam vero tempus est, ut ad Ægyptiorum sacra doctrinamque transeamus, ut perspectum omnes et exploratum habeant, num absque diligenti ac matura deliberatione ab iis quoque discedendum nobis esse statuerimus, nostrumque hoc consilium non aliunde quam ex ipsamet Evangelica demonstratione petitis rationibus, primum quidem Ægyptiis, tum reliquis deinceps omnibus, qui cum iis opinionibus erant sententiisque conjuncti, probatum fauste ac feliciter evenerit. Ac Manethus quidem Ægyptius historiam illorum universam græcis litteris fuse admodum explicavit, præsertim vero quæ ad ipsorum theologiam pertinebant, cum in sacro volumine, tum aliis quibusdam operibus comprehendit. Sed quoniam Diodorus, is quem antea commemoravimus, qui diversas ex pluribus collegit historias, singularumque ritus, quam accuratissime fieri potuit, complexus est, vir sane clarissimus, opinionemque doctrinæ non exiguam apud omnes politioris litteraturæ studiosos consecutus, sic totam in unum veluti corpus veterum historiam coegit, sequentia cum prioribus apte connectens, ut ab illa Ægyptiorum theologia operis universi principium duxerit: operæ pretium me facturum arbitror, si ex eadem, quæ ad propositam nobis disputationem faciunt, deprompta in omnium oculis ac luce constituam, quod Græci homines sæpius in hujus auctoris lectione versentur. Hæc igitur ad verbum ille commemorat.

CAPUT PRIMUM.

Theologiæ Ægyptiorum epitoma : et quemadmodum ad Græcos inde transierit.

« Aiunt, *inquit*[1], Ægyptii sub primum hujus universitatis ortum, primos etiam homines in Ægypto procreatos » fuisse, partim ob singularem quamdam totius regionis temperationem, partim ob ipsius Nili naturam : illum enim, » quod fœcundus admodum sit, ac cibos ultro sponteque nascentes præbeat, facile genitas animantes alere. Jam vero » deos ipsos, cum homines quoque mortales fuissent, tamen » propter sapientiam, et communia quædam in hominum » genus merita, immortalitatem consecutos esse, quorum » etiam aliqui in Ægypto regnaverint. Eorum alios, si interpretari lubeat, ejusdem cum cœlitibus nominis fuisse, » alios propriam quamdam appellationem sibi vendicasse : » atque inter eos Solem, Saturnum, Opem, ipsumque præterea Jovem, qui Ammon a quibusdam nuncupatur : Junonem item atque Vulcanum, Vestam, postremumque » Mercurium. Ac Solem quidem, cœleste sidus nomine referendum Ægypti regnum principem tenuisse, quanquam » e sacerdotibus nonnulli volunt, Vulcanum illum ignis inventorem primum regem numerandum esse, cui Saturnus » in imperio successerit, exque Ope sorore, quam in uxorem ipse duxerat, vel Osirin et Isin, ut scribunt aliqui, » vel, ut plures asserunt, Jovem Junonemque susceperit, » qui orbi postmodum universo propter eximiam virtutem » imperarint; Deos autem quinque genuerint, Osirin, Isin,

[1] Diodor. lib. I.

» Typhonem , Apollinem ac Venerem. Et Osirin quidem » Bacchum esse, Isin vero Cererem, quam cum ille secum » matrimonio conjunxisset, regnumque capessisset, cum » plurima ab eodem beneficia in Rempublicam esse collata, » tum urbem in Thebaide centum instructam portis, ædifi- » catam, quæ ab aliis civitas Jovis, ab aliis Thebæ nomine- » tur. Jovi præterea Junonique parentibus sacram ædem, » itemque Diis cæteris aurea templa excitata, quibus singu- » lis cum certos quosdam honores, tum etiam in quos eo- » rum cura incumberet, sacerdotes attribuerit. Porro eum- » dem Osirin vitem invenissse tradunt, primumque vino usum » esse, ac reliquos omnes populos agriculturam docuisse. » Apud eum autem summo in honore Mercurium fuisse, » quod in excogitandis iis, quæ vitam hominum juvare pos- » sent, ingenii solertiam ostenderet plane singularem : » quippe qui litteras invenerit, deorum sacrificia rite insti- » tuerit, lyræ cantum repererit, Græcosque homines τὴν ἑρ- » μηνείαν, hoc est, elocutionem docuerit, quam ob causam » Ἑρμῆς id est Mercurius ab iisdem fuerit appellatus; denique » olivæ plantam invenerit. Jam vero, cum orbem terrarum » Osiris peragraret, Phœniciæ quidem Busirim, Æthiopiæ au- » tem ac Libyæ Antæum ab eo præfectum esse : at illum ex- » peditionem Apolline fratre socio suscepisse, a quo reper- » tam Laurum esse ferunt. Osirim præterea duos liberos ex- » peditionis suæ comites habuisse, Anubin, et Macedo- » nem; iisque Panem adjunxisse, quem præcipua quadam » Ægyptii veneratione prosequantur, cujus etiam nomine » Panos urbem ædificarint. Dum autem circa Taphosirin ver- » saretur, adductos ad eum Satyros fuisse : quodque suavi- » tate cantus in primis delectaretur, musicorum ab eo mul- » titudinem circumductam, quorum e numero novem quo- » que virgines canendi peritissimæ nec minus ab aliarum » rerum doctrina paratæ fuerint, quas Græci Musas appel-

» lant, quibus Apollo præesset. Porro cum nullus populus » Osirin, propter accepta ab eo beneficia, non quasi Deum ex- » ciperet, plurima sui passim eumdem monumenta reliquisse, » urbesque non paucas in India condidisse, alias item circa » Phrygiam obiisse nationes, ac per Hellespontum in Euro- » pam trajecisse; quin etiam ex filiis Macedonem Macedoniæ » regem creasse, Triptolemo vero colendorum Atticæ regio- » nis agrorum curam provinciamque mandasse; tandemque » rebus subductum humanis, Templa, ac cæteros qui Diis » tribui solent honores eximios ab Iside ac Mercurio conse- » cutum esse; qui ejus non modo sacrificia religionesque » docuerint, sed etiam pleraque mysteriis involuta ipsius in » gratiam excogitarint. Cæterum a Typhone fratre, homine » conscelerato et impio, interfectum illum fuisse tradunt, » qui cum ejus cadaver in sex et viginti partes concidissset, » eas in sicarios totidem cædisque fraternæ socios diviserit, » quod omnes immani piaculo obstrictos esse vellet. Isin au- » tem, quod Osiridis et soror et uxor esset, operam ei suam » navante Oro filio, parricidium ultam esse, cumque Ty- » phonem ac reliquos sceleris administros, circa eum, qui » nunc Antæi pagus nominatur, sustulisset, toti Ægypto im- » perasse. Præterea, cum omnia corporis illius membra præ- » ter verenda reperisset, partes singulas, in singulas item » hominis effigies, quæ Osirin magnitudine referebant, ex » aromatibus ceraque conflatas inclusisse, easque sacerdoti- » bus tota passim Ægypto colendas tradidisse, sic ut ex iis, » quæ apud illos nascerentur, animantibus, quodcumque » visum esset, consecrarent: Tauros autem, qui sacri di- » cuntur, quosque Apin ac Mnevin ipsi vocant, dedicatos ab » iisdem fuisse. Itaque ut ejusmodi animantes divinis hono- » ribus omnes Ægyptii venerarentur, ubique constitutum, » quippe quos primis frumenti inventoribus, tam ad semen » terræ committendum, quam ob cæteros agriculturæ labo-

» res, ante omnes usui fuisse constaret. Porro eamdem Isin
» jurejurando confirmasse aiunt, nullius sese viri consuetu-
» dinem in posterum admissuram; vitaque functa cum esset,
» immortales etiam honores consecutam, ac circa Mem-
» phin sepultam fuisse. Jam vero cum reperta Osiridis mem-
» bra, eum in modum, quem paulo ante commemoravimus,
» sepulturæ mandata essent; tum ipsius verenda, quæ a Ty-
» phone projecta in fluvium erant, Isidem nihilominus quam
» cætera divino cultu prosecutam esse ferunt. Nam et illo-
» rum in templis simulacrum erexisse, ritusque ac ceremo-
» nias, cum legitimis ac solennibus hujus Dei sacrificiis
» summa cum religione celebranda curasse. Quamobrem
» ipsos quoque Græcos, qui ab Ægyptiis orgiaca sacra cum
» Bacchi festis acceperint, membrum illud tam in Mysteriis,
» quam in istius numinis initiationibus atque sacrificiis phalli
» nomine venerari solitos esse. Enimvero, qui Thebis Bœo-
» tiæ Deum illum ex Jove ac Semele natum esse dicant, id
» temere ac leviter effutire. Quippe, Orpheum, cum in
» Ægyptum commigrasset, iisque sacris initiatus in ipsorum
» quoque Bacchi mysteriorum partem ac societatem ve-
» nisset, propter eam, quæ sibi cum Cadmeis intercedebat,
» amicitiam, quosque ab illis honores acceperat, numinis
» illius ortum in ipsorum gratiam transtulisse : multitudinem
» autem, partim ignoratione veritatis, partim quod hunc
» Deum genere Græcum haberi vehementer optaret, ejus-
» dem cum initiandi ritus, tum etiam mysteria studiose ac
» libenter admodum esse complexam. Cæterum Orpheo,
» transferendi ortus numinis, ejusmodi ansas et occasiones
» fuisse. Cadmum videlicet Thebis Ægyptiis oriundum, cum
» aliis aliquot liberis Semelem quoque genuisse, hanc vero
» a nescio quo forte constupratam, post septem a conceptu
» menses infantem peperisse, ei, quem apud se natum Ægyp-
» tii prædicant, Osiridi persimilem : Cadmum vero infantis

» mortui cadaver auro convestiisse, eique solemnes sacrificiorum ritus instituisse, ac demum ipsius procreationem Jovi assignasse, hoc utique consilio, ut cum Osiridi majestatem conciliaret, tum ipsam quoque matrem a stupri oblati infamia liberaret. Hunc igitur in modum sparsam illam apud Græcos de Osiride famam esse, quod eum ex Jove Semele Cadmi filia suscepisset, qua fabularum scriptores omnia postmodum Theatra compleverint, eoque tandem factum esse, ut constans ejus et inconcussa fides posterorum mentibus insideret. Quin etiam Græcos, ut verbo dicam, celeberrimos quosque aiunt Ægyptiorum Heroas atque deos sibi tanquam proprios vindicasse. Nam Herculem etiam, Ægyptius genere cum esset, ac singulari fortitudine præditus, magnam orbis terrarum partem obiisse; eumdem tamen quasi Græcum a Græcis prædicari, tametsi longe ab altero quodam Hercule diversum, quem in Græcia multis post sæculis Alcmena peperit. Addunt Perseum quoque lucem in Ægypto primum aspexisse; et ipsiusmet Isidis originem a Græcis hominibus translatam Argos fuisse, qui hanc ipsam, Io bovis in figuram aliquando mutatam esse fabulentur; cum eamdem tamen Isin alii, alii Cererem, Thesmophoron, hoc est, Legiferam alii, nonnulli Lunam, alii denique Junonem esse opinentur. Osirin autem a quibusdam Serapin, Bacchum ab aliis, a nonnullis Plutonem, ab aliis Ammonem, vel Jovem, vel Pana existimari. Jam ab Iside remedia pleraque, ipsamque adeo Medicinæ artem inventam esse tradunt, ac simul immortalitatis pharmacum; cujus illa vi Orum filium quem Titanum insidiis exceptum, ac mortuum in aquis repertum, non tantum in lucem reddito animo revocaverit, sed etiam immortalitate donarit. Porro hunc Orum, qui deorum novissimus est, in Ægypto regnasse, ejusque nomen, interpretari si velis, Apollinem significare; qui quod ab Iside

» parente medendi, ac vaticinandi artem didicisset, edendis » oraculis morbisque sanandis optime de hominum genere » mereatur. Est autem hæc communis plurimorum existima- » tio, gigantas quosdam immani vastaque mole corporis, ac » prodigioso quodam instructos apparatu, Jovem Osirinque » deos, Isidis temporibus bello lacessivisse. Ex eo denique le- » gem illam Ægyptiorum de matrimonio cum sororibus in- » eundo fluxisse volunt, quod Osiris primus Isidem sororem » in uxorem accepisset. » Atque hujusmodi sunt, quæ de hominibus in Deos consecratis Ægyptiorum historiæ prodiderunt. Jam vero de animalium consecratione hæc ab iisdem fere trahi solent. Quibusdam sane placet, qui ab initio Dii fuerint, cum, ob paucitatem, hominum terrenorum partim multitudine partim impietate opprimerentur, eos animalium ratione carentium forma tectos periculum declinasse, eorumque naturas, quorum mutuati similitudinem fuerant, ut aliquam ob acceptæ salutis beneficium gratiam referrent, consecrasse. Alii vero sic existimant, quod in certaminibus adversum hostes initis, earum animantium, quas ipsi nunc venerantur arte elaboratas imagines, summis in capitibus exercitus duces ac principes, sic tanquam imperii monumentum aliquod et insigne, gestassent, partis postmodum victoriis, illas ab iisdem, quasi victoriam peperissent, Deorum in numerum relatas fuisse. Postremo sunt, qui tertiam cultus ejusmodi causam preferant, utilitatem eam, quam ex hoc animantium genere perciperent. Quippe, bovem enim fœminam non parere modo, sed etiam arare; ab ovibus autem fœtus, vestes, lactis, caseique alimentum suppeditari: canem usui cum ad venationem, tum ad custodiam hominibus esse; quam ob causam, Deum illum, quem Anubin nominant, canino esse capite, ut eum Osiridis et Isidis prætorianum fuisse militem significent. Quanquam non desunt, qui velint, Isidem, quo tempore Osirin quæreret,

præeuntes secum duxisse canes, qui feras et obvium quemque summoverent. Porro felem quidem adversum aspidas, reliquosque serpentes, qui morsu venenum infundunt, perutilem esse; ichneumonem autem non modo crocodilorum ova conterere, sed etiam crocodilos ipsos extinguere, quod in cœno ante volutatus, in hiantia ipsorum ora insiliat, quæque ventre continentur intestina corrodat. Ex avibus etiam, plurimum ibin contra serpentes, locustas, et erucas opis auxiliique conferre; nec minus accipitrem contra scorpiones ac cerastas, minorumque bestiarum vulgus, quæ morsu pestem et interitum afferunt, cum eidem præterea multum in auguriis divinationibusque tribuatur: aquilam denique, quod regium aliquid præ se ferat, venerationi esse. Jam, hircum ipsum quoque tanquam Deum ab illis habitum fuisse, nihilominus quam Priapum a Græcis, ob membrum corporis ad generationem comparatum: quippe hoc animantis genus in venerem pronum admodum esse atque propensum: illam vero partem corporis, cui debetur generatio, quod potissimum animalium naturæ principium sit, non sine ratione coli. Et sane partem istam, si in universum loqui placet, non ab Ægyptiis modo, sed ab aliis etiam plerisque gentibus in sacrorum initiis, utpote causam generationis animantium esse consecratam: ipsosque adeo Sacerdotes, qui patrium in Ægypto Sacerdotium hæreditario quasi jure accipiant, Numinis hujus mysteriis initiari. Quinetiam et Panas et Satyros aiunt eamdem ob causam venerationem ab hominibus consecutos esse, quorum simulacra plerique, magna cum hircorum natura similitudine, in templis arrigentia dedicarint, quod nimirum hoc animal salacissimum habeatur. Sacros tauros Apin ac Mnevin quod attinet, divinos ipsis honores concedi, partim quod arandæ terræ serviant, partim quod iis ipsarum quoque frugum inventio tribuatur. Lupos vero similiter coli,

non modo propter eam, quam habent cum canibus naturæ affinitatem, sed etiam quod olim, inquiunt, Iside cum Oro filio adversus Typhonem dimicatura, filio simul et uxori suppetias ab inferis excitatus et lupi forma tectus Osiris tulisset. Quanquam alii tradunt, Æthiopes, cum in Ægyptum incubuissent, a luporum multitudine pessime vexatos et in fugam actos fuisse, id quod etiam in causa fuerit, cur ea regio Lycopolitana diceretur. Crocodilorum venerationem institutam esse, quod eorum metu Arabiæ Libyæque latrones Nilum transmittere non audeant : et unum quidem suis e Regibus, ut canum suorum impetum ac rabiem effugeret, cum in paludem confugisset, a crocodilo quodam præter expectationem leniter exceptum, atque in ulteriorem ripam transvectum fuisse. His alias quoque brutorum animalium cultus rationes adjiciunt. Enimvero, cum a Regibus olim multitudo defecisset, jamque de tollendo funditus regio dominatu conspiratione facta cogitaret, id ab aliquo solerter inventum, uti varios illis ac discrepantes colendorum animantium ritus traderet, ut cum singulis suos quique animantes et religiose colerent, et consecratos ab aliis repudiarent, nunquam universæ totius Ægypti Præfecturæ in mutuam consiliorum voluntatumque societatem et conjunctionem venire possent. Jam, ubi animalium istorum aliquod extinctum est, ipsum linteo opertum sacris in thecis cum ingenti luctu planctuque sepeliunt. Quod si quis eorum quodpiam sponte dataque opera occiderit, morte damnatur. Felem autem vel ibin quisquis sive prudens, sive imprudens peremerit, circa veniam omnem capitis supplicium luit. Præterea, quacumque in domo extinctus canis repertus fuerit, corpus totum ad cutem usque radentes in luctu versantur universi; ac licet vinum aut frumentum, aut aliquid aliud necessariæ victum annonæ repositum in ædibus illis fuerit, eo tamen sibi nemo pror-

sus uti fas in posterum esse arbitratur. Cæterum Memphi quidem Apin, Mnevin autem in Solis civitate alunt; Mendæ hircum, crocodilum in Myridis palude, cæteras bestias in sacrorum quorundam septorum ambitu, quibus similam, aut elixum lacte chondrum ac placentas omnis generis cum anserinis carnibus partim elixis, partim assis objiciunt. Iis autem, quæ cruda vescuntur, aves obtrudunt quamplurimas, fœminasque pulcherrimas cum singulis maribus enutriunt, quas pellices nominare solent. At vero Api magnifice post mortem consepulto, alterum ei persimilem quærunt; eoque reperto, metu populus universus luctuque liberatur. Vitulus autem primum in Nili civitatem ducitur, ac tum quidem solis mulieribus eum videre licet, quæ coram sistentes sese reductis vestibus honestas ipsi partes ostendunt, ac deinceps ab omni prorsus ejusdem Numinis aspectu excluduntur. Hujus autem in corpus Osiridis vita functi animum transmigrasse aiunt. Hæc illa est Ægyptiorum Divinitatis omnis ejectio potius, quam theologia, eo usque infamis certe quidem, ut vel eam argumentis oppugnare turpe videatur. Hanc nos jure sane ac merito respuendam nobis repudiandamque putavimus, qui tamen non alia tantorum malorum scelerumque tyrannidem, quam salutaris unius et Evangelicæ doctrinæ vi excussimus, quæ mente animoque cæcis videndi facultatem feliciter annuntiat. Quod superest, illas quoque rerum naturalium rationes, quarum honestiorem paulo speciem infandis religionibus obtendunt, postmodum expendemus, si tamen prius de Græcorum etiam rituum superstitione disputaverimus. Enimvero, cum unum aliquod veluti corpus hunc in modum extitisset, ex permixta Phœniciarum Ægyptiarumque fabellarum varietate conflatum, mirum sane videri non debet, si erroris antiqui superstitio perdiu fuerit apud gentes plerasque dominata. Sic igitur, quomodo ante narravi,

egregia sese Ægyptiorum commenta fabulæque habuerunt. Nunc ut de Græcis aliquid dicamus, ordo postulat. Et quanquam istas aliud esse nihil, quam fragmenta quædam, invectasque perperam et alieno sensu veterum illarum interpretationes, ipsamet jam sæpius laudatorum scriptorum auctoritate judicioque ostendimus; id ipsum tamen producta in lucem Græcorum hominum theologia clarius apparebit: quippe qui in suis illis de universo Deorum genere commentariis, proprium domesticumque proferant nihil, sed in exterorum figmenta populorum incidant, partimque simulacris omnino similibus, partim iisdem quoque mysteriis uti convincantur; quemadmodum ex eorumdem historia quivis auferre potest, quam ipsemet Diodorus, cujus non semel ante memini, tertio quartoque volumine citati operis, quo varias unum in corpus Bibliothecas collegit, fuse prosequitur, eam a Cadmi ætate auspicatus. Hunc vero Cadmum post Moysen natum esse, accurata temporum serie ac successione manifeste comprobatur, ut suo loco ostendemus Ex quo proinde, Græcorum Numinibus antiquiorem fuisse Mosen, certa ratione conficitur, cum is ætate Cadmum antecesserit, post quem Græcorum Deos in lucem editos fuisse constat. Sed ipsissima ejusdem auctoris verba jam audi.

CAPUT SECUNDUM.

Eorum epitoma, quæ de Græcorum Diis et Heroibus fabulose conficta sunt.

« Cadmum Agenoris filium memorant [1], ex Phœnicia, jussu » regis, Europæ quam Jupiter rapuerat quærendæ gratia

[1] Diodor. lib. IV.

» profectum esse : hanc vero quod reperire non potuisset, in » Bœotiam venisse, quæque ibi sitæ sunt Thebas condidisse, » ac Semelen cum ejusdem sororibus ex Harmonia Veneris » filia, quam uxorem duxerat, suscepisse. At cum a Jove, » qui secum rem habuerat, vehementer Semele petiisset, uti » ejus in posterum consuetudine, qua Junonem convenie- » bat, frui sibi liceret, eum majestate plane divina cum to- » nitru ac fulguribus accessisse, quorum illa vim cum susti- » nere non posset, quem utero fœtum gestabat abortivum » effudisse, flammaque cœlesti conflagrasse. Jupiter autem, » inquiunt, exceptum infantem Mercurio tradidit, a quo in » quoddam Nysæ antrum Phœniciam inter Nilumque delatus » est. Hic ergo Bacchus Nympharum studio et opera educa- » tus, vini usu reperto, vineæ simul plantandæ rationem » homines docuit, potusque genus, quod ex hordeo confi- » citur, zythumque (hoc est cervisia) nominatur, invenit. » Idem exercitum ex viris mulieribusque conflatum circum- » ducens, pœnas a facinorosis et impiis expetivit. Quod au- » tem is triennium in Indica expeditione posuisset, Græci » Trieterica sacra ejus in honorem instituere, cum per illud » tempus Bacchum sese hominibus spectandum præbere so- » litum putarent. Cæterum divinos honores propter vini mu- » nus, quemadmodum Ceres ob inventi frumenti benefi- » cium, ab universo hominum genere impetravit. Jam, » alium præterea Bacchum fuisse tradunt, qui hunc longo » ætatum intervallo præcesserit, quemque Sabazium non- » nulli vocant, Jovis ex Proserpina filium. Hujus non ortus » modo, sed etiam sacrificia, ritusque nocturni ac laten- » tes, quod perpetuus veluti comes ad concubitus fœdi- » tatem pudor adhærescat, ab illis invehuntur. Eum quoque » jugandorum boum rationem primum excogitasse aiunt, » ideoque cornua ejusdem simulacris affigunt. At vero ju- » niorem alterum ex Semele natum, corporis mollitie luxu-

» que diffluentem, specie formaque præstitisse, atque in res » venereas pronum admodum ac proclivem fuisse comme» morant. In bellicis autem expeditionibus mulierum tur» bam circumducebat, a quibus hastæ frondibus tectæ fe» rebantur. Quinetiam addunt, Musas virgines, eximia re» rum plurimarum scientia præditas, itinerum ejus comites » fuisse, quæ Bacchi animum partim suavitate cantus, par» tim saltationis elegantia et concinnitate recrearent. Ei» dem Silenum pædagogum attribuunt, cujus ex præceptis » maxima caperet ad virtutem adjumenta. Porro, mitra qui» dem revinctum illum caput habuisse ferunt, adversus acu» tos capitis dolores, quos ex immoderato vini haustu pate» retur : Bimatris vero cognomentum accepisse, quod ex » uno quidem patre, sed ex matre gemina Bacchi duo nati » essent. Ferulam quoque in manum ipsi dare solent, quod » cum prisci homines assiduo meri usu in rabiem ac furo» rem acti, sese baculis ita mutuo cæderent, ut ex plagis in» teritus aliquando sequeretur, lignorum loco Bacchus eos » ferulis uti docuerit. Eum præterea volunt Bacchum qui» dem a Bacchis mulieribus nominatum esse, Lenæum au» tem quasi Torcularium, quod in torcularibus uvæ calcen» tur, Bromium denique quasi sonorum ob ingentem illum » fragorem, qui cœlitus in ipsius ortu contigerat. Ad extre» mum satyros etiam passim ab illo circumductos, qui eum » saltationum et tragœdiarum oblectatione ac voluptate mul» cerent, adeoque Theatrum ipsum, cum iis quæ ad plenam » ac numerosam variorum concentuum integritatem perti» nent, excogitatum fuisse. Atque hæc de Baccho Græci » prodiderunt.

» Jam vero Priapum ejusdem Bacchi Venerisque filium » esse tradunt, quod homines vino madidi naturali quo» dam in obscenam voluptatem impetu arrigere consue» verint. Quanquam aliis placet, honestum corporis hu-

» mani membrum a veteribus priapum in fabulis appellatum » esse : alii vero malunt, idem ipsum quod humanæ generationis causa sit, immortales honores ex omni sæculorum » memoria consecutum fuisse : quemadmodum etiam Ægyptii ferunt Isidem cum, in investigandis Osiridis membris » occupata, veretrum unum ex omnibus reperire non posset, » divinum ei cultum instituisse, et arrectum ejus simulacrum in templo consecrasse. At enim apud Græcos non » tantum in Bacchi sacris et initiis, verum et in cæteris quoque omnibus hoc numinis genus, in sacrificia cum risu ac » jocis inductum, certo quodam honore prosequuntur. Persimilis huic Hermaphroditus; cui, quod Herme et Aphrodite, hoc est Mercurio ac Venere satus esset, hoc nominis » tribuere. Ac nonnulli quidem statis quibusdam temporibus » Deum istum inter homines apparere, virilique simul ac » muliebri sexu procreari scribunt : alii contra, quod ejusmodi hominum ortus perraro contingant, eos in prodigiorum loco habitos, res nonnunquam adversas, aliquando » secundas prænuntiare defendunt. Præterea Musas alii Jovis ac Mnemosynes, alii Cœli Terræque filias esse volunt : » easdem virgines fuisse plerique fabulantur, Musarumque » nomine appellatas, quod homines ipsos μυεῖν, id est honesta docere, putarentur. De Hercule autem in hunc fere » modum Græci loquuntur. Perseum quidem ex Jove et Danae Acrisii filia procreatum, Electryonem ex Andromeda » suscepisse, qui Alcmenam postea genuerit : Alcmenam » vero Jovi, qui noctem in suo complexu cum tribus noctibus æquaverat, Herculem peperisse. Et quidem solum » hunc ex omnibus Jovis congressum, non ex amatoria cupidine ut cæteros, quibus rem cum aliis mulieribus habuerat, sed ex singulari quadam ac præcipua suscipiendæ » sobolis cupiditate profectum esse. At Juno zelotypia flagrans, cum Jovem diserte prædicantem audiisset, futurum

» ut qui eo die nasceretur, is Persidarum gener imperaret, Alcmenæ partu qui maturus jam erat inhibito, Eurystheum in lucem ante legitimum nascendi tempus eduxit. » Quin etiam Alcmena Junonis metu sublatum infantem exposuit; Pallas autem ejusdem admiratione capta, Junonem ipsam ut mammam illi præberet, adduxit, quam ubi » vehementius quam ætas ferre videbatur infans attraxisset, » Juno doloris impatiens eum projecit, Pallas vero susceptum ut mater aleret sua adhortatione perfecit. Nec multo » post geminos dracones qui puerulum deglutirent Juno summittit : at ille nihil territus alterum dextera, sinistra alterum eliso gutture suffocavit. Cum autem virilem Hercules » ætatem attigisset, Euristheus qui tum Argis imperabat, » certamina duodecim ei conficienda præscribit, eumque » dum ingenti rerum difficultate anxius ac perturbatus hæret, immisso furore Juno de mentis potestate dejicit. Ergo » vi morbi animum in dies altius pervadente, cum jam nullum amplius rationis sensum haberet, socium ac nepotem » Jolaum interficere conatus, cumque is sese fuga subduxisset, liberos ipse suos ex Megara Creontis regis filia susceptos sic tanquam hostes sagittis confecit. Postea sibi paulatim mentique redditus suæ, ex imperatis ab Eurystheo certaminibus duodecim victor evasit, ac Centauros » ipsumque adeo Chironem Medicinæ arte florentem occidit. Cæterum, peculiare ac singulare quidpiam hujus in » numinis procreatione contigisse narrant : quippe, Jovem » enim, ut cum Niobe Phoronei filia mortalium omnium mulierum principe, ita cum Alcmena Herculis parente omnium postrema rem habuisse, et in ea, quam post Nioben decimam sextam generationis ordine numerant, finem » cum mortalibus congrediendi fecisse. Porro, cum e suis » illis expeditionibus victor Hercules rediisset, Megaram » uxorem, ob acerbam liberorum, quos illa sibi pepererat,

»calamitatem, matrimonio cum Jolao nepote conjunxit : »ipse vero cum expetitam ad nuptias Jolen ab Euryto patre »non impetraret, in morbum incidit, quo ita demum se li- »beratum iri ex Oraculo intelligit, si prius sese venundatum »voluntariæ servituti manciparet. Igitur in Phrygiam navi- »gatione suscepta, ab uno quodam ex amicis venditus, Om- »phalen eorum, qui tum quidem Mæones vocabantur, nunc »vero Lydorum nomen habent, reginam dominam sortitus »est : ac primum servitutis suæ tempore filium ex ancilla »quadam genuit, nomine Cleolaüm; mox ubi Omphalen ip- »sam in conjugem duxisset, liberos ex ea quoque suscepit. »Inde repetita Arcadia, posteaquam Lei Regis filiam, a quo »exceptus hospitio fuerat, clandestino concubitu gravidam »effecisset, continuo rediit. Tum extincto jam Meleagro »Dejaniram Œnei filiam uxorem ducit, idemque postmo- »dum cum Phylei cujusdam filia, quam bello ceperat, con- »greditur, ex eaque Tlepolemum generat. Cum autem apud »Œneum aliquando cœnaret, eum, qui mensæ ministrabat, »quod nescio quid ministerio obeundo peccasset, pugno per- »cussum interemit. Præterea, cum itinere suscepto ad Eve- »num fluvium accessisset, Nessum ibi centaurum offendit, »qui viatores mercede trajiceret. Hic transvecta primum »Dejanira, mulieris amore captus ob elegantiam formæ sin- »gularem; ipsam vi opprimere conabatur; sed cum illa vi- »rum magna voce appellasset, Hercules centaurum quidem »sagitta confixit; Nessus autem in flagranti concubitu ob »vulneris acerbitatem morti jam proximus, philtrum Deja- »niræ sese daturum pollicetur, quo si uti velit, omnino per- »ficiat uti ne alterius unquam Hercules mulieris amoribus »capiatur. Jubet itaque, seminis sui defluentis aliquid col- »ligere, quod cum oleo et sanguine, qui ex teli cuspide dis- »tillabat, commisceret, eoque tunicam Herculis ungeret. »Paruit Dejanira, atque apud se pharmacum servavit. At

»Hercules rursus cum aliis duabus, quas bello ceperat, »consuevit, quarum altera Phyllantis cujusdam filia Antio»chum, altera vero Astyanira nomine, rege Armenio pa»rente sata, Ctesippum ei peperit. Deinde Thespis Athe»niensis Erecthei filius, qui ex diversis mulieribus filias »quinquaginta genuerat, cum eas omnes ex Herculis com»plexu prolem suscipere vehementer optaret, eum ad so»lemne quoddam sacrificium invitat, eidemque magnifice »admodum lauteque accepto singulas seorsim summittit. »Ille autem cum omnibus una eademque nocte congressus, »eorum, qui Thespiadæ nominantur, pater effectus est. Pos»tremo cum Jolen quoque captivam abduxisset, sacris ope»ram daturus, misit qui a Dejanira conjuge tunicam et ves»tem acciperet, quibus in sacrificiis uti solitus erat. Deja»nira tunicam Centauri philtro perunctam nuntio ferendam »tradit, quam simul atque Hercules induisset, in pestem »longe teterrimam incidit : cum enim sagittæ ferrum, quo »Nessum vulneraverat, Lernæ veneno tinctum esset, tunica »corpus ejus vehementi ardore populabatur. Ille ergo vi do»loris adactus, eum, qui funestam ad se vestem attulerat, »interfecit, idemque postmodum Oraculi jussu vitam incen»dio terminavit. Ac de Hercule modo satis. Jam vero quod »Æsculapium attinet, hunc Apollinis ex Phoronide filium »esse tradunt, qui cum Medicinæ artem præcipuo quo»dam studio coleret, tantum est in ea laudis et gloriæ con»secutus, ut plurimos etiam, quorum deplorata jam salus »erat, præter omnium expectationem incolumitati red»deret : quod Jupiter cum moleste ferret, eum fulmine »ictum vita spoliavit. Apollo vero interitu filii graviter »commotus, Cyclopas fulminis illius artifices interemit : »quorum cæde Jupiter vehementius exasperatus Apolli»nem jussit, humilem ac sordidam Admeto regi operam »navare, hancque ab eo commissi facinoris pœnam expe-

» tivit. » Atque hæc Diodorus libro Bibliothecæ quarto commemorat.

Idem autem, Græcos reliquam pariter suæ Theologiæ sylvam ab exteris nationibus mutuatos esse docens, operis sui tertio ita fere scribit. « Cœlum Atlantii primum apud se » regnasse dictitant, qui liberos quinque supra quadraginta » ex pluribus mulieribus procrearit, quorum octodecim Ti- » tæa matre natos esse volunt. Hanc vero, quod singulari » temperantiæ laude floruisset, ac de suis optime merita es- » set, divinitatem post obitum consecutam, novoque no- » mine Terram appellatam fuisse. Præterea Cœli filias Basi- » leam, Rheamque laudant, quæ Pandora quoque nomina- » tur. Ac Basileam quidem aiunt, quod materna plane » benevolentia fratres educasset, matrem esse nuncupatam : » cumque Cœlo jam vita functo cum Hyperione fratre ma- » trimonium iniisset, liberos genuisse duos, quorum alte- » rum Solem, alteram Lunam vocarit : Rheæ vero fratres, » quod ab iis sibi metuerent, Hyperionem primum jugu- » lasse, deinde Solem Eridani fluminis aquis præfocasse ; » Lunam autem, accepto diræ calamitatis nuntio, sese de » summo tecto præcipitem dedisse : Matrem denique furore » actam, sparsis crinibus, tympanisque ac cymbalis afflatum » numinis et impetum ostendentem, totam passim regionem » oberrasse, donec ipsa quoque omnium ex oculis evanuisset. » Itaque multitudinem hujus novitate casus attonitam, So- » lem atque Lunam in gemina Cœli sidera transtulisse, utrius- » que vero matrem deæ loco habitam erectis altaribus, et usur- » pato simili tympanorum cymbalorumque crepitu coluisse. » At vero Phryges Meonem quemdam aiunt Phrygiæ regem » filiam habuisse nomine Cybelem, quæ prima fistulam in- » venerit, et Montana mater appellata fuerit : Marsyam au- » tem patria Phrygem, cum ipsi familiaris esset, tibias con- » flavisse ; et corporis integritatem a rebus venereis immunem

» ac liberam ad obitum usque servasse. Addunt præterea » Cybeles patrem, cum eam ex Attidis consuetudine uterum » gestare comperisset, de medio non Attin modo, sed ip- » sas quoque nutrices sustulisse : qui adolescentis interitus » eo Cybeles animum furore concitavit, ut per universam » regionem cum ululatibus, ac tympanorum sonitu perpe- » tuo discursaret. Porro Marsyam tum quidem ut plurimum » cum ea versatum esse, postea vero ab Apolline, qui victo- » riam ex musico certamine cum eodem commisso retule- » rat, cutem ipsi vivo ac spiranti detractam fuisse. Deinde » Apollinem Cybeles amore flagrantem, errorum ei sese ad » Hyperboreos usque comitem ac socium præbuisse, Atti- » disque cadaver sepeliri, Cybelemque ipsam pro Dea coli » jussisse : quæ causa sit, quamobrem Phryges etiamnum » hunc morem ita retineant, ut adolescentis interitum la- » chrymis luctuque prosequantur, eumque cum Cybele tum » extructis aris, tum solemnibus sacrificiis venerentur. Quin- » etiam ab iisdem postmodum in Pessinunte Phrygiæ op- » pido superbum ac magnificum illi templum excitatum, in » eoque sacrificio honoresque divinos maximo splendidissi- » moque apparatu institutos fuisse. Jam vero Cœli filios Hy- » perione sublato regnum inter sese divisisse, quorum longe » clarissimi Atlas et Saturnus evaserint. Atque Atlantem qui- » dem vicina Oceano loca tenuisse, rara quadam astrologiæ » cognitione præstantem. Hunc septem filias habuisse no- » mine Atlantidas, quæ ex primariorum eximiæque indolis » Deorum concubitu amplissimi generis capita ducesque fue- » rint, susceptis ejusmodi liberis, quos propter virtutem in » Deorum Heroumque numero postea censuerunt. Earum » vero natu maximam, quæ Maia vocabatur, Mercurium » Jovi peperisse. At Saturnum non minus avaritia quam li- » bidine intemperantiaque famosum, Rheam sororem se- » cum matrimonio conjunxisse, ex eaque Jovem suscepisse.

»Et alium quidem jam ante Jovem extitisse, qui Cœli frater »cum esset in Creta regnaverat, quem tamen posterior hic »longo dignitatis et gloriæ superarit intervallo. Quippe, »hunc enim orbi terrarum universo imperasse, cum prior »ille soli Cretæ dominatus esset, ubi decem filios Curetas »nomine procrearit; cujus etiam adhuc sepulchrum in Creta »ostendi fama est. Porro Saturnum Siciliam, Libyam, et »Italiam imperio tenuisse, cujus filius Jupiter vitæ rationem »inierit paternæ omnino contrariam. Hunc alii regnum, ce- »dente ultro Patre, capessisse volunt; alii consensu popu- »lorum, qui Patrem odio prosequerentur, electum fuisse: »cumque Saturnus Titanum auxilio fretus in filium mo- »visset, commisso prælio Jovi cessisse victoriam, qui uni- »versum postea Mundum peragrarit. Eumdem non robore »modo corporis, sed aliarum quoque virtutum laude præs- »titisse, in eoque curam omnem ac studium posuisse, uti »sceleratos quidem meritis pœnis afficeret, bonos autem »beneficiis cumularet: id quod in causa fuerit, cur eum »rebus humanis subductum Ζῆνα, hoc est vitæ parentem »nominarint, quod hominibus ipse bene vivendi auctor »fuisse videretur. Atque hæc sunt Atlantiorum theologiæ »summa veluti capita, quibus ipsos quoque Græcos uti so- »litos esse tradunt.» Hactenus Diodorus historiarum volu- mine tertio; qui ejusdem operis sexto hanc ipsam de Nu- minum ratione sententiam Evemeri cujusdam Messenii ver- bis testimonioque confirmat, ita scribens. «Deorum, »*inquit*, notiones posteris suis veteres tradiderunt omnino »duas: alios enim sempiternos et omnis expertes interitus »esse dicunt, cujusmodi solem, lunam, ac reliqua cœli »astra commemorant, itemque ventos, atque id genus cæ- »teros, qui similem iis naturam sortiti sint: nullum enim »istorum nec ortus sui principium habuisse, nec desiturum »unquam esse: alios vero, terreni cum nati essent, tamen

» propter ea beneficia, quibus hominum sibi genus ob-
» strinxerant, cultum et gloriam consecutos fuisse; quorum
» in numero Herculem, Bacchum, Aristæum, cum aliis,
» quorum similis causa erat, posuerunt. Cæterum multa
» sane admodumque varia de terrenis hisce Numinibus cum
» historici, tum fabularum quoque scriptores memoriæ pro-
» diderunt. Evemerus quidem inter historicos, in sacra illa,
» quam scripsit, historia, proprium hoc sibi delegit argumen-
» tum. Ex poëtis autem Homerus, Hesiodus, Orpheus, ac
» cæteri, quibus fabulæ placuerunt, prodigiosa quædam
» monstrisque similia de Diis commenta somniarunt. Nos
» vero quæ ab utroque scriptorum genere accepimus, ut
» modum aliquem teneamus, breviter ea summatimque per-
» currere conabimur. Evemerus igitur quod regis Cassandri
» amicus esset, cum ejus causa regia quædam obire munia,
» et longinquas instituere peregrinationes cogeretur, sese in
» Oceanum aliquando meridiem versus delatum esse com-
» memorat: cum autem ex felice Arabia solvisset, multos
» in Oceano dies navigationis cursum tenuisse, donec ad
» transversas quasdam et obliquas insulas appelleret, ex
» quibus ea, quæ cæteris eminebat, Panchæa dicebatur.
» Hic vero se Panchæos Insulares vidisse, qui pietate ac re-
» ligione præstarent, Deosque magnifico admodum sacrifi-
» ciorum apparatu, donisque pretiosissimis auro argentoque
» fulgentibus venerarentur. Hanc igitur insulam diis sacram
» esse, in qua cum alia pleraque viserentur, quæ admira-
» tionem partim vetustate rerum, partim singulari artis ex-
» cellentia commoverent, quæque superioribus libris perse-
» cuti sumus; tum in quodam mirum in modum edito colle
» Jovis Triphylæi templum ab eodem olim dum adhuc inter
» homines ageret, orbique terrarum imperaret, excitatum.
» In hoc aureum cippum fuisse, qui res a Cœlo, Saturno,
» ac Jove præclare gestas Panchaicis litteris summatim exa-

» ratas contineret. Quibus subjungit, Cœlum omnium principem regnasse, virum ut summæ æquitatis, sic benignitatis in omnes eximiæ, quique siderum motus et conversiones apprime calleret, ipsumque adeo quod primus sacrificiis cœlestia Numina coluisset, Cœli cognomentum invenisse. Eumdem filios ex Vesta conjuge duos habuisse Panem et Saturnum, filiasque totidem, Rheam ac Cererem. Ipsi vero Saturnum in regnum successisse, qui Rhea secum toro juncta Jovem, Junonem, ac Neptunum procrearit. Jovem autem, cum Saturni regnum hæreditario jure accepisset, uxores duxisse tres, Junonem, Cererem, ac Themidem, quarum ex prima Curetas, Proserpinam ex secunda, ex tertia denique Palladem susceperit. In Babylonem cum venisset, hospitio Beli usum esse, indeque simul ac in insulam Panchæam Oceano proximam delatus fuisset, aram Cœlo, cujus nepos erat, sacram erexisse : atque hinc per Syriam ad Cassium quemdam, a quo mons Cassius nomen acceperit, ejusdem ævi principem sese contulisse : mox in Ciliciam ventum cum esset, bello Cilicem Toparcham superasse; denique ab omnibus gentibus, quas illi plurimas obiisset, honores consecutum, Deumque renunciatum fuisse. » Hæc Diodorus aliaque his similia de Numinibus, sic tanquam de hominibus morti obnoxiis ubi disputavit, ita prosequitur. « Ad Evemerum quidem quod attinet, qui sacram conscripsit historiam, hæc ab illo mutuatos nos esse sufficiat : deinceps, quas de natura Deorum Græci fabulas vulgaverunt, Hesiodi, Homeri, Orpheique vestigiis insistentes, carptim summatimque perstringere conabimur. » Tum superioribus illis Græcorum poëtarum fictiones attexit. Sed enim ista nobis Græcorum theologiæ quasi fragmenta satis erunt, quibus opportunum utique fuerit solemnes eorumdem Numinum in templorum adytis initiandi ritus, arcanaque mysteriorum

sacra subjungere, ac diligenter simul videre, num vere divinas illi Numinum rationes, Deoque dignum aliquid complexas religiones inferant, an contra ab inferis excitatos errores ac Dæmonum fraudibus dolisque conflatos obtrudant, quos risus, immo pudor ex rerum indignitate contractus, aut eorum potius, qui tanta etiamnum in cæcitate versantur, commiseratio jure ac merito excipiat. Atque horum turpitudinem admirabilis ille Clemens, ea quam ad Græcos dirigit cohortatione, nudam omniumque spectandam oculis proponit, quippe qui cum omnes illorum ceremonias sua ipsius experientia cognoverit, tum celerrime ab infami errore caput extulerit, verbi salutaris et evangelicæ doctrinæ vi ex tot tantorumque malorum contagione liberatus. Hæc tu igitur paucis etiam accipe.

CAPUT TERTIUM.

Arcanorum initiorum et occultorum mysteriorum epitoma, quæ multiplicium deorum superstitione continentur.

« Nolite, *inquit*, scelerata impiaque adyta curiosius explorare, nec profundorum antrorum hiatus, præstigiis monstrisque plenos, aut Thesproteum lebetem, aut tripodem Cirrhæum, aut æneum Dodonæ tintinnabulum: gerandryon autem illud desertis olim in arenis cultum, quodque ibidem celebrabatur oraculum, jam vero cum ipsa quercu prorsus emarcuit, rancidis ac vetustate contritis fabulis relinquite. Enimvero, siluit utique fons ille Castalius, siluit Colophonius alter, ac reliquæ simul omnes fatidicæ undæ aruerunt, quas ventoso fastu sero licet, pa-

» lam tamen aliquando spoliatas viderunt, posteaquam illæ
» suis cum fabellis omnino diffluxissent. Decanta tu nobis,
» per me licet, reliqua vaticinationis aut furiosæ potius
» vanitatis oracula, Clarium, Pythium, Didymea, Am-
» phiaraum, Apollinem, Amphilochum : adde, si lubet, pro-
» digiorum interpretes, adde augures : profanosque som-
» niorum conjectores. Quin age sis, ac simul eos coram
» Pythio statue, qui divinationes suas farina hordeove per-
» ficiunt, quique a plurimis etiamnum observantur ventri-
» loquos. Jam vero et Ægyptiorum penetralia, et Ma-
» nium apud Hetruscos vaticinationes in tenebris jaceant :
» vesanæ profecto illæ sunt infidelium hominum fallendi ar-
» tes, et comparatæ ad puram putamque fraudem quasi aleæ
» ac sortis officinæ. Ejusdem quoque fascinationis veluti ne-
» gotiationis sociæ habeantur capræ ad divinandum infor-
» matæ, nec non corvi illi, quos ad responsa reddenda ho-
» mines erudiere. Quid si ipsa quoque mysteria tibi enu-
» cleem? Non ea quidem temere vulgabo, ut Alcibiadem
» fecisse tradunt ; sed tamen belle admodum quidquid sub
» iis præstigiarum latet, ipsa veritatis oratione nudabo, quos-
» que Deos nuncupatis ac mysticis ritibus colitis, illos sic
» tanquam in aliqua hujus vitæ scena inclusos veritatis ejus-
» dem spectatorum oculis objiciam. Ac primum, ecce tibi
» homines furoris œstro perciti Bacchum Mænolen solemni-
» bus orgiis celebrant, crudarum carnium helluatione sa-
» cram insaniam peragentes, cæsarumque victimarum partes
» dividunt, serpentibus coronati : Evamque illam vastis ulu-
» latibus inclamantes, per quam janua est non errori modo,
» sed ipsi quoque morti patefacta. Et sane, cum orgiorum
» Bacchicorum sit quasi quoddam insigne serpens arcano
» ritu consecratus, tum vero si accurate vocem Hebraicam
» interpretari velis, Heva cum aspiratione graviori serpen-
» tem fœminam significat. Deinde Ceres et Proserpina in

» mysticum etiam fabulæ genus transiere, quarum errores et
» raptum et luctum nocturnis facibus Eleusis illustrat. Ac
» mihi quidem tanti est, propriam orgiorum et mysteriorum
» notationem excutere. Orgia sane ἀπὸ τῆς ΟΡΓΗΣ, hoc est ab
» iracundia nomen accepere, qua Ceres adversus Jovem
» exarserat : mysteria vero ἄπὸ τοῦ ΜΥΣΟΥΣ, hoc est ab exe-
» crando scelere quod circa Bacchum ipsum contigerat. Quod
» si vocem istam à Mysunte quodam Attico derivare placet,
» quem Apollodorus in venatione periisse testatur, equidem
» nihil hoc vobis invideam, ut mysteria vestra sepulchrali
» cum nomine, tum etiam honore decorentur. Quinimo li-
» ceat tibi mysteria quasi μυθήρια, hoc est venatica, mutua
» duorum elementorum permutatione, accipere : venantur
» enim si quæ aliæ, hujusmodi fabulæ, quotquot sive apud
» Thraces immanitate, sive apud Phryges insania, sive apud
» Græcos superstitione principes memorantur. At male per-
» eat, quisquis tantæ vecordiæ hominum generi auctor fuit,
» seu Dardanus, qui Matris Deum mysteria docuit, seu Ee-
» tion, qui Samothracum orgia cum eorum initiis protulit,
» seu Phryx ille Midas, qui cum ab Odrydo callidam et arti-
» ficii plenam fraudem accepisset, eam postmodum in sub-
» ditos suæ ditioni sparsit universos. Nec enim mihi Cinyras
» ille Cyprius insularis unquam imposuerit, qui cum fa-
» mosam insulæ suæ meretricem deam efficere vehementer
» optaret, flagitiosa Veneris orgia ex tenebris in lucem au-
» sus est diemque producere. Jam alii Melampodem Amy-
» thaonis filium, Cereris festa, luctum, inquam, illum car-
» minibus hymnisque decantari solitum, in Græciam ex
» Ægypto traduxisse volunt. Istos equidem impiarum fabu-
» larum, ac pestiferæ superstitionis parentes, malorum prin-
» cipes omnium fuisse merito dixerim, cum illa mysteria
» scelerum ac mortis semina in hominum vitam intulerunt.
» At enim jam tempus est, ut orgia vestra fraudis ac præsti-

»giarum plena esse demonstremus : vos, si modo initiati »estis, risu ac sibilis vestras illas fabulas, quibus tantum »venerationis tribuitur, præ cæteris excipietis. Ego vero ab»dita penitusque recondita palam in omnium luce collo»cabo, nec me pudor ab iis proferendis revocabit, quæ vos »divinis honoribus colere non pudeat. Vestra igitur illa, »spumæ marinæ proles, Cyprique fœtus, ac Cinyræ deli»cium, Venerem intelligo, quam φιλομηδέα, hoc est veretri »amantem, nominatis, quippe

» . . . . membris ex genitalibus ortam;

»fœtus utique abscissis illis Cœli genitalibus, usque adeo »salacibus, ut secta quoque undam ipsam constuprarint, »nec non effusis in libidinem corporis vestri partibus longe »dignissimus, Venus ista procreatur. Itaque, in arcanis vo»luptatis hujus marinæ sacris, grumus salis, effigiesque ve»retri, tanquam fœturæ symbolum, iis tradi solet, qui fla»gitiosi concubitus artibus initiantur : hi vero nummum »ipsi tanquam amicæ amatores offerunt. Jam mysteria Ce»reris aliud nihil sunt, quam incestuosi Jovis cum Cerere »matre congressus, ejusdemque (matris ne ultra dicam, an »uxoris?) iracundia, quæ causa fuit, cur Brimo quasi fre»mens et indignabunda vocaretur; itemque Jovis supplica»tiones, fellis haustus, cordis convulsiones, ac cæteræ id »genus infandæ ceremoniæ. Ac Phryges quidem ejusmodi »sacra in Attidis, Cybeles, et Corybantium honorem me»moriamque faciunt : passim autem fama vulgatum est, Jo»vem avulsos geminos arietis testiculos in medium Cereris »sinum conjecisse, cum a se ipso exactum abscissionis »quasi voluntariæ pœnam ob stuprum vi oblatum, hac »fraude simularet. Cujus initiationis egregia symbola soluto »otiosoque animo producta risum vobis utique moveant, »tametsi opinor vobis ridere non libet, quod sic religionum

»vestrarum indignitas omnium in oculis defigatur, *Ex* »*tympano comedi : bibi ex cymbalo : cernum gestavi : me in* »*thalamum clam insinuavi.* Non hæc symbola probrum et »infamiam sapiunt? non sanna ludibrioque digna mysteria »sunt? Quid porro si attexam reliqua? Ceres quidem fœtum »enititur, puella vero educatur : rursum ecce tibi castus »Jupiter cum Pherephatta, quam ipse genuerat, post Ce»rerem matrem, congreditur, execrandi flagitii prioris obli»tus; et congreditur draconis forma tectus : sic tamen ut »qui sub ea latet, manifesto postmodum teneatur. Enim»vero, Sabaziorum utique mysteriorum, iis qui sacris ini»tiantur, symbolum est, Deus sinum pervadens : Deus au»tem iste draco est, qui per medium eorum, quos solemni »ritu initiant, sinum trahitur, certum plane impotentis Jo»vis libidinis argumentum. Parit etiam Pherephatta, sed »filium taurina specie; nimirum, ut idolorum cultor poeta »cecinit,

»Taurus draconem genuit, et taurum draco.
»In monte occultum bubulcus stimulum.

»Bubulci, opinor, stimulum scuticam nominans, quam lig»nis quibusdam homines bacchico furore correpti circuma»gunt. Vin' tu hic etiam lectos a Proserpina flores tibi com»memorem, ejusdemque calathum, et raptum a Plutone »patratum, et terræ labem, et Eubulei sues, quæ cum utra»que Dea simul haustæ dicuntur? quod quidem in causa est, »cur in thesmophoriis Megarica lingua porcos ejiciant. To»tam hanc fabellam varie mulieres singulis in urbibus solemni »festo celebrant, thesmophoria, scirrhophoria, arrhetopho»ria : atque ita diversis plane tragicisque modis raptum »Proserpinæ recolunt. Jam Bacchi mysteria omni diritate »teterrima sunt, quippe quem, dum adhuc puerulus esset, »ac circum ipsum Curetes armata saltatione agerentur, sub»euntes dolo Titanes puerilibus crepundiis ludicrisque de-

» ceptum membratim discerpserant, quemadmodum Thra-
» cius Orpheus hujus sacri vates cecinit :

» Turbo, trochus, tum queis in flexus membra cientur
» Ludicra, et auricomi blandarum ex arbore fœtus
» Hesperidum.

» Neque vero inutile fuerit, arcani sacri symbola, inutilia » licet, hoc loco subjicere, ut omnium judicio sensibusque » damnentur. Sunt hæc : talus, pila, trochus, poma, turbo, » speculum, vellus. Ac Minerva quidem, quod ejusdem » Bacchi cor furtim sustulisset, Pallas ἐκ τοῦ ΠΆΛΛΕΙΝ τὴν καρ- » δίαν, hoc est, a cordis vibratione, seu palpitatione nuncu- » pata fuit. Titanes vero, quorum manibus laniatus erat, » ipsius membra in lebetem supposito tripodi insidentem » conjecerunt, eaque prius elixa verubus postmodum infi- » gentes, *Vulcano imposta tenebant.* At Jupiter, eo repente » delapsus (quippe enim, cum Deus esset, eum, opinor, as- » sarum carnium nidor afflaverat; quem Dii vestri sic tan- » quam honorarium quoddam munus accipere sese confiten- » tur), fulmine Titanas conficit, et Bacchi membra Apollini » filio sepelienda commendat : ille autem, nec enim parere » Jovi renuit, discerptum lacerumque cadàver in Parnasso » monte deponit. Placetne Corybantium quoque orgia con- » templemur? Nimirum, ex illis duo tertium fratrem cum » occidissent, caput de mortui purpura contectum et corona » cinctum ad Olympi montis radices, quo illud æreo scuto » impositum detulerant, sepeliere. Hæc illa sunt præclara » mysteria, verbo, cædes ac sepulcra, quorum sacerdotes, » ἀνακτοτελέσται, quasi reges sacrorum, ab iis, quorum ejus- » modi appellatio interest, nuncupati, novis insuper mons- » tris cædem istam exaggerant, appium cum tota radice ad » mensam apponi omnino prohibentes, quod ex Corybran- » tico illo sanguine, qui in terram effluxerat, appium ger-

» minasse arbitrentur : nempe, quemadmodum illæ thes-
» mophoriorum antistitæ a comedendis mali punici granis
» diligenter abstinent, quod ex iis cruoris Bacchici guttis,
» quæ solum asperserant, mala punica extitisse opinentur.
» Cæterum, cum illi Corybantas istos Cabiros nominent,
» tum vero Cabiricum hujusmodi sacrum memorant. Quippe,
» duo enim isti fratricidæ, cistam illam secum auferentes,
» in qua Bacchi pudendum inclusum erat, in Thusciam de-
» tulere, mercis egregiæ mercatores, ubi cum exules age-
» rent, luculenta admodum pietatis doctrina Hetruscorum
» animos informarunt, dum cistam iis ac veretrum nova re-
» ligione colenda tradiderunt. Atque hanc nonnulli causam
» esse volunt, quæ sane verisimilitudine non caret, quam-
» obrem Bacchum ipsum, Attin quasi exectum nuncupa-
» rint. Quanquam quid mirum Hetruscos, homines barba-
» ros, his flagitiorum probris initiari, cum ipsi quoque Athe-
» nienses ac reliqui Græciæ populi, quod me vel referre
» pudet, illam de Cerere fabulam usque adeo turpem indig-
» namque retineant? Enimvero, cum in vestiganda Proser-
» pina filia, huc atque illuc errabunda Ceres vagaretur,
» circa Eleusinem (Atticæ locus est), labore debilitata,
» constitit, ac puteo cuidam insedit ingenti mœrore con-
» fecta; sed enim, iis qui initiantur, graviter ne quid simile
» agant, in hodiernum usque diem prohibetur; utique, ne
» sacris initiati lugentem Cererem imitari videantur. Cæte-
» rum Eleusinem per id tempus indigenæ quidam incolebant,
» quorum hæc fuere nomina, Baubo, Dysaules, Triptole-
» mus, Eumolpus et Eubuleus. Ac Triptolemus quidem bu-
» bulcus erat, Eumolpus pastor, Eubuleus vero subulcus;
» ex quibus Eumolpidarum, nec non illud præconum genus
» sacrorum ac religionum interpres, Athenis effloruit. Baubo
» igitur (nec enim ab hujus etiam rei commemoratione re-
» vocari me patiar), cum hospitio Cererem excepisset, hau-

»riendum ei cinnum propinat, qua propter vim doloris po-»culum potumque respuente, illa repulsam moleste ferens, »quod se despectam ac spretam fuisse putaret scilicet, re-»ductis vestibus occultas corporis partes Divæ oculis objicit; »quæ spectaculo delectata, oblatam sibi potionem, ægre »licet, aliquando tamen ebibit. Hæc Atheniensium recon-»dita mysteria sunt, quæ scriptis Orpheus etiam ipse man-»davit. Hujus ego tibi versus quoque subjiciam, ut quem »tu mystagogum habes, eumdem habeas flagitiosæ ac turpis »infamiæ testem.

» Dixerat: obscenam Cereri tum veste reducta
» Corporis ostentat speciem : puer astat Iacchus;
» Quem lætata manu medias Baubonis in ulnas
» Conjicit : hinc olli arridens luctuque soluta,
» Multiplicis commixta haurit dea pocula cinni.

»Jam, Eleusiniorum mysteriorum communis quædam »quasi tessera, hæc est: *Jejunavi : cinnum ebibi : accepi e* »*cista : operatus in calathum reposui, ac rursum in cistam ex* »*calatho.* Egregia vero spectacula, quæque Deam in primis »deceant : imo, digna sane tenebris ignique mysteria, »digna ingentibus aut potius vanitate plenis Erechthidarum, »cæterorumque Græcorum animis, quos quidem ex post »obitum pœnæ manent, a quibus spe et cogitatione longis-»sime absunt. Et vero, quibus tandem Heraclias ille Ephe-»sius vaticinatur? Tenebrionibus profecto, Magis, Bacchis, »Lenis, Mystis. Hi sunt, quibus pœnas mortem secuturas »comminatur, ignemque denuntiat. Nam quæ hominum ex »sensu mysteria statuuntur, ea profanos habent initiandi »ritus. Itaque, et statæ illæ sacrorum leges, et communis »hominum opinio, et universa ista draconis mysteria, aliud »nihil sunt quam error quidam initia, quæ nihil plane ini-»tiorum habeant, superstitiose colens, impiosque ritus

» adulterina pietatis specie venerans. Quæ porro et cujus» modi sunt mysticæ illæ cistæ? nudandum enim quidquid » apud eos sancti est, quidquid arcani evulgandum. Nonne » hæc omnia, sesamæ pyramides, glomi, placentæ variis » signatæ umbilicis, grana salis, et draco Dionysii Basari » sacramentum? non mala punica? non medullæ arborum? » non ferulæ cum hederis? non pastilli ex siligine caseoque » confecti? non denique papavera? Hæc sunt, quæ sancta » vocant. Quid? Themidis nonne recondita symbola ista » sunt? origanum, lychnus, gladius, pecten muliebris quod » honestum ac mysticum est muliebris pudendi nomen. O » gnavam perfrictamque impudentiam! hominum enim tem» perantiorum voluptas noctis silentio tegebatur; nunc vero » nox est, quæ initiandis sacra libidinis enuntiat; adeoque » ignis flagitia succensis facibus illustrata pandit. Extingue, » sis, hunc ignem, Hierophanta; tuque, o qui lumen præ» fers, tuas ipse faces reverere: lumen istud Iacchum traducit » tuum: patere noctem mysteria tenebris occultare; orgio» rum honori consulatur: ignis simulare non potest: ar» guere, punireque jubet. Hæc igitur illa sunt hominum » atheorum mysteria. Jure enim atheos dixerim, qui a veri » Numinis cognitione prorsus alieni, pusionem a Titanibus » discerptum, ejulantem muliercculam, partesque corporis, » quas pudor nominare non sinit, impudentissime veneren» tur: ut duplici nomine impietatis ac negatæ divinitatis rei » teneantur, altero, quod Deum ignorent, dum nequaquam » eum qui vere Deus est agnoscunt; altero, quod eos super» esse, qui non sunt, arbitrentur, ipsosque Deos nuncupent, » qui tantum a vera divinitate absunt, ut ne supersint qui» dem, eamque sunt nomine solotenus aliquando conse» cuti. » Huc usque Clemens.

CAPUT QUARTUM.

Quibus rationibus a suscipiendis ejusmodi de diis opinionibus abducti simus.

Jure sane ac merito nos ab istis omnibus liberatos esse profitemur, quippe qui tam diuturni tamque inveterati erroris sic tanquam acerbissimi gravissimique morbi calamitatem depulimus : primum quidem singulari præpotentis Dei gratia et beneficio, deinde Servatoris nostri evangelicæ doctrinæ vi quadam et potestate, quæ verbis explicari nequeat, sano denique maturoque consilio in eam adducti sententiam, ut augustum omnique dignum veneratione Dei nomen obnoxiis morti hominibus impertiri, nefas et impium crederemus, qui cum pridem inter mortuos jaceant, tum vero temperantiæ documentum reliquerint nullum, sed omnis potius intemperantiæ, libidinis, crudelitatis ad animorum perniciem monumenta posteris conservanda crediderint. Enimvero, quis non extremæ stultitiæ futurum id videat, si homines sanctimoniæ ac morum integritatis amantes, primas libidinosis flagitiosisque concederent? si maturi atque sapientes, perditæ projectæque mentis homines; si æquitatis humanitatisque studiosi, eos qui tantum diritate cæteros et immanitate superarunt, ut sceleratas manus execrandis liberorum parentumque cædibus cruentarint, augustissimo cultu celebrarent? Cujus vero non cogitationem impietate vicerunt, qui vel ad obscenas, quasque ne honeste quidem nominare liceat, virorum mulierumque partes, vel ad naturam bestiarum ratione carentium adorandum illud atque sacrosanctum Dei nomen abjecere? quique ejusmodi

flagitiorum immanitatisque monstra in theologiæ suæ mysteriis tradidere, cujusmodi si quæ vel in facinorosissimis hominibus deprehenderentur, pœnas continuo legibus constitutas citra veniam omnem sustinerent? Quanquam, quid pluribus opus est, ut universo hominum tam barbarorum, quam Græcorum generi felicem tot tantorumque malorum liberationem prædicemus, causasque nostræ a fictitiis numinibus defectionis justissimas in medium afferamus; cum eorum etiam, qui arctiore antea superstitione tenebantur, plurimi jam quasi ex alto diuturnæ crapulæ veterno ad animi sanitatem redeuntes, et in media antiquæ noctis caligine mentis oculos aperientes, profundam erroris patrii vesaniam agnoverint ipsi quoque, suique tandem ac rationis compotes, novam aliquando, prisca relicta, viam inierint? Et alii quidem velut hostibus obviam strenue prodeuntes, totam istam fabularum colluviem despuere, majores suos effuso quoque risu cachinnisque prosecuti: alii vero impietatis saltem ac spretæ divinitatis opinionem declinantes, nec eodem prorsus in vestigio constitere, nec ab eo tamen omnino discessere. Ergo cum sectam isti suam lenire quodammodo novisque artibus procurare statuissent, veras numinum suorum tamdiu jactatorum historias, figmenta quædam et commenta poetarum ominis causa meliores esse dixerunt, quibus rationes causæque rerum naturalium inclusæ latitarent. Quarum licet nullum omnino veritatis indicium proferre possint, nos tamen pretium opera facturos arbitramur, si quæcumque apud eos honestiorem quamdam præ se ferant speciem, in apertum lucemque producamus, ut summam hujus præterea, quam ab iis (non alia sane quam evangelica Servatoris nostri doctrina informati adductique) faciendam nobis putavimus, discessionis æquitatem oculis omnes tenere possint. Age itaque, rem totam altius repetentes propius contemplemur.

CAPUT QUINTUM.

Brevis eorum, quæ superius dicta sunt, complexio.

Græcorum igitur vulgatam illam pluribusque contextam fabulis theologiam, quæque præterea vel Phœnicum, vel Ægyptiorum, ac cæterorum, quorum ante mentionem fecimus, propria fuit, Græca ista longe vetustiorem, ad eum sese modum habuisse constat, quem productis superius ipsissimis Græcorum auctorum verbis repræsentavimus. Atque id mihi quidem Evangelicæ Præparationis, quæ hoc opere instituitur, initio commode posuisse videor, iis qui in ipsius lectione versabuntur, excutiendum judicioque suo ponderandum; ut cæteri nobiscum omnes, quos adhuc rerum istarum cognitio latuit, intelligant, quales tandem a multis retro seculis, quibusque nati parentibus, quantis implicati malis, quanta demum impietatis ac divini Numinis ignoratione, tanquam alta quadam crapula obruti, tollere oculos aliquando, tamque funesta servitute liberari unius Evangelicæ doctrinæ vi benificioque potuerimus, quam profecto non alia ratione sumus, quam Jesu Christi Servatoris Deique nostri adventu consecuti. Hic enim ille est, qui non parte aliqua terrarum, aut gentis unius angulo regionis includens, sed toto passim orbe, ubiubi degerent homines, quaque potissimum grassabatur erroris superstitiosi dominatus, veluti ol quidam intelligentium ac ratione præditorum animorum, luminis sui radios longe lateque diffundens, universum hominum Barbarorum simul Græcorumque genus, adeoque nos omnes densissima caligine ac teterrima, omnemque lucem excludente mendacio

vanæque superstitionis nocte, in veræ erga rerum omnium moderatorem Deum pietatis diem vindicavit. Enimvero, quotquot ubique olim ad stuporem usque profanis de Deorum multitudine erroribus tam in urbibus, quam in pagis adhæserunt, eosdem mortuorum idola, hominumque pridem extinctorum simulacra statis omnes honoribus coluisse, clarissimis laudatorum ante scriptorum testimoniis ac vocibus comprobatur : ita plane, ut priscum illud hominum genus, propter ferinam supra modum eo tempore vivendi rationem, de summo rerum omnium opifice Deo nihil omnino cogitaret, nec divinam ejus in repetendis scelerum pœnis justitiam ullatenus vereretur, sed in omnia flagitiorum et impietatis genera præcipiti quodam æstu raperetur. Nam, cum nullis adhuc hominum vita legibus ad virtutem informata, nullo mitiore ac politiore cultu temperata, solute ac vage, nomadum aut belluarum potius ritu ageretur : aliis quidem pecudum instar ratione carentium, præter abdominis saturitatem pensi nihil erat, quorum in animos primum impietatis genus altius subire solet : alii vero, inditis a natura notionibus tantillum excitati, Deum quidem ac Dei potestatem salutaris ac boni quidpiam esse cogitabant ; sed cum ad ejus cognitionem aspirarent, sublatis et erectis in cœlum animis, vim in eo mentis aciemque defixere, astrorumque toto cælo micantium sensusque ferientium pulchritudinem admirati, Deorum iis nomen honoremque tribuere. Alii denique in terram sese animosque devolventes, quos ætate sua communi consensu aut sapientiæ primas tulisse viderent, aut corporis viribus, ac potestatis magnitudine pluribus esse dominatos, gigantas puta, vel tyrannos, vel præstigiis etiam fascinationibusque nobiles, qui cum a rebus divinioribus quomodocunque tandem excidissent, maleficas veneficiorum artes conflaverant : quicunque demum communis alicujus beneficii atque ad

vitæ humanæ utilitatem pertinentis auctores fuissent, partim vivos adhuc et spirantes, partim jam morte functos pro Diis prædicarunt. Itaque Deorum ipsorum ædes, mortuorum sepulcra esse perhibentur, quemadmodum Clemens in ea, quam ad Græcos scribit, cohortatione commemorat, Græcorum ipsorum testimonia proferens, quem tu, si placet, hunc in modum rursus loquentem audi.

CAPUT SEXTUM.

Sepulcra mortuorum esse, quæ deorum templa nominantur.

« Mirum, *inquit*[1], profecto videri non debet, si nefandæ » superstitionis error, posteaquam aliquod semel initium » accepisset, flagitiosæ vesaniæ fons extiterit. Enimvero » cum intercisus ille postea non fuisset, sed potius novis in » dies incrementis auctus, magna vi tandem ac vehementi » cursu ferri cœpit. Mox itaque multiplicium dæmonum ar- » chitectus efficitur, hecatombas sacrificat, solemnes con- » ventus instituit, erigit simulacra, templa ædificat; sed » quæ (nec enim id quoque dissimulabo, sed potius mani- » feste coarguam), honesto quidem templorum nomine cele- » brantur, cæterum aliud nihil fuere quam sepulcra, quibus » deinceps hanc templorum appellationem indidere. Vos » ergo, nunc saltem impiam superstitionem dediscite, vel » hac tumulorum cultus indignitate revocati. Larissæ, in » Minervæ templo, quod summa in arce visitur, Acrisii se- » pulchrum est; Athenis autem in ipsa pariter Acropoli, » Cecropis, ut Antiochus historiarum nono scriptum reli-

[1] S. Clem. Alex., in Cohort. ad Græcos.

» quit. Quid porro Erichthonius ? nonne in Poliadis templo » sepultus est? Nonne Ismarus Eumolpi Dairæque filius, in » Eleusinii septis, quod sub Arcem constructum est? nonne » Celei filiæ, Eleusine sepulturæ mandatæ sunt? Nam quid » Hyperboreas tibi mulieres commemorem? duæ sane, qua» rum altera Hyperoche, Laodice altera vocabatur, in Dianæ » sacello, quod in insula Delo Apollinis Delii templo conti» netur, sepultæ sunt. Leander autem Cleomachum Mileti, » in Apollinis Didimæi templo conditum esse testatur. Neque » vero æquum fuerit hoc loco præterire, aut Leucophrynes » illius monumentum, quæ, si Zenonem Myndium sequa» mur, Magnesiæ in Dianæ templo sepulta est; aut Telmissi » erectam Apollinis aram, quod Telmissis cujusdam vatis » monumentum esse historiæ prodiderunt. Quinetiam Pto» lemæus Agesarchi filius, volumine ex iis primo, quæ de » Philopatre scripsit, auctor est, in insula Papho Cinyram » ac Cinyræ posteros, in Veneris templo conditos fuisse. At » enim tempus me deficiat, si tumulos omnes, quibus di» vinos honores tribuitis, recensere velim : vos autem, ni » scelerum istorum pudor vos aliquis ceperit, ite porro, » vereque mortui, cum vestram in hominibus mortuis fidu» ciam collocetis, passim huc illucque vagamini. O miseri! » quid tantum mali sustinere juvat? » Hæc ille : paucisque interjectis. « Novum item alium, *inquit,* Romanus Imperator » in Ægypto, atque adeo in ipsa pene Græcia, ad Numi» num turbam cum eximia religione Deum aggregavit Anti» noum, qui pulcherrimos inter numerandus erat, delicias » amoresque suos, quem ipse, quomodo Ganymedem antea » Jupiter, consecravit. Nec enim cupiditas ea modum facile » tenere potest, quæ nullo metu cohibetur. Itaque sacræ » Antinoi noctes ab hominibus hodie cultu divino celebran» tur, quarum turpitudinis sibi amator ipse conscius erat, » qui eas cum puero vigilarat. » Tum subdit. « Nunc vero ca-

» tamiti hujus sepulcrum, Antinoi templum et oppidum est. » Enimvero, simili, opinor, templa sepulcraque admiratione » prosequuntur : Pyramides quippe, Mausolea, Labyrinthi, » alia quædam sunt templa mortuorum, quemadmodum illa, » Deorum sepulcra. » Idemque paulo post. « Age vero, *inquit*, » certamina quoque vestra paucis obeamus, ac sepulcrales » istos conventus, Isthmica, Nemea, Pythia, Olympia deni- » que, dissipemus. Pythone quidem, Pythium Draconem » venerantur, serpentisque conventum nomine Pythiorum » indicunt. Apud Isthmum autem, mare ejectitium ac mise- » rabile cadaver expuit, jamque Melicertem Isthmia lamen- » tantur. Nemeæ similiter, cum alium pusionem Archemo- » rum condidissent, hujus sepulcrale certamen Nemea nun- » cuparunt. Pisa quoque apud vos, o Græcorum genus uni- » versum, aurigæ Phrygii tumulus est : atque Olympia, » hoc est Pelopis inferias, Phidiacus sibi Jupiter vindicat. » Hactenus Clemens. Tu vero superiorem nostram de supers- titioso errore disputationem ab initio repetens, totam hanc miserorum prolapsionem uno aspectu intuere. Ac primum quidem eximium illud esse ac salutare in primis, quod Dei nomen essentiamque significat, ipsius naturæ ductu, im- pressisque animo per sese notionibus, vel divinitus potius inspiratis, nemo non intelligit : hoc enim omnes populi communi quodam rationis sensu præcepere, cum id omni animo ratione et intelligentia prædito, idem hujus universi- tatis artifex naturalibus quibusdam cogitationibus inseverit. At vero nequaquam ad ejusmodi religionis institutum ad- hæsere, quod rationis lumen ostendebat. Nam unus fortas- sis alterve duntaxat, aut si qui alii, sane paucissimi, quos Hebræorum litteræ celebrarunt, cum ad nullam rerum earum, quæ oculis usurpantur, haustam animis de divino Numine notionem affixissent, sed eam ad magnum illum ac præpotentem orbis hujus universi molitorem, ab eorum

quæ sub aspectum cadunt omnium turba, constanti ac certa mentis inductione sustulissent, eumdem unum esse Deum, simulque omnium servatorem, ac solum bonorum auctorem purioribus intelligentiæ oculis perviderunt. Cæteri autem multiplici variaque animorum in caligine volutati, in impietatis barathrum ita corruerunt, ut brutarum animantium ritu, honesti, utilis, bonique rationem una oculorum et corporis voluptate metirentur. Itaque, si qui vel eorum aliquid invenirent, quæ fovendo curandoque corpori utilia putarentur, vel imperium aut tyrannidem occuparent, vel præstigiis veneficiisque præstarent; eos, ut superius commemoravi, licet alioqui morti ac reliquis humanæ naturæ casibus obnoxios, tanquam eos, a quibus cum reliqua bona, tum ipsam quoque salutem haberent, adeoque tanquam Deos celebrarunt, ac venerandam illam augustamque notionem, quam a natura hauserant atque expresserant, in eos, quos ejusmodi beneficiorum auctores esse censebant, contulerunt. Eos præterea tantus animorum stupor invasit, ut omnia consecratorum abs sese Numinum scelera facile paterentur, nec ad quidquam eorum, quæ de ipsis fœdissime jactabantur, erubescerent; sed potius quidquid ad eos pertineret, sive propter ipsorum in hominum genus merita, sive propter imperia vel tyrannides eo primum tempore constitutas, singulari cum approbatione suspicerent. Cum igitur necdum (ut ante dixi) legibus ullis hominum vita regeretur, pœnaque flagitiis nulla immineret; adulteria, mariumque concubitus, nefandas item flagitiosasque nuptias, cædes, parricidia, liberorum, fratrumque jugulationes, bella denique et animorum intestina dissidia, quibus eorum Principes, quos illi Deos opinabantur et vocabant, se ipsos vere obstrinxerant, sic tanquam rerum ab iis præclare gestarum, eximiæque virtutis monimenta celebrabant, eorumque, quasi egregiorum quorumdam facinorum ac præcipua cum forti-

tudinis laude conjunctorum, memoriam ad posteros ipsi suos propagabant. Atque hujusmodi fuit priscorum hominum Theologia, quam nuperi quidam ac nudiustertius exclusi sic immutarunt, ut subtiliorem nescio quam philosophandi rationem jactantes, rerum scilicet naturæ propiorem de Deorum historia opinionem inveherent, et honestiorem aliquam novorum commentorum speciem fabulis attexerent: hoc nimirum secuti, ut nec omnino a scelerata majorum suorum impietate discederent, nec omnino tamen ex illorum religionibus existentem consecratorum Numinum improbitatem paterentur. Hi ergo, cum semel patrium errorem quoquo modo procurare statuissent, ad naturalium causarum atque rationum explicationem fabulas traduxere. Ac primam, quibus alendi corporis augendique vis inesset, ea fabulis significari novo et insolenti fastu jactabant, perinde ac si quid arcanum magis magisque reconditum attulissent: mox vero progressi ulterius, mundi etiam elementa Deorum in numero ita collocarunt, ut ne in sole quidem ac luna cæteraque astrorum multitudine sisterent, sed ipsam quoque terram, cum aqua, aëre, igne, adeoque cum iis, quæ horum ex temperatione ac permistione conflantur, adjungerent. Quinetiam tempestivos terræ fructus, aliaque tum siccioris, tum humidioris alimenti germina: quæ, quod ipsa quoque nostrorum corporum vitam conservarent, Cereris, Proserpinæ, Bacchi, ac cæteris ejusmodi nominibus consecrarunt, coactum nescio quem minimeque verum fabulis vultum et colorem affingentes. Verum, licet isti serius, quod eos majorum suorum theologiæ suppuderet, honestiorem quemdam, prout suum cuique cerebrum cuderet, ac veteres illas Deorum fabulas explicatum adjungerent, nemo tamen ritus patrios mutare ausus est, sed omnes potius cum priscorum instituta, tum usitatam illam quæque secum a pueris adoleverat sacrorum religionisque

rationem præcipuo studio retinendam sibi colendamque putaverunt. At qui eosdem ætate præcesserant, brutorum animalium consecrationem æquali plane cum hominum ipsorum apotheosi dignitatis jure esse voluerunt, partim ea, quam ex ipsis capiebant, utilitate, partim cæterarum causarum, quas ante protulimus, conjunctione permoti. Itaque, pares omnino pecudibus ratione carentibus superstitiosæ venerationis honores sacris legibus ita statuere, ut libationibus, sacrificiis, et arcanis initiandi ritibus, hymnis denique et carminibus, perinde atque hominum ipsorum, quibus divinitatem dederunt, earum cultui majestatem conciliarent. Tandem eo flagitiorum devenere, ut impotenti fœdissimæ libidinis æstu concitati, partes etiam corporis turpitudinem ac venerem cientes, dirasque ac protervas hominum cupiditates divinis plane honoribus prosequerentur, cum in ejusmodi rebus nullum quæsito affectatoque verborum pudori esse locum oportere præclari Theologi decrevissent. Maneat igitur veteres, ut nihil præter nudam rerum historiam noverant, sic ad ipsas tantum fabulas semper adhæsisse, multis hactenus testimoniis esse comprobatum. Sed quoniam speciosa quoque ac recondita egregiorum Philosophorum dogmata jam semel explorare cœpimus, age, propius etiam illa contemplemur, ne saltem eximias eorum philosophandi rationes ignorare videamur. Prius tamen, quam eas in medium afferamus, juverit, opinor, quam graviter magni isti Philosophi non modo cum aliis hoc in genere, sed etiam secum ipsi pugnent, observare. Nam cum hac in Physiologia nulla sit inter eos sententiarum opinionumque conjunctio, alii temere ac prout sua cuique mens suggesserit, rem totam definiunt; alii melioris utique fidei, simul universa tollunt, nec ea solum omnia, quæ de Diis tanta cum indignitate jactantur, sed eorum quoque explicationes Reipublicæ suæ finibus ejiciunt; tametsi pœ-

narum legibus constitutarum metu fabulis interdum ipsis lenocinentur. Græcos ergo Philosophos audi, unius tamen ore omnium præstantissimi, easdemque fabulas modo procul amandantis, modo contra studiose retinentis. Plato ille est, quem tantopere suspiciunt, qui si quando suam ipse mentem ac sensum aperiat, tum vero majori cum libertate prorsus interdicit, quo minus ea, quæ a veteribus decantata olim fuerant, de Diis in posterum sentiantur; sive reconditioris aliquid iis inclusum lateat, quod verborum ac sententiarum allegoriis indicetur, sive eadem extra omnem allegoriam figuramque dicantur. Ubi autem ad leges sese orationemque suam homo meticulosus accommodat, simul jactatis de natura Deorum fabulis habendam esse fidem pronuntiat, quippe quæ nihil per sese aliud figurarum integumentis significatum repræsentent. Idem præterea, posteaquam suam ipse theologiam ab antiquarum fabularum societate commercioque sejunxit, deque cœlo, sole, luna, sideribus, imo de tota hac universitate, ac singulis ejus partibus seorsim Physiologi more disputavit, suam iterum de Diis, quorum genealogiam veteres illi texuerant, opinionem his verbis plane explicateque conceptam in Timæo prosequitur.

CAPUT SEPTIMUM.

Quid de veterum theologia Plato senserit.

« Jam vero de cæteris, *inquit*, Dæmonibus disserere, aut » eorum nosse procreationem, non est facultatis viriumque » nostrarum. Itaque fidem iis, qui naturam illorum jam olim

» explicarunt, habere nos oportet, quippe qui Deorum nepotes cum fuerint, ut ipsi confirmant, suos quoque majores optime noverint. Et sane fieri nullo modo potest, ut Deorum liberis fides negetur, in iis etiam, quæ sine ulla verisimilium aut necessariarum probationum vi atque auctoritate dicunt; sed iis potius tanquam domestica referentibus, quemadmodum lex ipsa jubet, omnino credendum est. Maneat igitur, eoque plane modo commemoretur a nobis Deorum istorum generatio, quo illam ab iisdem accepimus. Ex Terra quidem ac Cœlo Oceanus Tethysque nati sunt; ex his vero Phorcys, Saturnus, Rhea, ac cæteri, qui ad tres illos aggregari solent. Jam Saturnus ex Rhea Jovem Junonemque suscepit, cum reliquis omnibus, quos amborum fratres vulgo recenseri novimus; itaque deinceps reliqui eorum posteri numerantur. » Hæc sunt, quibus Plato ex placitis decretisque legum fidem habere jubet, tametsi ea nullis aut necessariorum aut probabilium argumentorum momentis niti fateatur. In quo notandum illud inprimis, quod nihil omnino reconditi in ista egregiorum Numinum vel appellatione, vel generis serie contineri, quod physiologiæ rationibus explicetur, diserte pronuntiat. Idem vero alibi suam ipse mentem ingenue candideque aperiens, ita loquitur. « Tum ego [1] inprimis, inquam, maximum illud ac de maximis rebus mendacium qui protulit Hesiodus, non satis prudenter mentitus est, sive dum ea, quæ comminiscitur, facinora Cœlo tribuit, sive dum quas Saturnus de illo pœnas expetiverit, commemorat. Nam quæ Saturnus idem vel perpetrasse dicitur, vel a filio pertulisse; ea, ne si vera quidem essent, tamen apud homines nullius consilii eosque adolescentes, ut facile adeo temereque jactarentur, non probarem, sed potius, aut ut omnino silerentur maxime vellem; aut, si quando illa proferri necesse

[1] Plato, de Republ. lib. II.

» esset, saltem ut secreto atque a paucis audirentur, qui non
» jam porcum, sed eximiam aliquam raramque victimam sa-
» crificarent, ut hoc pacto non nisi paucissimos ejusmodi
» sermonibus interesse contingeret. Sane, *inquit ille*, graves
» enim ac perniciosæ fabulæ istæ sunt; imo, nec ullatanus
» (inquam, o Adimante) nostra in republica audiendæ. Nec
» enim ferendum, ut juvene aliquo præsente dicatur, vel
» qui teterrimis quibusque sceleribus seipsum obstringat,
» vel qui acceptas a Patre injurias modis omnibus ulcisca-
» tur, eum nihil admodum insolentis ac novi perpetrare,
» cum ea tantum faciat, quæ a principibus maximisque Deo-
» rum facta esse constet. Tum ille, Equidem ista quoque
» prorsus indigna censeo, quæ hominum auribus occinan-
» tur. Ego vero, nec illud, inquam, ullo modo ferre pos-
» sum, ut mutua Deorum bella, insidiæ, præliaque narren-
» tur, cum id verum esse nequeat, si modo qui servandam
» custodiendamque rempublicam suscepturi sunt, eos mu-
» tuas facilesque nimium dissensiones tanquam fœdissimas
» habere opportebit. Tantum abest, ut iis aut Gigantum pu-
» gnas multiplici fabularum varietate perspersas, aut alias
» omnis generis inimicitias, ab ipsis Diis atque Heroibus cum
» affinibus necessariisque gestas inculcare deceat. Quinimo,
» si mentem hanc nostris hominibus injicere cupiamus,
» nemo ut unquam civis popularem suum odio prosequatur,
» hocque nefas sibi ut esse persuadeant : danda opera fue-
» rit, ut quæ hanc in rem opportuna videbuntur, ea non
» modo senes atque anus, quique adeo jam ætate maturio-
» res erunt, pueris crebro commemorent; verum etiam ut
» poëtæ similes quoque fabulas scribere cogantur. Nam in-
» jecta quidem Junoni a filio vincula, aut Vulcanum præ-
» cipitem a patre actum, quod inflictas matri plagas pro-
» pulsare conaretur, aut ejusmodi Numinum pugnas, quales
» nobis Homerus fabulatur, seu latentes quosdam allegoriæ

» sensus contineant, seu nullos, aditum nostram ad rem-
» publicam habere nusquam debere pronuntio. » Vides utique, quam diserte philosophus quamque explicate doceat, cum vulgatas illas a veteribus de Diis fabulas, tum etiam omnes cujusvis allegoriæ sensus, quos ad Physiologiam accommodatos esse putant, excludi penitus atque arceri oportere. Quamobrem nihil profecto causæ est, cur perperam aut immerito nobis istorum omnium fugam Evangelica Servatoris nostri doctrina præcepisse videatur; cum eadem a suis quoque rejecta fuerint. Ac mihi quidem priscorum Romanorum hoc in genere consilium fieri non potest quin eo nomine vehementer probetur; qui cum satis intelligerent universam illam in fabulis Deorum explicandis Græcorum physiologiam cum absurdam atque inutilem, tum vero coactam minimeque solidam et cohærentem esse, eam simul cum ipsis etiam fabulis theologiæ suæ finibus arcendam esse statuerunt. Id quod vel ex unius Dionysii Halicarnassensis de antiqua rerum Romanarum historia libris auferre potes. Ille enim volumine operis secundo, ubi quæ a Romulo principe urbis conditore gesta sint, commemorat, cum alia pleraque laudat ab eo sapienter instituta, tum quæ ad susceptam hoc loco disputationem pertinent, ita prosequitur.

CAPUT OCTAVUM.

De Romanorum theologia.

« Romulus igitur[1], cum probe intelligeret, honestis legi-
» bus, rectorumque studiorum æmulatione, piam, tempe-

[1] Dionys. Halicarn., Antiq. Rom. lib. II.

»ratam, amantem æquitatis, belloque strenuam civitatem »effici; præcipuam his in rebus operam curamque posuit, »a religione cultuque Deorum ac Dæmonum auspicatus. Ac »templa quidem et delubra, aras item, et simulacrorum »suis in sedibus collocationes, eorumdemque configuratio- »tiones, et insignia, simulque vim numenque singulorum, »atque adeo beneficia, quibus hominum genus affecere, »dies quoque festos, quales Deorum ac Dæmonum cuilibet »conveniunt, tum sacrificia, quibus ab hominibus coli sese »volunt, ferias denique solemnesque conventus, et statas a »laboribus vacationes, ac cætera id genus ex optimis qui- »busque Græcorum hominum ritibus instituit. At vero spar- »sas de iisdem vulgatasque fabulas, quibus aliqua ipsorum »vel probra, vel crimina continentur, improbas, inutiles, »ac fœdas esse ratus, nec diis modo, sed etiam viris bonis »prorsus indignas, rejectis omnibus, homines ad optime de »Diis loquendum ac sentiendum informavit, nullum iis stu- »dium beata natura minus dignum affingens. Nec enim a »Romanis aut exectus liberorum suorum manu Cœlus fuisse, »aut Saturnus, quod sibi ab eorum impetu male metueret, »suos confecisse; aut Jupiter spoliatum imperio Patrem in »Tartareum carcerem inclusisse dictitatur : nec ulla Numi- »num bella, vulnera, vincula, nec locatam hominibus ope- »ram ex illis audias. Imo, nullum quoque apud eos atratum »ac lugubre festum agitur, in quo sublatos e medio Deos »planctibus et lamentis mulierculæ prosequantur, cujus- »modi a Græcis vel ob Proserpinæ raptum, vel ob exitia- »lem Bacchi sortem, similesque casus, solemni ritu cele- »brari solent. Non denique, vel collapsis hoc tempore mori- »bus patriis, homines videas a Numine agitatos, non insanas »Corybantum jactationes, non Bacchanalia, et arcana mys- »teriorum initia, non virorum cum mulieribus in Deorum »templis nocturnas pervigilationes, nec hujusmodi reliqua

»monstrorum similia : sed quidquid ad religiones et sacra »Deorum pertinet, sanctitate ac modestia longe omnibus »tam Græcorum quam barbarorum cæremoniis antecellit. »Quodque omnium soleo mirari, licet infinitæ nationes in »urbem confluxerint, quæ ad colenda ritu domestico pa»tria numina vi quadam et necessitate compellantur, nun»quam illa tamen ad suscipiendum publice ullum peregrinæ »religionis genus adduci potuit, id quod jam aliis plerisque »contigisse novimus. Quod si aliqua forte istiusmodi sacra »ex oraculorum responsis apud se invehi passa est, ea ta»men ad legum suarum instituta accommodavit, rejectis »omnibus fabularum præstigiis, quemadmodum in matris »Idææ sacris videmus. Enimvero sacrificia quidem ludos»que publicos romano ritu prætores quotannis in ejus hono»rem instituunt; ejus tamen sacerdotio vir ac mulier Phry»ges ambo funguntur, qui totam civitatem circumeunt, »singulis mensibus stipem more suo hinc inde corrogantes, »imagunculas pectori alligatas gestantes, tympanaque pul»santes, quos sequens multitudo materna carmina ad ti»biam modulata circumsonat. At e Romanis indigenis nemo »vel Matri stipem emendicans, vel incentione tibiarum af»flatus ac versicolore stola indutus oberrat urbem, nulla»que populi lege, nullo senatus consulto celebranda Phry»gio ritu Matris orgia suscipit. Tantam urbs in peregrino »Deorum cultu cautionem adhibet, adeoque fabulam om»nem dignitate et honestate vacuam mali ominis instar »aversatur. Neque vero me nescire quisquam existimet, »nonnullas Græcorum fabulas aliquid hominibus utilitatis »afferre, sive naturæ opera latente verborum sensu repræ»sentent, sive ad mitigandas humanorum casuum moles»tias confictæ fuerint, sive ad tollendas animorum pertur»bationes, metusque levandos, sive ad minus sanas opi»niones revellandas, sive alterius cujuscumque commodi-

»tatis gratia compositæ. Verum, licet ista æque norim, ac »quivis alius, in ejusmodi tamen fabulis magna semper »cautione opus esse arbitror, eoque libentius Romanorum »Theologiam approbo, mecum ipse reputans, exigua ad- »modum illa esse bona quæ Græcis fabulis continentur, »quæque non ad plures, sed tantum ad eos pertinere pos- »sint, qui quem in scopum ipsæ collineent, diligenter ac- »curateque perspexerint. Enimvero, cum pauci admodum »illi sunt, quibus hanc ad philosophiam aditus pateat, tum »sane rudis et imperita multitudo vulgares istos de Diis ser- »mones deteriorem in partem interpretari solet, atque in »alterum e duobus incidit, ut vel Deos aspernetur tot ac tan- »tis miseriarum fluctibus jactatos, vel nullum flagitii scele- »risque genus cavendum sibi ac declinandum putet, cum ex »Diis ipsis usque adeo familiaria fuisse videat. Verum ista »hominibus iis, qui ad solam philosophiæ partem, quæ est »in contemplatione posita, adhæsere, diligentius expen- »denda relinquimus: ego vero, hæc etiam, quæ reipublicæ »a Romulo institutæ propria sunt, digna, quæ memoriæ »proderentur, putavi.» Hactenus Dionysius.

Ejusmodi non modo summorum philosophorum, sed ipsorum quoque Romani imperii fundatorum ac principum, de Græcorum hominum theologia judicium fuit: ex quo intelligimus, nusquam eos novam istam in fabulis Deorum evolvendis physiologiam probare voluisse: tantum abest, ut sophisticis quibusdam præstigiis, et dignitatis ad speciem compositis januam aperirent. Sed quoniam semel istorum quoque vanitatem sponte redarguendam suscepimus, age quid præclari tandem numinibusque digni eorum interpretationes et commentationes afferant, videamus: sic tamen nihil ut ore loquamur nostro, sed omnia ipsissimis eorum verbis concepta producamus, suaque rursus ab iis mysteria doceamur.

LIBER TERTIUS.

PROŒMIUM.

Ejusmodi quidem non modo summorum philosophorum, sed ipsorum quoque Romani imperii fundatorum ac principum, de Græcorum hominum theologia judicium fuit; ex quo intelligimus, nusquam eos novam istam in fabulis deorum evolvendis physiologiam probare voluisse, tantum abest, ut sophisticis quibusdam præstigiis, et dignitatis ad speciem compositis januam aperirent. Sed quoniam semel istorum quoque vanitatem sponte redarguendam suscepimus, age quid præclari tandem numinibusque digni, eorum interpretationes et commentationes afferant, videamus; sic tamen nihil ut ore loquamur nostro, sed omnia ipsissimis eorum verbis concepta producamus, suaque ab iis etiam recondita speciosæ gravitatis mysteria doceamur. Ac sexcenti quidem alii, qui sese philosophari profitentur, multum hoc in genere laboris et operæ consumpserunt, dum sua quisque a cæteris dissidentia commenta profert, quodque ingenio suo placuerit, id purum putumque verum esse confirmat, mihi tamen satis fuerit, certas perspicuasque probationes ex clarissimis quibusque ac philosophorum vulgo notissimis, et eximia quadam apud Græcos philosophiæ laude florentibus, arcessere. Tu ergo Plutarchum illum Chæronensem primum in manus sume, ipsiusque locum eum ad rem nostram accommodatum perlege, ubi quæsito dictionis apparatu fabulas

alium in sensum flectit ac torquet, quas utique arcanæ theologiæ plenas esse dictitat. Hanc vero enucleans, Bacchum quidem ebrietatem esse tradit, non jam hominem illum morti obnoxium, et in historia decantatum, cujus superiore libro meminimus : Junonem autem, mutuam viri uxorisque consuetudinem matrimonii vinculo sociatam. Deinde, quasi suæ hujus accommodationis oblitus, aliam continuo subtexens historiam, Junonem istam non jam uti prius, sed terram nominat; Latonam vero oblivionem et noctem : moxque Junonem eamdem cum ipsa Latona facit. Ad hæc Jovem nobis inducit, quem ætheris vim allegorice interpretatur. Verum quid opus hæc summatim strictimque prælibare, cum ipsummet audire liceat in iis, quæ de Platæensibus Dædalis memoriæ prodidit, de abdita illa vulgoque hominum ignota Deorum physiologia disertis verbis ita disserentem.

CAPUT PRIMUM.

De naturali Græcorum theologia.

« Antiquam, *inquit*[1], non Græcorum modo, sed etiam » barbarorum physiologiam aliud nihil fuisse, quam ratio» nem quandam naturalem fabulis involutam, adeoque laten» tem et obscuram theologiam, cujus ænigmatis et allegoriis » arcana fere mysteria ita tegebantur, ut cum ea quæ dice» bantur facilius quam quæ silebantur, imperita multitudo » caperet, tum vero de iis quæ silebantur majus aliquid quam » quæ dicebantur, suspicione conjiceret, quivis tam ex Or-

[1] Plutarch., in opere deperdito.

» phei carminibus, quam ex Ægyptiorum et Phrygum mo-
» nimentis auferre potest. Maxime vero cum solemnes ini-
» tiandi ritus, tum quæ dum sacris operabantur adhiberi
» symbola consueverant, quæ mens veterum quique sensus
» fuerit, ostendunt. Cujusmodi, ne longius ab instituta dis-
» putatione abeamus, illud est, quod nullam prorsus Junoni
» cum Baccho societatem et communionem esse pronun-
» tient, eoque caveant diligenter, ne amborum sacra mis-
» ceantur : ipsæque adeo sacerdotes, ut aiunt, Athenis aliæ
» aliis occurrentes denuntient, uti ne quidquam hederæ
» Junonis in delubrum inferatur : non jam ob fabulosam
» illam ac nugatoriam, quam ipsi affingunt, zelotypiam; sed
» quod cum nuptiarum præses ac pronuba dea illa sit, tum
» vero ebrietatis vitium et sponsis indignum et a nuptiis pe-
» nitus alienum videatur, ut tradit Plato. Immoderatus
» enim, inquit, meri potus perturbationes in animis pariter
» et corporibus excitat, quibus efficitur, ut proseminati con-
» ceptique fœtus, cum ob errantes disjunctasque partes mi-
» nus fingi conformarique possint, vix ullam quoque virium
» firmitatem assequantur. Præterea qui Junoni sacrificant,
» ei fel nequaquam offerunt, sed illud juxta altare defo-
» diunt, quod ab omni bile et iracundiæ acerbitate vacuam
» esse mutuam conjugum vitæ consuetudinem oporteat. At-
» que hoc symboli genus magis etiam in iis, quæ narrari ac
» circumferri vulgo solent, fabulis locum habet. Sic enim le-
» gimus, Junonem adhuc virginem cum in Eubœa educare-
» tur, furtim a Jove sublatam ibi latuisse, cum utrique Ci-
» thæron umbrosum quemdam specum, et thalamum a na-
» tura ipsa factum præbuisset. Quo cum Macris quæritando
» pervenisset (nutrix ea Junonis erat), locumque omnem
» scrutari vellet, ab eodem Cithærone prohibitam illam
» fuisse, quo minus vel latebras curiosius exploraret, vel ad
» eas propius accederet, quasi Jupiter ibidem cum Latona

» quiesceret, ejusque congressu frueretur. Posteaquam ergo » Macris abiisset, Junonem tum quidem eo in loco latuisse, » deinceps vero, ut extaret accepti Latonæ nomine bene- » ficii memoria, commune cum ea templum communem- » que aram habere voluisse; atque hinc Latonæ μυχίᾳ, hoc » est latebrosæ, sacra faciendi morem fluxisse : quanquam » alii, νυχίαν id est nocturnam, eam vocant; sic tamen ut oc- » culti ac latentis aliquid nomen utrumque repræsentet. Nec » desunt, qui Junonem ipsam, quod rem ibi cum Jove clam » omnibus habuisset, nocturnam Latonam postea nuncupa- » tam esse velint; donec vulgata passim fama nuptiarum, » initæque primum circa Cithæronem ad Platæas cum Jove » consuetudinis, eamdem in posterum Perfectam et Pronu- » bam appellarunt. At qui hujus in fabulæ vestigando sensu » majorem naturæ rerum ac decori rationem habuere, ut » Junonem unam eamdemque cum Latona facerent, ita phi- » losophati sunt. Juno quidem, ut paulo ante diximus, » terra est, Latona vero nox; quippe quæ eorum, qui » somno sese dant, ληθὼ quædam sit, id est oblivio. Jam » nox aliud nihil est, quam umbra terræ : ubi enim ad » occasum vergens solem occultavit, sese latius porrigens » atram caliginem toto diffundit aëre. Atque is demum est » pleniluniorum quasi lapsus cui defectio comitatur, quo ni- » mirum tempore, dum luna convertitur, umbra terræ » lucem ejus attingit obscuratque. Cæterum Latonam a Ju- » none aliam non esse vel ex eo quivis intelligat. Enimvero » Dianam vulgo Latonæ filiam vocamus; eamdem præterea » Lucinam nominamus. Juno igitur et Latona duæ sunt unius » Deæ appellationes. Deinde Apollo quidem ex Latona, » Mars vero ex Junone natus est : ambo autem vim eamdem » ac potestatem habent. Mars enim, ἄρης, quasi ἀρήγων, hoc » est, in acerbis ac præliorum sociis casibus opem ferens, » nominatus est; Apollo autem quasi ἀπαλλάττων et ἀπολύων, id

»est, morbis illis hominem liberans, quibus corpus labo»rare solet. Itaque ex ardentissimis astris et coruscante »flamma succensis solem Apollinem, alterum vero, cujus »ignea plane species est, Martem nuncuparunt. Neque sane »alienum cuiquam videri debet, unam eamdemque deam et »nuptiarum præsidem vocari, et Lucinæ Solisque matrem »haberi. Nuptiarum quippe finis generatio est, generatio »autem ex tenebris ad solem atque lucem quædam quasi »progressio. Præclare igitur poëta cecinit,

»Postquam ipsum in lucem partus Lucina levandi
»Sollicita extulerat, solisque aspexerat auram [1].

»Recte utique poëta ipsa quidem præpositione conjunctio»nem elisit, ut partus difficultatem oculis subjiceret; finem »vero generationis statuit, solem intueri. Itaque una ea»demque Dea ineundi quoque matrimonii auctor fuit, ut »generationi viam aperiret. Sed enim operæ pretium, opi»nor, fuerit, simpliciorem quamdam fabulam hoc etiam »loco narrare. Jovem quippe ferunt, quod minus Junoni »cum ipso conveniret, eaque congressus declinandi causa »latebras captaret, animi dubium, hacque illacque vagan»tem, in Alalcomenem indigenam aliquando incidisse, ex »quo ita demum se Junonem in fraudem impulsurum esse »didicerit, si novas nuptias simularet. Ergo Alalcomene »suam Jovi operam commodante, clam ab iis excisam in»gentem et eximiam quercum fuisse, quam arte configura»tam ac sponsæ cultu ornatam instructamque Dædalam no»minarint. Deinde Hymenæum quidem hunc in modum ce»cinisse. * * *

[1] Homer., Iliad. XVI, 187.

CAPUT SECUNDUM.

Carmen nuptiale.

» Tritonidas vero Nymphas pelves attulisse, Bœotios deni-
» que tibias lautaque ac lasciva convivia præbuisse. Ista dum
» peragerentur, Junonem, quod rem diutius ferre non pos-
» set, ex Cithærone monte descendisse, magnaque Platæen-
» sium muliercularum turba stipatam, ad Jovem iracun-
» diæ ac zelotypiæ stimulis agitatam accurrisse, continuo-
» que simulatione patefacta et reconciliata cum Jove gratia,
» cum lætitia et hilaritate novæ nuptæ quamdam quasi con-
» ciliatricem fuisse, illudque honoris simulacro tribuisse, ut
» ejusmodi festum Dædala nominaret, tametsi urgente zelo-
» typia ipsum postea licet inanime concremarit. Ac fabula
» quidem ita se habet; ejusdem vero sensus et ratio talis est.
» Junonis Jovisque dissidium aliud nihil quam elementorum
» intemperiem perturbationemque significat, dum conve-
» nienti ac mutua qualitatum proportione sublata, atque
» hujus in locum inæquabilitate ac discordia succedente,
» pristinam conjunctionem acerbiore pugna dissolvunt, ac
» præsentem huic universo pestem afferunt. Enimvero si
» Jupiter, id est calor, et ignea vis corruptioni causam præ-
» buerit, terram æstus invadit : sin autem ex parte Junonis,
» hoc est humidæ flabilique naturæ, aliquid injuriæ et exu-
» perantiæ contigerit, immensa vis imbrium universa pro-
» luere atque obruere consuevit. Itaque cum aliquid ejus-
» modi temporibus illis accidisset; ipsaque maxime Bœotia
» aquarum verticibus hausta esset, ut primum extitit emer-

» sitque solum, et inundationis æstus remisit, ornatus ille » ac species, quæ circumfusi aeris sudique cœli serenitatem » est consecuta, consensio Deorum ac reconciliato nuncu- » pata est. Plantarum vero princeps caput extulit quercus; » eamque homines, quod victum suppeditaret, salutemque » ipsam tueretur, adamarunt : quippe quæ non iis modo, » qui pietatem ac religionem colant, ut Hesiodus loquitur, » sed iis etiam, qui communem calamitatem effugerint,

» Trunco fundat apes, summoque cacumine glandem. »

Hactenus Plutarchus, ex cujus profecto verbis intelligimus, nihil omnino magni, quodque vel divinitatem sapiat, vel ostentari magnopere debeat, præclara ista reconditaque græcæ theologiæ naturali explicatione contineri. Quippe, Junonem enim audisti modo pronubam appellari, quasi mutuam viri et uxoris vitæ communionem significet; modo terram, modo humidam naturam eamdem vocari : Bacchum vero ad ebrietatis, Latonam ad noctis, solem ad Apollinis, ipsumque adeo Jovem ad calidæ et igneæ vis significationem rationemque traduci. Ergo præter fabularum indignitatem, ipsa quoque gravior, uti videbatur, earum interpretatio ac physiologia, non jam vel ad cœlestes ullas, intelligentes divinasque facultates, vel ad naturas aliquas ratione præditas, et ab omni corporum concretione sejunctas evehebat; sed deorsum vergens, aut in crapulam, nuptias, et humanas cupiditates, aut in ignem, terram, solem ac reliqua elementa in materiam immersa, mundique partes extremo quasi actu desinebat, nullique præterea rei divinitatem tribuebat. Atque hoc ipse quoque Plato intellexit. Enimvero diserte fatetur in Cratylo, præter istas, quæ sub aspectum cadunt, mundi partes nihil eos omnino, qui Græciam principes tenuerant, cognovisse, ac sola cœli astra, et cætera, quæ phænomena vocantur, deos putasse. Sic enim ad ver-

bum loquitur. « Qui Græciam primi habuere, ii videntur » mihi deos tantum illos existimasse, quos etiamnum Barba- » rorum plerique arbitrantur, solem, lunam, terram, astra, » cœlum. » Hujusmodi ergo sunt, quæ a Græcis de numinum suorum natura commemorantur. Nunc autem Ægyptiorum etiam fabulas longe Græcis antiquiores videamus. Aiunt itaque, Osiridem solem esse, Isidem vero lunam; Jovem spiritum cuncta pervadentem, Vulcanum ignem, terram Cererem : Oceanum humorem, ac Nilum eorum fluvium, cui ipsas quoque deorum procreationss attribuunt : aërem denique Minervam ab iisdem nominari ferunt. Atque hos quinque deos, aërem videlicet, aquam, ignem, terram, ac spiritum, orbem universum percurrere, varias subinde hominum et omnis generis animantium figuras ac vultus induentes, quorum nomina cum aliquot hominibus morti obnoxiis, et in Ægypto natis communicata fuerint, quos utique Solem, Saturnum, Rheam, Jovem, Junonem, Vulcanum, Vestamque cognominarunt. Quæ Manethus quidem omnia fusius uberiusque persequitur, summatim vero Diodorus in eo, quod supra laudavimus, historiarum opere ad verbum ita comprehendit.

CAPUT TERTIUM.

De allegorica Ægyptiorum theologia.

« Utrumque deum, solem, *inquit*[1], ac lunam, quos Ægyp- » tii Osiridis Isidisque nomine significant, orbem universum » regere ac moderari, resque omnes tribus distinctis anni

[1] Diodor. Sicul., lib. i.

» tempestatibus alere atque augere statuunt, vere, æstate, » et hyeme, quæ suas singulæ conversiones aspectum fugiente motu conficiant, ac plurimum inter sese natura dissidentes, summa tamen et opportunissima consensione » integrum annum absolvant. Atque horum deorum ejus- » modi esse naturam, quæ multum ad tribuendam rebus » omnibus vim generandi fœcundiorem per sese conferat; » solis quidem, igneo calori, ac spiritui; lunæ vero, humori » et siccitati; utriusque demum communi virtute, aëri. Ho- » rum præterea beneficio procreari ac vegetari cuncta; ideo- » que totum hujus universi naturæ corpus solis ac lunæ con- » junctione consistere, cujus partes quinque illæ sint, quas » ante nominavimus, spiritus, ignis, siccum, humidum, » postremoque aërium: ut quemadmodum in homine, ca- » put, manus, pedes ac cætera membra numeramus, ita » plane integrum hujus mundi corpus ex illis partibus coag- » mentetur. Jam vero, qui homines in Ægypto plano et arti- » culato sermone principes usi fuerint, eos partium illarum » quamlibet Deum arbitratos esse, propriaque ac singularum » naturæ convenienti appellatione donasse: ac spiritum qui- » dem, ipsa vocis interpretatione Jovem nominasse, qui » quod animalis facultatis, quæ animantis inest, auctor esset, » eumdem idcirco rerum omnium quemdam quasi parentem » esse putaverunt; cui sententiæ Græcorum etiam poetarum » longe clarissimum suffragari aiunt, cum de hoc Numine » ita loquitur :

» . . . . Parens hominumque deumque.

» Ignem autem, simili nominis explicatione Vulcanum ap- » pellasse, quod ipsum magnum aliquem esse deum, re- » rumque omnium generationem ac justum perfectumque » incrementum plurimum juvare existimarent. Præterea ter- » ram, quod eam rerum nascentium quoddam quasi vas et

»conceptaculum esse censerent, Matrem vocasse, quam »ipsi quoque Græci Δήμητρα (hoc est Cererem) nuncupare »soleant, idque levi tantum aliqua prioris appellationis mu»tatione, cum eamdem olim Γῆν μητέρα (terram matrem) no»minarent, ut ipsemet Orpheus hoc versu testatum reliquit:

»Rerum terra parens, mater Ceres alma bonorum.

»Humidum autem Oceanum a veteribus nuncupatum esse »tradunt; eamque vocem, si interpretari velis, alimenti »matrem significare : Græcosque nonnullos illud ipsum »Oceani nomen eumdem in sensum usurpasse arbitrantur; »de quo etiam ita vates cecinerit:

»Oceanumque deorum ortum, Tethynque parentem.

»Quippe enim Ægyptii Oceanum Nilum fluvium suum esse »putant, cui deorum quoque generationes assignant. Nam »ex omnibus terrarum partibus oppida in una Ægypto ab »antiquis Diis condita esse plurima, cujusmodi sunt, Jovis, »Solis, Mercurii, Apollinis, Panis, Lucinæ, aliorumque »complurium. Quod aërem spectat, illum ab iisdem, vi »nominis interpretatione declarata, Minervam appellatum; »hanc vero Jovis filiam, simulque virginem habitam fuisse »dicunt; quod aër nec ullam suapte natura corruptionem »subeat, et supremam totius mundi sedem ac regionem »obtineat : atque hanc fuisse causam, cur Minerva Jovis »ex vertice nata fingeretur. Eamdem porro Τριτογένειαν, quasi »ter genitam, vulgo nominari, quod ter singulis annis, vere, »æstate et hyeme aëris natura mutetur; Γλαυκῶπιν vero, non »quod cæsiis oculis prædita esset, ut Græcorum aliqui pu»tavere; id enim crassæ nimium simplicitatis esse; sed »quod aër cæsium plane ac cæruleum colorem spectantibus »præ se ferre videatur. Hos igitur quinque deos terra maiunt »lustrare universam, hominibusque modo sacrarum ani-

»mantium figura, modo hominum vultu, modo alia quadam specie tectos sese videndos interdum præbere. Atque »id nequaquam fabulosum esse, sed omnino fieri posse confirmant, cum illi sint, a quibus omnia reapse procreentur; »adeoque poetam cum in Ægyptum appulisset, ac sermones ejusmodi cum eo Sacerdotes communicassent, quasi »rem fieri solitam quodam suæ poeseos loco ita celebrasse :

»Quinetiam interdum peregrino Numina cultu,
»Mille novis lustrare solent nostra oppida formis,
»Fasque nefasque simul propiori lumine cernunt[1].

»Hæc sunt, quæ de diis cœlestibus ortuque sempiterno præditis Ægyptii commemorant; a quibus alios quosdam pro»creatos fuisse perhibent, terrestres illos quidem ac morti »obnoxios, sed tamen immortalitatem partim ob singularem »prudentiam, partim ob communem in genus hominum »beneficentiam consecutos, quorum etiam aliqui in Ægypto »regnaverint. Horum item, si nomina interpreteris, alios »ejusdem ac cœlestes ipsos nominis fuisse, alios propriam »quamdam appellationem esse sortitos, Solem, Saturnum, »Opem, adeoque Jovem illum, cui nonnulli Ammonis cog»nomentum fecere; Junonem præterea, Vulcanum, Ves»tam, postremoque Mercurium, ex iisque Solem Ægypti »regnum principem tenuisse, astro cœlesti cognominem.» Hactenus a nobis laudatus auctor. Jam vero Plutarchus in eo, quod de Iside scripsit, opusculo, quæ sequuntur ad verbum habet. « Rem, *inquit*[2], novo a capite totam arces»sentes, ex omnibus, qui subtilius aliquid et accuratius dis»putarunt, eorum in primis, quibus simplicitas magis ta»men placuit, sententiam videamus. Tales vero illi sunt, »qui (quomodo Græci, Saturnum tempus, Junonem aërem, »Vulcani generationem aëris in ignem mutationem allego-

[1] Homer., Odyss. XVII, 486. — [2] Plutarch., de Isid. et Osirid.

»rice interpretantur), sic apud Ægyptios Nilum Osirin esse »dicunt, qui cum Iside, hoc est terra, congrediatur; Ty- »phonem vero mare, in quod Nilus incidens evanescat.» Quibus ille similibusque commemoratis, rursum ad Dæmones fictitias Deorum istorum fabellas revocat, novasque deinceps novarum allegoriarum accommodationes excogitat. Ego vero quæsierim ex iis, et quidem jure, quorum tandem sese numinum expressas imagines conservare dicant; dæmonumne? an ignis, aëris, terræ, aquæ, an virorum mulierumque simulacra? an denique brutarum animantium, ac ferarum ipsarum figuras? Nam cum ipsimet, homines quosdam mortales eodem, quo solem ac cætera mundi elementa, nomine procreatos, eosdemque deos postea consecratos fuisse concedant; quorum obsecro, æquum fuerit imagines illas figurasque nominare, quas in simulacris inanimis cælatas videmus? an elementorum hujus universi? an, quod artificiosa ipsa vultus conformatio palam ostendit, mortalium inter mortuos jacentium? Enimvero, taceant isti licet; veritas per se ipsa loquitur, ac prope magna voce clamans, eos, de quibus agimus, viros quosdam mortales fuisse testatur. Quinetiam Plutarchus in opere illo, quod de Iside Ægyptiisque numinibus scriptum reliquit, ultro dataque opera singulorum propriam corporis figuram coloremque declarat, his verbis : « Narrant, *inquit*[1], Ægyptii »Mercurium brachio breviorem, Typhonem rufum, Mar- »tem candidiorem, Osirin denique nigriorem fuisse : quippe »qui natura homines extitissent.» Hæc Plutarchus. Mortuorum ergo fuit tota illa Numinum apud istos consecratio : quidquid autem physiologiæ est, hoc iidem postea confinxere. Nam quid attinebat in virorum ac mulierum effigiem simulacra configurare, cum sine illis solem ipsum, lunam, ac reliqua hujus universi elementa colere ac vene-

[1] Plutarch., ibid.

rari liceret? Jam utris porro ex istis, et a quibus auspicati, ejusmodi cognomenta tribuere? Vulcani, inquam, et Minervæ, Jovis, Neptuni, atque Junonis? Utrum ista primum fuere hujus mundi elementorum nomina, quæ deinde mortalibus, ad aliquam inter eos cœlestesque deos appellationis communionem imposuerint? an potius, ad communes illas naturas hominum ipsorum nomina traduxere? quorsum vero mortalibus hisce appellationibus universi naturas nuncupare? Quid autem singulorum deorum mysteria? quid hymni et carmina? quid initiorum arcani ritus? Mundine elementorum, an priscorum mortalium eodem cum diis nomine præditorum invecta fuere symbola? Nam errores quidem, ebriosas perpotationes, amores, mulierum oppressiones, virorum insidias, et hujusmodi sexcenta in mortem utique vergentia, et summa cum turpitudine et indignitate conjuncta, quis communibus mundi elementis attribuat, cum præsertim ipsa per sese mortalis naturæ mores, ipsasque hominum cupiditates exhibeant? Ut profecto his omnibus argumentis, egregiam istam mirabilemque physiologiam, nihil usquam vel leviter attigisse veritatis, nihil quod divinitatem sapiat, invexisse, sed coactitiam potius et ementitam sibi honestioris explicationis speciem aliunde mendicatam obtendisse, manifesto teneamus. Nunc autem, age sis, audi præterea, quid ipse quoque Porphyrius in ea, quam ad Anebonem Ægyptium scribit, epistola, hisce de rebus commemoret.

CAPUT QUARTUM.

De eadem Ægyptiorum physiologia, quodque universam moralis interpretationis accommodationem, ad ea tantum, quæ in cœlo astra cernuntur, aquam, ignem, ac cæteras mundi partes traduxerint.

« Enimvero Chæremon, *inquit*[1], ac cæteri nec aliud quid» quam ante mundos illos, qui sub aspectum cadunt, fuisse » arbitrantur, cum eos, qui ab Ægyptiis inducuntur, ipso » disputationum suarum initio ponant; nec alios agnoscunt » Deos, quam quæ vulgo errantia sidera nominantur, quæ» que zodiacum implent, adeoque quotquot in eorum vi» cinia oriuntur. Quibus adjiciunt suas illas in decanos sec» tiones, horoscopos, quique fortes ac robusti duces nuncu» pantur, quorum non modo nomina, sed etiam morborum » et calamitatum curationes, ortusque simul et occasus, fu» turorumque significationes eorum Almenichiacis continen» tur. Quippe videbat enim, qui solem universi architectum » esse dicerent, ab illis non ea tantum quæ ad Osiridem Isidem» que pertinent, sed etiam quidquid sacrarum fabularum erat, » partim in stellas, et earum aspectus, occultationes, or» tusque devolvi, partim in lunæ modo crescentis, modo » senescentis varietatem, partim in solis cursum, ac vel in » diurnum vel in nocturnum hemisphærium, vel in Nilum » ipsum fluvium, cuncta denique in res naturales, nihil in » corporea mole carentes viventesque naturas, ipsarum in» terpretatione conferri. Atque istorum etiam plerique, quod

[1] Porphyr., in opere deperdito.

» in nostra voluntate est ac potestate situm, ex siderum motu » suspensum esse voluerunt, cuncta necessitate, quod ipsi » fatum appellant, sic tanquam inexplicabilibus quibusdam » vinculis, nescio quo pacto, constringentes, eademque rur- » sus ad Deorum istorum vim ac numen alligantes. Itaque non » alios sive in templis, sive in simulacris, sive in aliis ejus- » modi, quam qui fati leges solvunt, venerantur. » Atque hæc a nobis ex laudata Porphyrii epistola producta sunto; quæ profecto manifeste declarant, ne arcanam quidem ipsam Ægyptiorum theologiam præter cœli stellas, tum quæ constantes ac fixæ, tum quæ errantes vulgo nominantur, alios ullos Deorum in numero collocasse, imo nec corporis expertem aliquem hujus universitatis architectum statuisse, nec rationi effectrici, nec Deo Diisve ullis, aut intelligentibus quibusdam ac sub oculos minime cadentibus naturis, sed uni duntaxat aspectabili soli ejus molitionem tribuisse. Itaque solis astris rerum universarum causam assignarunt, ex fati necessitate, siderumque motu et agitatione cuncta suspendentes; quæ quidem opinio apud illos hodieque vim retinet suam. Nunc ergo, cum et tota Ægyptiorum interpretatio non jam in corpore liberas viventesque naturas, sed in ea tantum, quæ quotidie cernuntur, mundi hujus elementa conferatur, et elementa ista sine animo, sine ratione, ac fluxæ pereuntisque naturæ, peculiari quadam certaque fuerint ratione procreata: vide porro, quonam delapsa sit hominum istorum theologia, quæ naturam mentis expertem, mortuaque et ab omni sensu vacua corpora numinum instar consecrarit, præsertim cum nihil prorsus ab iisdem vel ad spirituales intelligentesque naturas, vel ad mentem ipsam atque rationem rerum procreatricem omnium referretur. Cum autem ex iis, quæ ante a nobis allata sunt, tanquam certum et confessum habeamus, ab Ægyptiis ad Græcos traducta fuisse theologiæ mysteria,

tempus utique est ut eorum ad classem Græcos etiam ipsos aggregemus, illosque nec diversam ab Ægyptiis philosophandi rationem habuisse, nec præter inanimam quamdam materiam ulli omnino rei divinitatem dedisse convincamus. Ista quippe erant augusta Ægyptiorum Numina, quemadmodum ille ipse, quem paulo ante citavi, Porphyrius auctor est, dum in iis, quos de fugiendo rerum animatarum esu conscripsit; de iisdem hunc in modum loquitur. « Illi » autem[1] ab hoc exercitationis genere, et inita cum divino » Numine familiaritate progressi, neque divinitatem solum » hominem permeare, neque in terris animum solo in ho- » mine domicilium suum posuisse, sed unum eumdemque » omnia prope animantia pervasisse agnoverunt. Itaque in » effingendis consecrandisque Numinum simulacris, omni ge- » nere animalium usi, feras aliquando cum hominibus una » miscuere, aliquando avium pariter hominumque corpora » conjunxere. Videas enim apud ipsos imagines quasdam cer- » vice tenus humana specie, vultu autem modo volucrem, » modo leonem, aut aliud quodvis animal referentes : alias- » que rursum capite quidem hominum similes, reliquis vero » partibus corporis modo inferioribus, modo superioribus, » aliarum animantium formam ostendentes. Quibus illi sig- » nificatum volunt, et Deorum ipsorum voluntate consilio- » que fieri, ut illa inter sese mutuo degant, nec sine eorum- » dem Numine evenire, ut feræ immanesque belluæ non ci- » curentur modo, sed nobiscum etiam aliqua vitæ societate » conjungantur. Itaque ab iis leo tanquam deus colitur, » Ægyptique pars aliqua, præfecturam ipsi vocant, ejus co- » gnomento Leontopolites; alia Busirites, a bove; alia Cu- » nopolites a cane nuncupatur. Enimvero sic illi summam in » res omnes Dei potestatem, quam per animantes natura se- » cum pastuque conjunctas, quas Deorum singuli declara-

[1] Porphyr., de Abstin. lib. IV.

» runt, venerari solent. Aquam autem et ignem elemento- » rum optima divinis honoribus tanquam præcipuas salutis » nostræ causas prosequuntur. Atque hæc in ipsis quoque » templis ostendunt : cum in sacra Serapidis æde reserenda, » solemnis expiationis ritus igne simul et aqua in hodier- » num usque diem peragi consueverit, ipso nimirum præ- » centore aquam libante, ignemque præferente, dum ad » templi vestibulum patria Ægyptiorum lingua Deum exus- » citat. Hæc igitur ipsi colunt, quod aliquam habeant cum » rebus sacris communionem; sed ea potissimum, quorum » fere perpetuus iisdem in sacris usus esse solet, majore » quam cætera cultu venerantur; cujusmodi sunt cuncta » animantium genera. Nam et homini quoque circa pagum, » quem Anabin vocant, divinos honores tribuunt; eique sa- » crificium offerunt, et impositas altaribus victimas adolent. » Ille vero paulo post ea tantum comedit, quæ sibi ex pri- » vato penu tanquam homini parata et apposita fuerint. Sicut » igitur ab homine, sic a reliquis insuper animantibus absti- » nendum est. Præterea, cum singulari quadam et eximia » sapientiæ vi, tum diuturna cum divino numine consue- » dine, hoc etiam intellexere, quosdam esse deos, qui cer- » tis animantibus magis, quam hominibus ipsis, delectentur, » ut solem accipitre; qui cum naturam habeat totam ex san- » guine spirituque constantem, tum ea est erga hominem » commiseratione, ut jacenti ejus cadaveri ingemiscat, ocu- » lisque terram ingerat. » Et pauculis interjectis. « Jam vero, » scarabæum, *inquit*, stultus forte quispiam detestetur, ut- » pote divinis in rebus hospes ac peregrinus : at hunc Ægyp- » tii quasi vivam ac spirantem solis imaginem venerari so- » lent. Nam et scarabæus omnis mas est, et semen in palu- » dem immissum, ac sphæricam in figuram conformatum » postremis pedibus in aversam partem convolvit, solis in » cœlo motum æmulatus, integramque lunæ dierum conver-

» sionem expectat. Sicque singulare aliquid de ariete, aliud » item de crocodilo, ac similiter de vulture, ibi; verbo, de » quolibet animantium genere philosophantur, ut summæ » cujusdam prudentiæ, aut potius divinæ sapientiæ consilio » ad cultum ipsis etiam animalibus tribuendum adducti esse » videantur. »

CAPUT QUINTUM.

Ista omnia nullam damnandi sui causam per sese non præbuisse.

Hæc igitur laudatus a nobis scriptor de egregia politorum et elegantium Ægyptiorum physiologia commemorat, quibus eorum nobis arcana patefecit; nimirum, aquam ipsos ignemque venerari, unamque omnino esse tam ratione præditorum, quam eadem carentium, nec corporum modo, sed etiam animi substantiam naturamque statuere, ut eam ob causam feras etiam jure ab illis ac merito Deorum in numero palam habitas ac recensitas fuisse arbitretur. Id autem quis non ab omni ratione alienissimum esse videat, rationis expertem belluinamque naturam, ut numen in ea consecretur, adhiberi, quod ejusdem, ut aiunt, cum hominibus animi communione jungatur? quippe, oporteret enim, si ita est, easdem feras homines appellare, humanamque cum iis dignitatem honoremque communicare. Quod illi cum minime fecerint, quæ tamen ab ipsa natura brutæ ac rationis expertes feræ procreantur, quæ hoc cognomenti genus sibi proprium sortitæ sunt, quæ ne ipsa quidem hominum appellatione dignæ judicantur; eas non

jam eodem apud se, quo homines, jure esse voluerunt, sed altissimum illud orbis universi regis, ac rerum omnium molitoris Dei nomen in belluarum naturam ultro dejecerunt, easque deos pronuntiarunt, quas Deus ne hominum quidem appellatione dignatus est. Audiisti præterea divinæ sapientiæ mysteria, quæ mirabilem Ægyptiorum nationem ad lupos, canes, leonesque venerandos excitarit. Cognovisti etiam scarabæi miraculum, virtutem accipitris. Desine tamen, quod superest, deos irridere : subeat te potius tantæ infelicissimi hominum generis cæcitatis et amentiæ commiseratio : simulque omnibus diligenter exploratis tecum ipse reputa, quibus nos quantisque bonis Christus ille Deus cumularit, qui nostros et Ægyptiorum ipsorum animos, evangelicæ doctrinæ suæ vi tam inveterata tamque diuturna cæcitate vindicarit : nam et Ægyptios quoque maximam sane partem videmus ab istius morbi contagione liberatos.

CAPUT SEXTUM.

Jure nos ab ea quoque de Diis istorum philosophandi ratione, quæ propius ad naturam accedere videatur, recessisse, eidemque solam veramque theologiam anteposuisse.

Ejusmodi fuerunt Ægyptiorum commenta, quæ longe omnibus Græcorum figmentis antiquiora fuisse memorantur. Habes tu præter fabulosam illam Theologiam, aliam quoque cum rebus naturalibus conjunctiorem, eamque cum Græcis pariter Ægyptiisque communem, qui jam olim superstitiosum istum tot numinum cultum conflavere, quos

utique nihil omnino de ulla vere divina, corporis experte, atque intelligente natura cognovisse, facile animadvertis. Sed enim demus hoc tamen, atque istis altiorum cœlestiumque nugarum architectis concedamus, verum eos dicere, et in hac sua allegoricæ interpretationis physiologia scopum ipsum attigisse. Sit apud illos sol nunc quidem Apollo, nunc Orus, nunc etiam si lubet, Osiris, emo isto sane, quidquid ipsi voluerint : itemque luna, vel Isis, vel Artemis, vel quæcumque recensere placuerit. Sint enimvero hæc non mortalium hominum, sed luminum cœlestium propria nomina. Erit videlicet propterea, soli, lunæ, sideribus, ac reliquis hujus mundi partibus adorationis cultus tanquam diis exhibendus. Sic ergo præclara Græcorum philosophia in omnium conspectu, verborum quidem ostentationem quasi machina quadam sublime tollit, at sapientium mentem deorsum et circa Dei creaturas, quæ sensibus oculisque patent, ita versat, nihil ut omnino præter ignem calidamque naturam, mundique partes, luminaque cœlestia, adde vero humidam atque siccam, per me licet, ipsamque corporum temperationem divinitate donet. Quis igitur non videat, magnum plane atque admirabile quiddam esse Jesu Christi servatoris Deique nostri Evangelium, quod universum hominum genus edoceat, solis ipsius lunæque Deum ac dominum orbisque totius conditorem, supremum, inquam, illum, rerumque fines ac terminos omnium superantem, convenienti tantæ majestati cogitatione sensuque venerari? adeoque non corporum elementa, sed ipsiusmet vitæ, alimentorum, cunctorumque bonorum quæstorum ac dispensatorem celebrare? nec jam ullo modo aspectabilis istius mundi partes, aut eorum quicquam, quæ sensu corporis attingi comprehendique possunt, quippe quæ caducæ pereuntisque naturæ sint, cum stupore mentis intueri : sed potius mentem illam, non modo communium universi naturarum,

sed rerum quoque, singularum effectricem, quæque cum insit in omnibus, nusquam tamen videri potest, unam admirari, unam suis de numine sermonibus ac disputationibus prædicare; solam, inquam, illam potestatem divinam, quæ cuncta permeat, cunctaque moderatur, corpore vacuam intelligentemque naturam, vel ejusmodi potius, quam nec dicendi nec cogitandi vis ulla capere possit, quæ subinde rebus in omnibus quæ per eam efficiuntur, appareat, quæ sine corpore cuncta penetret, ac sine ulla commixtione pervadat, quæ omnibus in creaturis non cœlestibus modo, sed etiam terrenis constantem ac perpetuam operandi virtutem ac magnificentiam ostendat, quæ cunctis citra aspectum, nobisque adeo citra sensum omnem moderetur, ac sapientiæ, quas verbis assequi nemo queat, rationibus orbem gubernet universum. Sed quoniam tot hactenus argumentis istius vel sapientiæ, vel theologiæ, sive quæ fabularum comes et socia nominatur, sive quam veteres cum Græci tum Ægyptii ad aliquam dignitatis speciem cum rerum naturis propius conjunxere, vanitatem et inconstantiam illustravimus; sequitur, uti invecta a recentioribus iis, qui nostris temporibus sese philosophari profitentur, fuci plena ornamenta videamus. Isti quippe, quæ longo post ætatum intervallo, de mente rerum omnium procreatrice, deque corpore carentibus ideis, ac de naturis intelligentia rationeque præditis inventa primum a Platone, summoque judicio excogitata fuerant, ea cum priscorum theologia colligare moliti, majore quam antea fastu hanc texendarum fabellarum professionem extulere. Audi ergo, quanta cum ostentatione atque jactantia hominum etiam istorum physiologiam Porpyrius evulgarit.

CAPUT SEPTIMUM.

Quasnam recentiores philosophi causas atque rationes ad veteres de diis fabulas attexuerint.

»Fas quibus est narrabo; fores claudunto profani[1];

»divinæque sapientiæ sensus et consilia proferam, quibus ii »Deum et multiplicem Dei vim atque potestatem, imagini»bus quibusdam naturali cum sensu cognatione conjunctis »indicarunt, qui res aspectum omnem fugientes perspicuis »simulacris in eorum gratiam expressere, qui prima de »Diis elementa, eorumque doctrinam ex statuis sic tanquam »e libellis recitare didicerant. Enimvero mirum videri non »debet, si ligna, si lapides simulacra Deorum esse homines »imperitissimi arbitrentur, perinde sane ut ii, qui rudes »ignarique litterarum, cippos quidem non aliter ac lapides, »tabulas vero non secus atque ligna, libros denique quasi »contextam papyrum intuentur.» His ubi verbis ille prolusit ad fastum ostentationemque compositis, accipe porro, quemadmodum institutam orationem prosequatur. « Jam »vero, quod Numen, *inquit*, lucis formam aliquam spe»ciemque præ se ferat, et in medio circumfusi purissimi »cujusdam ignis orbe versetur, nec ab ullo sensu, qui circa »mortalem hanc vitam occupetur, attingi possit : illustri »quidem splendidaque materia, cujusmodi crystallum est, »pariumve marmor, aut ebur, in aliquam sui luminis cogi»tationem adduxit; auri vero aspectu, partim ignis, partim »decoris sui nullam omnino maculam ferentis notionem

[1] Porphyr., in loco deperdito.

» impressit ; aurum enim sordibus fœdari non potest. Quin-» etiam plerique nigro lapide naturam illius nusquam sub » oculos cadentem adumbrarunt. Nam quod ratione præ-» ditum Numen sit, humanam in figuram Deos conforma-» runt : quod vero pulchritudinem habeat omni fato superio-» rem, formæ dignitate præstantes effinxerunt : varia de-» nique cum specie, tum ætate spectabiles, itemque diverso » vel sedendi, vel standi more, cultuque dissimili, adeoque » mares alios, alios fœminas, virgines, adolescentes, matrimo-» nioque conjunctos, ut eorum inter sese discrimen ac dif-» ferentiam exhiberent. Itaque alba omnia cœlestibus diis » assignarunt, itemque sphæram et cuncta sphærica mundi » quidem, solis, ac lunæ propria, sed tamen iis aliquando » cum fortuna et spe communia esse voluerunt : circulum » vero quæque circularis erant figuræ partim æternitati, » partim cœli motui, ejusdemque zonis ac circulis ; circulo-» rum autem sectiones variis lunæ figuris, pyramides et » obeliscos ignis naturæ, eademque de causa Olympiis quo-» que Diis, ut conum præterea Soli, Terræ cylindrum, se-» mini ac generationi effigiem veretri, figuramque triangu-» larem propter verecundum fœminæ membrum tribuerunt. » Hæc egregius singularisque philosophus, quibus quid fœdius ac turpius dici possit, cum per ea res etiam turpissimæ verbis graviter ac magnifice prædicentur ? quid porro coactum magis, quam inanimas quasdam materias, aurum, lapides, cæteraque id genus, lucis ac deorum imagines, aut cœlestis ætheriæque naturæ simulacra præ se ferre ? Cæterum hæc sophismata a nuperis quibusdam invecta esse, de quibus ne per somnium quidem veteres cogitarint, vel ex eo intelligas, quod prisci illi homines confecta ex auro aut alia quadam materia, quæ pluris æstimari solet, simulacra rejicerent. Atque id Plutarchus sic ad verbum alicubi testatum reliquit.

CAPUT OCTAVUM.

De prisca simulacra conficiendi statuendique ratione.

« Prisca vero [1] ac pervetusta habeatur fingendorum si» mulacrorum consuetudo. Illud certe quidem, quod in » Delo primum ab Eresichthone solemnioribus Atticæ pompæ » diebus consecratum Apollini signum est, ligneum erat : » itemque ligneum aliud ab indigenis ipsis Minervæ Urbicæ » positum, quod Athenienses hodieque servant. Quin et » Samii quoque ligneam Junonis effigiem habuere, ut scri» bit Callimachus. *** [2] Piras vero princeps Junonis Ar» golicæ templum posuisse fertur, et Callithyiam filiam ejus » sacerdotem fecisse, atque ex Tirynthiis arboribus sectam » pyrum silvestrem in elegantem ac politam Junonis imagi» nem configurasse. Nam lapidem quidem ipsi, quippe rem » duriorem minusque arti obsequentem animaque carentem, » in Numinis effigiem scalpendo conformare nolebant : au» rum autem atque argentum sterilis ac vitiati soli morbo» sos colores esse, ac sordes quasdam et maculas ex terra » ignis ardore percussa, vibicum instar existere arbitraban» tur. Ebore vero interdum sane utebantur, sed joco so» lum, et quasi ad aliquam deliciarum ac lautitiarum varie» tatem. » Hæc Plutarchus, eoque longe antiquior Plato nihil nec in auro, nec in lapidibus, nec in ebore, nec in ullo prorsus opere, quod ex inanimi materia conflatur, esse pronuntiat, quod vel paulo augustius, vel naturæ divinæ

[1] Plutarch., in loco deperdito. — [2] Corruptus locus.

aptum, ac simile haberi possit. Tu ergo, qui hominem, hominisque sensum apprime nosti, accipe, quid in Legibus hac de re præcipiat: «Terra, *inquit*, focique domes»tici cunctis hominibus deorum omnium templa sunt: »nemo igitur secunda Diis templa consecrato. Nam aurum »quidem et argentum apud alias civitates, tam privatim »quam in templis ipsis invidiosa possessio est; ebur autem »corporis anima spoliati minus sanctum purumque donum: »ferrum denique et æs bellorum instrumenta.» Atque his equidem Porphyrianæ physiologiæ vanitatem manifesto argui ac refelli puto.

CAPUT NONUM.

Continuatio theologiæ Græcorum et Ægyptiorum allegoriis explicatæ.

Age tamen, quæque ex eadem supersunt, contemplemur. Audi ergo, quemadmodum Porphyrius iste prosequatur.

«Attende mihi porro, *inquit*, Græcorum sapientiam, »itaque tecum ipse cogita. Quippe, cum illi Jovem hujus »mundi mentem esse crederent, quæ mundum ipsum in sese »complexa, quidquid eo continetur, procrearit; quæ sequun»tur, ex Orphei petita carminibus in theologiæ suæ libris de »illo tradiderunt.

»Princeps postremusque Jovis, qui fulmine candet.
»Ille caput, mediumque simul, cui cuncta creantur,
»Mas natus Jovis est, natus Jovis integra virgo.
»Ille solum ac cœli stellatos sustinet axes.
»Rex idem, rerumque parens, et originis auctor.

»Unica vis, Dæmonque unus, qui cuncta gubernat,
»Omniaque hæc unus regali in corpore claudit,
»Ignem, undam, terras, æthram, noctemque, diemque,
»Consilium, ac primum genitorem, et numen amoris,
»Hæc Jovis immenso sub corpore cuncta coërcet.
»Atque hujus caput eximium, vultusque decoros,
»Irradians cœlum videas, cui pendula circum
»Aureaque astrorum multo se lumine fundit
»Cæsaries; geminumque alto stat vertice cornu
»In tauri speciem, rutiloque accenditur auro:
»Ortus et occasus, superis nota orbita Divis.
»Sunt oculi Phœbus, Phœboque adversa recurrens
»Cynthia. Mens verax, nullique obnoxius æther
»Regius interitu', qui cuncta movetque regitque
»Consilio. Vox nulla potest, sonitusve, nec ullus
»Hancce Jovis sobolem strepitus, nec fama latere.
»Sic animi sensum, et caput immortale beatus
»Obtinet: illustre, immensum, immutabile pandens,
»Atque lacertorum valido stans robore corpus.
»Olli humeri, pectus, nec non immania terga
»Aërii late tractus: velocibus idem
»Nativisque ruens circumvolat omnia pennis.
»Omniparens tellus, quique alta cacumina tollunt
»Montes, sacram alvum efficiunt: mediamque sonantis
»Unda tumens pelagi zonam. Basis ultima numen
»Sustentans, terræ penitus radicibus imis,
»Et vastis Erebi spatiis, quosque avia tellus
»Porrigit extremos immota in finibus hæret.
»Cuncta autem medio primum sub pectore condens,
»Inde almam in lucem dio molimine profert.

»Jupiter ergo mundus universus est, animans quidem ex »animantibus, ac Deus ex Diis: Jupiter vero, quatenus »mens est, cujus ac notiones in lucem cuncta profert, cunc»taque molitur. Jam vero cum hunc in modum theologi de »Numinis hujus natura partibusque disputarent, nec imago

» ejusmodi aliqua fingi ac configurari posset, qualem ista » nobis carmina repræsentant, nec, si forte quispiam ejus » elaborandæ rationem invenisset, figura tamen sphærica sa» tis vim illam cum vitalem, tum vero intelligentem ac pro» videntem exprimere potuisset : Jovis simulacrum huma» nam in speciem conformarunt, quod mens esset, cujus in » procreatione rerum exemplar intueretur, cujus seminali» bus quasi rationibus cuncta perficeret. Idem vero sedet, » ut immotam potestatis suæ constantiam utcunque signifi» cet : partes corporis superioris nudas habet, quod in spi» ritalibus ac cœlestibus mundi partibus sese illustrius spec» tandum exhibeat; inferiores contra tectas, quod in infimis » rebus penitusque reconditis absconditus ipse delitescat. Ac » læva quidem sceptrum tenet, quod ex omnibus corporis » humani partibus eo præsertim in latere cor illud cætero» rum facile princeps, vimque intelligendi maximam com» plexum intestinum, tanquam in proprio domicilio con» quiescat : quippe mens enim illa procreatrix hoc in orbe » regnat : dextra vero aut aquilam protendit, quod aëris » ipse Diis, perinde ut aquila sublime volantibus avibus, do» minetur; aut victoriam, quod idem omnia superarit. » Hæc tibi Porphyrius. Quibus hunc in modum expositis, operæ pretium fuerit attente otioseque contemplari, quem ista nobis carmina qualemque Jovem loquantur. Equidem non alium arbitror, quam aspectabilem huncce mundum, ex multiplici partium varietate conflatum, quarum aliæ cœlestes atque ætheriæ cum sideribus in utraque regione collucentibus, ac principe loco, sic tanquam in magni corporis capite collocatis, aliæ vero aëriæ, terrestres, marinæ, ac cæteræ id genus. Enimvero terra, montes, colles, partes utique mundi sunt, quarum in medio cinguli cujusdam instar mare volvitur : ignis autem, aqua, nox pariter atque dies in ejusdem quoque mundi naturæ partibus censeri ac

numerari debent. His ergo palam aspectabilem hunc orbem repræsentari, suisque aptum ex partibus et constitutum universum exhiberi, nisi tamen erro, facile mihi persuaserim. Sane enim Orpheus ita canebat,

Omniaque hæc unus regali in corpore claudit;

cujusmodi vero ista sint omnia, sic explicat:

Ignem, undam, terras, æthram, noctemque, diemque.
Atque hujus caput eximium, vultusque decoros
Irradians cœlum videas, cui pendula circum
Aureaque astrorum multo se lumine fundit
Cæsaries,

et quæ sequuntur: interque cætera subjicit, æthera Jovis mentem esse, nihilque aliud, quo modo Stoici philosophantur, dum calidam quidem igneamque naturam partem hujus mundi principem, Deum vero corpus, ipsumque adeo summum architectum nihil nisi vim ac potestatem ignis esse dictitant. Nam ejusmodi certe versuum istorum sententiam esse arbitror,

. . . . Mens, verax, nullique obnoxius æther
Regius interitu, qui cuncta movetque, regitque
Consilio.

Quibus quidem Orpheus, ubi mundum ingens quoddam animal sine ullis verborum involucris esse posuit, illudque Jovem appellavit, tum mentem ipsius aërem, corpus reliquas mundi partes esse pronuntiat. Ac talis quidem nobis carminibus Jupiter describitur. Carminum autem interpres ipso statim initio sententiam eorum secutus ita subdit: « Jupiter ergo mundus universus est, animans ex animantibus, ac Deus ex Diis, » sicque manifeste Jovem illum, quem theologi loquuntur, ipse quoque non alium præter mun-

dum istum oculis ac sensibus obvium carminibus illis expressum ac significatum esse declarat.

Ea porro Ægyptiorum doctrina fuit, ex quibus ut suam Orpheus theologiam hauserat, ita mundum utique Deum esse voluit, ex pluribus Diis tanquam sui partibus (nam ipsas quoque mundi partes Deorum in numero ab iis repositas fuisse antea demonstravimus) constitutum : quod unum profecto, nihilque præterea laudati a nobis Orphei versus expressere. At idem ipsius enarrator priori huic interpretationi alteram ex suo sensu depromptam subjiciens, procreatorem hujus universitatis Deum, effectricem mentem illam esse contendit, de qua theologus iste disputarit. Verum, quomodo tandem ejusmodi mentem, suis versibus poëta, seu Thracius ille Orpheus, seu quivis alius fuerit, Deum cecinisset, de qua nihil unquam ipse ne levissime quidem tenuissimeque cognoverat? præsertim si quidquid habuit theologiæ, totum id in ipsum erat vel ab Ægyptiis, vel ab antiquioribus Græcis derivatum; quos quidem ostendimus antea, nihil omnino spiritalis, nihil quod aspectum fugiente et corporis experte natura constaret agnovisse; si cui tamen hoc in genere fide dignus Plato videatur, qui homines illos[1], qui Græciam primi tenuere, eos tantum, quos barbarorum etiamnum plerique celebrant, solem, lunam, terram, sidera, cœlum, Deos censuisse, in Cratylo confitetur. Quinetiam paulo ante Chæremo testabatur, ne ipsos quidem Ægyptios aut aliud quidquam hoc aspectabili mundo prius et antiquius habuisse, aut alios esse præter planetas ac reliqua sidera Deos putavisse; adeoque ipsos omnia prorsus ad hunc, quem cernimus, mundum, nihil ad incorporeas viventesque naturas interpretationibus suis revocasse.

CAPUT DECIMUM.

Coactæ ac violentæ istorum omnium accommodationis refutatio.

Ille igitur poëta, qui totus ex fontibus hisce profluxit, unde tandem, aut quomodo, quove doctore atque auspice, Deum illum mundi fines ac terminos omnes superantem, eumdemque solis, lunæ, siderum, ipsiusque cœli, et orbis universi conditorem suis in versibus posuisset? Unde autem incorporeæ naturæ cognitionem hausisset? Enimvero nihil prorsus istorum omnium ipsi unquam in mentem venit. Neque enim effectrix illa mens pluribus ex partibus coagmentata est, nec ejus aut caput cœlum esse potest, aut corpus ex igne, aqua terraque constare, aut oculi sol ac luna censeri. Nam ejus quidem Numinis, a quo universa procreantur, humeros, pectus, dorsum atque uterum, quomodo tandem aër longe lateque diffusus, et terra, et montium summa cacumina efficiant? aut quis intelligat æthera vel rerum omnium conditoris, vel mentis effectricis mentem esse? Atque hæc argutuli versuum istorum interpretis commenta esse, pluribus ostendere nihil attinet. Jam vero qui mundi partes Dei membra esse dicat, eum projectæ ac profligatæ impietatis reum esse pronuntio, multoque magis, qui Deum atque mundum rem unam et eamdem asseveret, quique ad extremum ipsius mundi mentem illum esse, qui cuncta procreavit, arbitretur. Nam ut molitorem servatoremque mundi alium ab eo, quod productum est, diversumque statuere, pietatis est: sic eum mundi mentem, perinde atque animantis alicujus animam, toti passim orbi

conjunctam intime ac sociatam esse, adeoque universum ipsum induisse, nemo pie dixerit. Illum quidem toti universo præsentem adesse, ac sua mundum providentia gubernare sacrosancta nostrorum docent oracula, quibus præclara sane Deoque cum primis digna theologiæ ratio continetur : sic enim per ea Deus ipse loquitur : « Numquid » non cœlum et terram ego impleo? dicit Dominus[1]. » Ac rursus : « Quod Deus in cœlo sursum, et in terra deorsum[2]. » Et alibi : « In ipso enim vivimus, et movemur et sumus[3] : » non tamen ut in parte aliqua mundi, nec ut in ipsius anima vel mente. At si locus similitudini esse debet, longe sane ut Deo convenientius illud est, ita cum veritate conjunctius, quod apposite sacræ litteræ alicubi prodiderunt : « Cœ» lum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meo» rum[4]. » Nam si omnino res postulat, uti humanum loquendi morem personis fingendis paulo propius imitemur, utriusque theologiæ discrimen considera. Qui cœlum Dei sedem vocavit, is certe non tantum ultra sedem, verum etiam supra res omnes summum illum universitatis regem longissime semotum collocavit, sic tamen ut ne terram quidem ipsam ab ejusdem providentia secluderet; quippe ad res enim quoque nostras hanc ejus providendi vim adjungere sese et accommodare docet, eoque subdit, « terra autem scabellum pedum meorum. » At nec scabellum, nec vero sedes vel sedentis corpus vel ipsius partes ab ullo unquam nominentur. Iste vero, qui cœlum, quæque cœlo continentur, Dei caput, æthera vero mentem ejus, membra denique reliquumque corpus cæteras mundi partes esse dixit, neque mundi opificem, neque Deum nosse convincitur. Neque enim aut se unquam ipse procrearit, aut cujus mens æther sit, idem jure mentis nomen obtinere possit. Cujusmodi porro Deus iste fuerit, cujus partes et terra et terræ montes, inanimæ

[1] Jerem. XXIII, 24. — [2] Deut. IV, 9. — [3] Act. XVII, 28. — [4] Isai. LXVI, 1.

videlicet, ac rationis expertes corporum moles efficiant? Quis autem verum censeat, ignis, aëris et aquæ, hoc est ratione carentis fluxæque materiæ fœtus germanum ac fratrem, Deum prædicari? Jam, si Jovis mens aliud nihil erat, quam æther ille sæpe nominatus, æther autem suprema est aëris regio ignique persimilis, qui ἀπὸ τοῦ αἴθεσθαι, quod est ardere, hujusmodi nactus appellationem fuerit; adeoque si ambo, aër, inquam, atque æther corpora sunt; vide, obsecro, quo tibi mens illa Jovis evanuerit. Præterea quis tandem, si modo sapit, deum vocarit eum, qui mentem amentem atque ab ratione vacuam habeat? quippe, omnis enim corporis natura ejusmodi est. Quare nobis sane, cum de Deo disputatio instituitur, assumenda superioribus contraria omnia sunt: eum neque cœlum esse, neque æthera, neque solem, neque lunam, neque cunctum astrorum chorum, neque orbem simul universum. Hæc enim manuum illius opera sunt, eaque pusilla admodum et exigua, si cum incorporeis illis intelligentibusque virtutibus conferantur; quandoquidem omne corpus et interitum patitur, et ratione caret, cujusmodi est eorum, quæ videntur, natura. At quæ supra mundum hunc aspectabilem evectæ naturæ sunt, eæ non ratione tantum, sed etiam immortalitate potiuntur: atque ut ævi perennitatem obtinent cum beata supremi rerum omnium regis æternitate conjunctam, sic longe omnibus iis, quæ cernuntur, antecellant præstentque necesse est. Quamobrem quid de corporeis mundi partibus sentire nos oporteat, divina oracula jure ita docent: « Videbo » cœlos opera digitorum tuorum, lunam et stellas, quæ tu » fundasti[1]. « Et, « Opera manuum tuarum sunt cœli[2]. » Ac rursum, « Tollite in altum oculos vestros, et videte, » quis ostendit hæc omnia[3]. » Atque hæc adversum priorem carminum istorum explicationis partem dicta sunto. Age

[1] Psalm. VIII, 4 — [2] Ps. CI, 26. — [3] Ps. XL, 26.

vero, quæque deinceps consequuntur, expendamus. « Cum, » *inquit*, imago ejusmodi fingi ac configurari nulla posset, » qualem ea nobis carmina repræsentant, Jovis simulacrum » humanam in speciem propterea conformarunt, quod mens » esset, cujus in procreatione rerum exemplar intueretur, » cujus seminalibus quasi rationibus cuncta perficeret. » Si ergo talis imago fingi nulla potest, qualis Orphei carminibus exhibetur, exhibentur autem aspectabilis hujus mundi partes, cœlum, quæque cœlum ipsum ambit, aër, terra, quæque amborum sinu complexuque continentur : si, inquam, partium istarum mundi, quæ sub aspectum cadunt, imago conflari nulla potuit; quomodo tandem ipsiusmet Dei, qua mens est, effigiem architectari quisquam possit? Quid porro cum divina mente similitudinis corpus etiam humanum habet? Ego, ne cum humana quidem habere quidquam existimo; cum hæc incorporea sit ac simplex, nullasque partes habeat, illud contra, vilium ac sordidorum artificum opus, mortalis corporis naturam imitetur, viventisque carnis surdam ac mutam in mortua inanimique materia speciem figuramque repræsentet. Ac mihi quidem merito dici videatur, animum illum rationis immortalitatisque participem, ac mentem eam, quæ hominis in natura pati nihil possit, divinam imaginem similitudinemque retinere; quatenus uterque ab omni corporis et materiæ concretione sejunctus: naturam essentiamque sortitus est plane spiritalem, ac ratione constantem, quæque virtutem possit sapientiamque suscipere. Quare si quis animi simulacrum ac speciem fingendo architectari posset, idem quoque posset superiorum cœlestiumque mentium imaginem aliquam fabricari. At vero cum humana mens ejusmodi sit, quæ nullam formam, speciem, figuramque nullam habeat, adeoque nec visu percipi ejus essentia, nec oratione vel auditione comprehendi queat, quis usque eo insania vecordiaque la-

borabit, humanum ut simulacrum præpotentis supremique numinis figuram et imaginem repræsentare contendat? Natura enim divina ab omni materia semota cogitari debet, atque ejusmodi, quam cum silentio, defæcatæ mentis, et animorum ab omni labe purgatorum intelligentia contempletur. At Jovis illius, quem cernimus, figuratum arte simulacrum, aliud certe nihil quam hominis natura ipsa mortalis effigiem continet; imo ne totum quidem atque integrum hominem, sed tantum partem ejus alteram eamque deteriorem imitatur, cum nullum omnino vitæ animæque vestigium exhibeat. Quomodo igitur Deus ille rerum omnium moderator, ac mens illa hujus universitatis effectrix, Jupiter iste, qui vel ex ære, vel ex ebore mortuo fingitur, esse poterit? Deinde mens eadem rerum molitrix universarum qui tandem Jupiter ille fuerit, Herculis ex Alcmena pater, ac cæterorum omnium, quos a Jove procreatos esse fabulantur, quique mortalem hanc vitam cum eodem, quo vulgus hominum exitu terminassent, propriæ naturæ posteris nullo unquam delenda tempore monimenta reliquerunt? Enimvero principes Phœnicum theologi, Jovem, ut primo libro demonstravimus, Saturni filium, proindeque mortalem ex mortali satum, ac genere Phœnicem esse perhibebant. Eumdem Ægyptii cum suum esse vellent, mortalem similiter fatebantur, et cum Phœnicibus hac in parte sentiebant. Cretenses præterea, qui Jovis apud se tumulum ostendebant, tertios ejusdem rei testes citare possimus. Quinetiam Atlantii, omnesque demum, quos Jovem ætate præcessisse constat, quique suis eum historiis sibi vendicarunt, mortalem ipsum fuisse uno simul ore prodiderunt, resque ab eo gestas, mortalium sane hominumque proprias, easque nihil vel augusti, vel philosopho digni continentes, sed omnis potius turpitudinis libidinisque plenas conscripserunt. Jam vero qui graviorem et honestiorem in speciem sese fabulas

mutare profitentur, iis Jupiter modo calida quædam et ignea vis est, modo spiritus : nunc autem quemadmodum ipsi mentem rerum effectricem omnium eumdem esse velint, haud equidem intelligo. Quærendum enim ex illis fuerit, quem istius patrem, quem avum fuisse dicant? Nam Jovem quidem Saturni filium esse communi consensu theologi omnes confitentur, quæque nunc in manibus habemus Orphei carmina, præpotentis Saturnii meminere : Saturnum autem Cœli. Demus igitur istis Jovem et deum rerum universarum moderatorem esse, et vero mentem eam, quæ cuncta condiderit. Quis ergo illius pater? Saturnus. Avus autem, quis? Cœlus. Atqui si primus Jupiter est, utpote rerum omnium architectus, alios profecto secundum ipsum recensere oportuit, utpote ab eo fabricatos. Etenim sive Tempus Saturnus fuerit, et quidam suapte natura Cœli fœtus, quippe quod una cum Cœlo Tempus esse cœperit : sive Cœlum ipsum vere Saturni patrem, ac secundum eum Tempus fuisse malint : sane tamen his etiam prior Jupiter ille esse Debuit, quem ipsi Deum rerum auctorem omnium, adeoque Cœli Saturnique seu Temporis procreatorem esse volunt. Quod si ita est, non jam tertius a Cœlo Jupiter fuerit. Quomodo igitur ab omnibus non Ægyptiis tantum ac Phœnicibus, verum etiam Græcis atque philosophis mens ista rerum omnium architecta, in numinum suorum genealogia nonnisi a cœlo tertia recensetur? Atque his rationibus philosophi nostri commentum manifeste licet teneatur, idem tamen iis ipsis, quæ postea subjicit, clarius arguetur.

CAPUT UNDECIMUM.

Validissima Græcorum dogmatum confutatio.

« Porro, Junonem, *inquit*, Jovis uxorem esse finxerunt, » quod ætheriam scilicet aëriamque vim Junonem appella- » rent; æther enim subtilissimus ac tenuissimus aër est. » Enimvero, æthera Jovis esse mentem Orphei carmina paulo ante declarabant : nunc autem, quid æther ille sit, interpretis nostri definit oratio, dum tenuissimum aërem illum esse pronuntiat. Atqui corpus sane aër est, multoque magis æther, ex quo manifeste Jovis mentem, licet tenuissimum, corpus tamen esse convincitur. Ecquis vero capere unquam ac persuadere sibi possit, corpus atque mentem rem unam et eamdem esse, quorum naturæ ex diametro, quod aiunt, inter sese opponantur? Deinde nescio quo pacto carminum istorum oblitus ille fuerit, quorum expressa hæc est apertaque sententia.

. . . . Mens verax, nullique obnoxius æther
Regius interitu', qui cuncta movetque, regitque
Consilio. Vox nulla potest, sonitusve, nec ullus
Hancce Jovis sobolem strepitus, nec fama latere.

Quibus æthera Jovis esse mentem perspicue declaratur. Iste autem rursus ætheriam aëriamque vim Junonem esse tradit, moxque distinctione utens ita subjungit. « Ac vis » quidem, *inquit*, aëris universi, Ἥρα, hoc est Juno, ap- » pellatione ab aëre ducta, nominatur; ejus autem aëris,

» quem infra lunam modo illuminari, modo tenebris obs-
» curari videmus, Latona symbolum est, quippe quæ λήθώ
» quædam, id est, oblivio, sit, partim quod animis illis,
» quos infra lunam procreari contingit, divini numinis obli-
» vio comitetur. » Itaque mater Apollinis ac Dianæ, a quibus noctis illuminatio derivatur, eadem Latona nuncupari solet; quibus aliud nihil significari tradit, quam aërem luna inferiorem solis ac lunæ parentem esse, quippe qui Latona sit. At enim, quomodo tandem aër parens eorum esse possit, quæ illuminationis causæ sunt, præsertim cum efficiatur ipse potius, quam efficiat? Sol enim atque luna variam ac multiplicem in aëre mutationem ac vicissitudinem efficiunt. Jam vero ita deinceps iste prosequitur. « Id
» quod est, *inquit*, in terrena vi princeps atque primarium,
» Vesta nominatur; cujus simulacrum virginea specie juxta
» focum excitari collocarique solet: quatenus autem fœ-
» cunda vis illa est, eamdem uberum tenus muliebri forma
» expressam voluerunt. Et Opem quidem lapidosi ac mon-
» tani, Cererem vero plani ejusdemque feracis soli vim ap-
» pellarunt. Nam Ceres cum cætera plane omnia cum Ope
» communia habeat, tum hoc ab illa differt, quod ipsa
» Κόρην (Proserpinam) ex Jove, hoc est κόρον (recentem et
» tenellum) ex cremiorum ac cæterorum hujusmodi virgul-
» torum seminibus ramum educat: quæ causa etiam est,
» quamobrem ipsius effigies spicis coronetur, ac papaveri-
» bus, quæ magnæ fœcunditatis symbola sunt, ambiatur. »
Hic rursum videsis, amabo, quemadmodum iste Opem illam, quæ cum cæterorum Numinum, tum ipsius Jovis mater appellatur, deorsum in saxa terramque abjecerit, omniaque miscens atque confundens, eamdem illam fecerit quam Cererem, hoc tantum discrimine, quod Ceres, inquit, Proserpinam ex Jove pariat, quomodo scilicet planum terræ solum ex cremiorum virgultorumque seminibus re-

cens ac novellum germen educit. Ecce tibi Jupiter in cremiorum etiam ac virgultorum semina commutatus. Verum, quæ subjungat, audiamus. « Et quoniam, *inquit*, eorum » seminum, quæ terræ committuntur, vis quædam et efficacitas est, quam sol ad inferius hæmisphærium progrediens, » circa hyemale solstitium secum una deferat, Proserpina » quidem vis illa est seminum conservatrix, Pluto vero sol, » qui circa brumæ solstitium sub terram commeans, latentem et ignotum orbem circumeundo peragrat. Atque is » Proserpinam rapuisse propterea dicitur, quam Ceres sub » terra absconditam summo desiderio prosequatur. At vero » fructuum vim, non eorum modo, quibus ligni simile putamen est, sed etiam omnium omnino, qui ex plantis oriuntur, » Bacchum appellant. Ac mihi tu eorum imagines contemplare. Nam Proserpina quidem symbola fert existentium » supra terram a semente germinum : Bacchus autem, cui » communia sunt cum eadem Proserpina cornua, muliebri » specie fingitur, ut vim illam, quæ plantarum fructibus inest, ex mascula fœmineaque conflatam significet. Pluto » ille præterea, qui Proserpinam rapuit, galeam gestat, » quæ latentem ignotumque polum repræsentet : truncum » item mutilumque sceptrum, quo ejusdem in manes umbrasque imperium denotetur : canem denique habet, qui » frugum designet procreationem, quæ tribus veluti partibus, semente facienda, eademque cum excipienda, tum » ad extremum in herbam et culmum educenda continetur. » Neque enim ex eo, quod ipse κῆρας, hoc est animas, quas » devoret, habeat, κύων, id est canis appellatur, sed παρὰ τῷ » κυεῖν, h. e. a fœto gravidoque terræ utero, cui progignendi » vim Pluto suppeditat, cum Proserpinam rapit. Quinetiam » Attis et Adonis aliquam habent cum iisdem frugibus proportionem. Et Attis quidem cum iis floribus comparatur, » qui primo vere cum excludantur, necdum integro matu-

»roque fructu decidunt. Id quod in causa fuit, cur exec-
»tum illum dicerent, quo fructus eos designarent, qui non-
»dum vis seminalis essent maturitatem essecuti. Adonis
»autem maturarum frugum messem repræsentat. Jam Sile-
»nus, spiritalis motus symbolum est, qui et ipse non parum
»universo conducit: et quidem ornatus capitis floribus ac
»splendore conspicuus, cœlestem conversionem; cæsaries
»vero ad partes ejusdem inferiores usque promissa, terres-
»tri similem aëris crassitudinem utcunque adumbrat. Et
»quoniam vis præterea divinandi quædam inerat, Themin
»ipsam nominarunt, quasi singulis τὰ τεθειμένα, hoc est res
»fato constitutas eventurasque prænuntiet. Atque hunc in
»modum vim illam terræ tot symbolorum varietate explica-
»tam venerantur; ac Virginis quidem Vestæque nomine,
»quatenus ea centrum universi complectitur; Parentis,
»quatenus animantibus alimenta suppeditat; Opis, quate-
»nus lapides generat, montibusque prominet; Cereris,
»quatenus virentia germina procreat; ad extremum The-
»midis, quatenus fundendis oraculis usui est. Vim autem
»seminis, quod ipsius in gremium effunditur, in Priapi spe-
»ciem effinxere; sic tamen ut quod siccis frugibus produ-
»cendis aptum esset, Proserpinam, quod vero ad humi-
»diores arborumque fœtus pertineret, Bacchum appella-
»rent. Sic igitur Proserpina quidam Sementis tempore a
»Plutone, hoc est a sole sub terras commeante rapitur:
»Bacchus autem cum germinare incipit, idque pro quali-
»tatibus iis, quibus illa vis afficitur, quæ tenerior adhuc,
»tametsi ad fructus excellentis productionem idonea, sub
»terra delitescit: tum vero suam ei virtuti commodat ope-
»ram, quæ ut floribus excludendis præest, Attis symbolo;
»ut autem maturarum frugum messi, Adonis nomine adum-
»bratur. Præterea vis illa spiritalis, quæ universa permeat,
»Sileni; quæ vero cunctis paulatim educendis ac magis ma-

»gisque proferendis continetur, Bacchantis in speciem con»formatur : quemadmodum etiam impetus, qui ad Vene»rem extimulat, Satyrorum effigie solet exhiberi. Atque »hæc symbola sunt, quibus terræ vis insita declaratur.» Hactenus ergo Porphyrius; quæ mihi brevius quidem, at necessario tamen commemoranda duxi, ne quid speciosæ Philosophorum istorum doctrinæ nos lateat. Habemus enim vero ex nostri hujus interpretis explicatione, Proserpinam quidem fructuum eorum vim nativam esse, qui jacto semine, Bacchum autem eorum, qui ex plantis oriuntur : vernorum item flosculorum Attin, non secus ac maturarum frugum Adonim symbolum existere. Quorsum ergo rebus iis divinitas affingatur, quas universi conditor moderatorque Deus alendis iis, quæ in terra versantur, animantibus procreavit? Aut quomodo vim terrestrem venerari nos deceat, qui animum sortiti sumus natura cœlestem, ratione præditum, immortalem, atque ejusmodi, qui Deum ipsum Universorum Regem perpurgatis intelligentiæ oculis contemplari possit? Deinde, qui Silenum audiat spiritalem esse motum, vimque omnia pervadentem, eumque modo capite cœlestium orbium conversionem, modo hispidiore ac densiore barba crassitudinem aëris ostendere; fierine possit, uti æquo animo ferat eum absque omni religioso cultu indigne præteriri, quem relictis omnibus Deum habere oportebat, Adonim autem atque Bacchum, fruges scilicet arborumque fœtus, divinis honoribus consecrari? Præterea, quisquamne audire sine aurium offensione possit, Satyros et Bacchas, fœdarum effrænatarumque hominis libidinum nominibus ad aliquam honestatis et gravitatis speciem explicari? Satyri enim, inquit, impetus illos, qui ad venerem stimulant, Bacchæ vero fieri solitam partium earum, quibus veneri indulgetur, extensionem referebant. Sed enim, quid attinet singulis istis seorsum refellendis immorari? cum

satius utique fuerit, ne quid nos ex arcanis reconditisque mysteriis fugiat, naturalem eorum, quæ postea sequuntur, a citato Scriptore allatam expositionem percurrere breviter, et in compendium summamque colligere. Sic ergo prosequitur. « Vim autem aquas efficiendi universam, Oceanum, » ejusdemque symbolum Tethyn nominarunt; ita quidem, » ut quæ ad bibendum faciles et opportunas elaborat, Ache» loüs; quæ marinas, Neptunus : eadamque vis, quatenus » ad generationem apta est, Amphitrite habeatur. Ac sin» gulares quidem aquarum dulcium virtutes Nymphæ, ma» rinarum autem, Nereides appellantur. Porro vim ignis » Vulcani nomine expresserunt, ejusque simulacro hominis » in speciem configurato cæruleum pileum indiderunt, quo » cœlestem illam conversionem denotarent, ubi primigenius » et ab omni fece purissimus ignis domicilium suum collo» cavit. Nam qui e cœlo delatus in terras ignis est, quod » propter majorem imbecillitatem materiæ quasi firmamento » indigeat, claudicanti similis effingitur. Cum autem ejus» modi quoque aliquam solis esse vim putarent, Apollinem » ipsum nominarunt, a tremula radiorum ejus vibratione, » quam πάλσιν Græci dicunt. Ac novem quidem Musæ illi » accinentes, sphæram luna inferiorem, cum septem plane» netarum orbibus, unoque præterea omnis erroris experte, » repræsentant. Laurum vero eidem consecrarunt, partim » quod igne abundet hoc plantæ genus, eoque Dæmonibus » exosum infestumque sit; partim quod, dum uritur, vocale » sit, eoque futura prædicendi vim huic Deo inesse significet. » Eumdem, quatenns ab iis, qui in terris agunt, incom» moda calamitatesque depellit, quasi dum ab ortu in occa» sum progreditur, κλᾶσθαι πρὸς ἀέρα, hoc est ad aerem frangi, » videatur, Ἡρακλέα (Herculem) appellarunt; quem etiam duo» decim certaminum labore defunctum esse fabulantur, cœ» lestis orbis in duodecim signa divisionem hoc symbolo

»declarare cupientes. Clavam ipsi leonisque pellem attri-»buunt, ut altera motus inæqualitatem, altera vim solis in »leonis signa maxime dominantem exhibeant. Jam virtutem »illius salutarem per Æsculapium expressam voluere, eique »baculum in manum dederunt, scilicet quo laborantes sui »cum sustentandi, tum etiam erigendi gratia uterentur. »Serpens autem eidem circumvolutus corporis salutem sig-»nificat (enimvero physici illi, qui nobis mundi hujus »molitionem tradiderunt, quod circa terram aliquæ sese »volvendo trahant animantes, in crassiorem illarum terres-»tremque naturam ejus rei causam contulerunt); quod hoc »animantis genus et spiritu præ cæteris abundet, et corpo-»ris imbecillitatem exuat. Quinetiam præcipuo quodam et »singulari ad medicinam instinctu ferri videtur; quippe qui »non tantum acuendo vi sui medicamentum repererit, sed »etiam herbam aliquam, ut fabulæ perhibent, revocandæ »vitæ perutilem noverit. At vero propter motionem illam »circularem ac saltationi persimilem, qua vis ignea fructi-»bus maturitatem affert, Dionysius longe alia ratione quam »fructuum humidiorum vis, nuncupatur, quia sol aut περιδι-»νεῖ, hoc est in orbem circumagit, aut cœlestem conversio-»nem διανύει (conficit). Idem, quatenus per singulas inferioris »mundi ὥρας, hoc est, tempestates, suo motu circumfertur, »statasque anni vicissitudines efficit, Horus propterea nomi-»natur. Vis autem ejus, quam in agrorum cultura promit, »quaque πλοῦτον (divitias opesque) conciliat, Pluto symbolum »est. Sed quoniam ipse vim etiam corrumpendi habet, Plu-»toni Serapidem adjunxerunt: ac luminis quidem sub ter-»ram subeuntis vestem purpuream; inferioris autem in Ma-»nes principatus, sceptrum summa parte mutilum; ejus »denique in occultam latentemque plagam secessus pecu-»liarem manus compositionem symbolum esse voluerunt. »At Cerbero tria capita tribuuntur, quibus tres solis in cœlo

» regiones, Ortus, Meridies, et Occasus denotentur. Jam » vero lunam Ἄρτεμιν, hoc est Dianam, quasi ἀερότομιν, aerem » secantem, venerationis gratia nuncuparunt. Ac partui qui- » dem, tametsi virgo, Diana præest, quod novilunio vis » quædam insit, quæ pariendi facultatem afferat. Quod au- » tem in sole Apollo, hoc ipsum Minerva in luna est, quod » illa prudentiæ symbolum instar cujusdam Minervæ sit. » Eamdem rursum Hecaten nominant, ob formæ, quam in » ea cernimus, varietatem, cui vis etiam diversa respon- » deat. Itaque sic ea vis triplici forma figuraque distinguitur, » ut novilunium quidem alba veste, aureis sandaliis, faci- » busque succensis repræsentet. Calathus autem is, quem » ipsa gestat, ubi altiorem in locum subvecta jam est, fru- » gum maturitatis, quam iis circa luminis incrementum » alendis efficit; æreus denique sandaliorum color plenilu- » nii symbolum habeatur. Nam lauri quidem ramum, spe- » ciem ejus igneam; papaver autem, cum ejusdem fœcundi- » tatem, tum vero animorum, qui eam velut urbem aliquam » incolunt, multitudinem interpretari commode possis: ur- » bis enim symbolum papaver est. Eadem arcum ut Diana » ferre solet, quo acutissimi partus dolores adumbrantur. » Quinetiam Parcæ ad vim illius multiplicem referuntur. » Nam Clotho ad generandi, Lachesis ad alendi vim perti- » net, Atropos denique inexorabile hujus Deæ numen signi- » ficat. Præterea frugum educendarum vim ad lunam adjun- » gunt, nempe Cererem, quæ novis ipsam viribus augeat; » simulque Proserpinam a luna contineri volunt. Bacchum » etiam cum ea sede domicilioque conjungunt, partim ob » cornuum eruptionem, partim ob nubium regionem infe- » rioribus partibus subjacentem, ad id faciendum adducti. » At vero Saturnum lentiore ac segniore vi eademque frigi- » diore præditum esse cum viderent, temporis vim assig- » nandam ipsi et consecrandam putarunt, eoque imaginem

» illius stantem canamque finxerunt, ut proprium temporis » senium indicarent. Et καιρῶν quidem, hoc est occasionum » varietatem Curetes Saturni nutricii repræsentant, quod » per illam quasi occasionum vicissitudinem tempus ince- » dere progredique videatur. Horarum autem aliæ cœlestes, » et quædam solis administræ sunt, quippe quæ cœli portas » reserent; terrestres aliæ, quæ Cereri tribuuntur, duplicis- » que generis calathos ferunt, alium floribus plenum, qui » veris, alium spicis, qui æstatis symbolum sit. Quod vero » Martis igneam esse vim intelligerent, eamdem ipsi conci- » tandis bellis, cruori effundendo præesse, adeoque plurimum » vel detrimenti vel utilitatis afferre dixerunt. Stellam au- » tem Veneris cum afficiendæ generationi aptam, et cupi- » ditatis seminisque causam esse animadverterent, eam » mulieris quidem specie, generationis exprimendæ gratia, » finxere, forma vero pereleganti, quod eadem vesper quo- » que sit,

» . . . . Qui stat in ætherio pulcherrimus orbe.

» Huic Amorem propter cupiditatem adjunxere. Eadem » ubera partesque verecundiores tegit, quoniam iis præser- » tim fons seminis ac nutriendi vis et facultas continetur. » Eam denique e mari extitisse narrant, quod hujusmodi » elementum ex humido calidoque temperatum perpetuo » motu agitetur, eoque spumam egerat, qua vim seminalem » adumbratam esse voluerunt. At Mercurius orationem exhi- » bet, quæ nihil non efficit, nihil non illustrat explicando. » Atque is erecto quidem et intento corporis statu cum vim » orationis contentionemque repræsentat, tum vero semi- » nalem quoque rationem ostendit cuncta permeantem. Cæ- » terum quod ea sive oratio sive ratio compositum quiddam » sit, quam in sole collocant, Mercurium, quam in luna, » Hecaten, quam in ipso denique universo Hermopan no-

»minarunt; quod seminalis illa effectrixque ratio universa »pervadat. Quinetiam ex duplici voce compositus est, et »Graio veluti genere mixtus, is quem Hermanubin Ægyptii »nominant. Et quoniam orationi amatoria vis quædam inest, »ei repræsentandæ Cupidinem adhibuerunt. Itaque Mercu»rii quidem filius Cupido est, idemque pusio, propter re»pentinos illos impetus, qui varias in cupiditates præcipi»tem eum rapiunt. Ad extremum totius symbolum Universi »Pana statuere, cui attributa cornua solem atque lunam, »hinnuli vero pellis aut cœlestium siderum, aut Universita»tatis hujus varietatem repræsentent.» Ac de Græcarum fabularum explicatione hactenus Porphyrius.

Jam vero Ægyptiorum theologiam sequentibus notis adumbratam esse tradit. « Effectricem illam rationem, quæ ab ipsis Cneph appellari solet, humana specie configurant, colore cæruleo, eoque nigricante, cingulum ac sceptrum manu tenentem. Huic in capite regius ex penna galericulus est, quod ejusmodi ratio abdita fere obscuraque lateat, summoque inveniri labore vix possit, eademque vitæ fons ac regina cum sit, tum vero intelligente quodam ac spiritali motu cieatur, quem maxime penna illa in capite sita referat. Hunc porro Deum ex ore Ovum effudisse narrant, ex eoque satum alium esse Deum, qui ab iis Phtha, Vulcanus a Græcis nominetur. Ovum autem illud Mundum interpretantur, eique Numini Ovem consecrarunt, quod veteres ad potum lacte uterentur. Ipsius vero Mundi ejusmodi finxere simulacrum. Humanam similiter in speciem conformatum est, conjunctos inter se commissosque pedes habet, vestem multiplici colore textam, et ab humeris deorsum ad pedes usque promissam gestat, summoque capite sphæram auream sustinet : partim quod Mundus sedem nunquam mutet, partim quod rotundam formam præ se ferat, partim etiam ut variam astrorum naturam adumbrarent. Iidem ali-

quando solem hominis cujusdam navigium crocodilo impositum conscendentis symbolo repræsentant : ac navigium quidem, institutum in humida mollique regione motum significat, crocodilus vero, aquam illam ad bibendum facilem, per quam sol feratur : itaque per humidum ac suavem aërem solis conversionem fieri declarare voluerunt. Telluris autem cum cœlestis, tum etiam terrenæ vim, Isin nuncuparunt, idque propter ἰσότητα, hoc est æqualitatem, æquitatis omnis ac justitiæ fontem. Ac cœlestem quidem ipsi, lunam, terrestrem vero, terram hanc, in qua degimus, frugumque parentem esse volunt. Cæterum Ægyptiorum Isis ea ipsa est quam Cererem Græci vocant; quemadmodum qui a Græcis Proserpina Bacchusque nominantur, iidem apud Ægyptios Isis et Osiris appellari solent. Porro ut eadem Isis non modo fructibus iis, quos suo terra sinu complectitur, alimentum suppeditat, sed etiam novis eos incrementis auget, sic Osiris, apud Ægyptios, vim ad fructus educendos potentem repræsentat, quam ipsi fletu lenire quodammodo et placare conantur, cum ea, partim semente facienda, terræ sepulta visceribus evanescit, partim alendis corporibus nostris consumitur. Quanquam is quoque Nili efficacitatem virtutemque significat; hoc tamen discrimine, quod ubi terrenam ipsi tellurem denotare volunt, tum Osiridis nomine fructuum parens terra intelligi debeat : ubi vero cœlestem, Nilum idem Osiris exhibeat, quem originem e cœlo docere commemorant, eoque luctu similiter prosequuntur, quasi vim ejus certis deficientem et exhaustam intervallis conciliare sibi ac placare velint. Isis autem illa, cujus cum Osiride congressionem fabulæ celebrant, Ægyptia terra est, ac propterea cum æquari ipsa, uterumque gestare, ac demum fructus procreare dicitur, tum etiam Isidis conjux, simulque frater ac filius Osiris esse perhibetur. »

CAPUT DUODECIMUM.

De simulacro, quod Elephantinopoli visitur.

Apud Elephantinopolim quoddam ejusmodi simulacrum venerantur, quod sedens, ac cæruleo colore imbutum, ipso quidem corporis trunco virilem præ se fert speciem, arietis vero caput habet, in eoque proprium ac primarium insigne, hirci cornua, quibus circulus disci figura sustinetur. Ejus autem sedentis ad pedes fictile vas jacet, in quo scilicet homo fingatur. Et arietina quidem facies, caprinaque cornua, solennem in arietis signo solis ac lunæ congressionem, cæruleus vero color lunæ vim ad cogendas et eliciendas aquas in ea congressione præcipuam repræsentat. Jam secundum lunæ lumen in Apollinis urbe consecrarunt; cujus symbolum homo est accipitris vultum præferens, ac Typhonem hippopotami specie conformatum jaculo subigens. Cæterum albi coloris simulacrum est, quo lunam suum aliunde lumen emendicare significant; quemadmodum accipitris vultu, lumen ipsum una cum spiritu in eam ab sole derivari. Soli enim accipitrem consecrant, quo tanquam luminis pariter ac spiritus symbolo uti solent, partim quod incitatissimo volatu feratur, partim quod altiorem in regionem, ubi lucis plurimum, volando subeat. Hippopotamus autem polum alterum, ad quem sol occidens progreditur, eo denotat, quod ad sese propius accedentes hianti ore absorbeat. Porro in illa ipsa civitate Horum pro Deo colunt. Tertium denique lumen religioso cultu Lucinæ in oppido prosequuntur: cujus effigies vulturi fœminæ ac volanti similis est, cui alæ ex lectis eximiisque lapidibus contextæ

aptantur. Atque hac vulturis specie, lunam vim gignendi ciendique ventos habere significant, vultures autem, quas omnes fœminas esse volunt, ex vento concipere arbitrantur. At vero in Eleusiniis mysteriis ipsemet sacrorum Antistes Creatorem; qui facem præfert, solem; qui ad aram consistit, Lunam; sacrorum denique Præco, Mercurium habitu ac specie repræsentat. Præterea Ægyptii hominem, cui sacra faciant, deligere consueverunt: Anamis enim Ægypti pagus est, ubi homo religionibus et sacrificiis colitur, eique victimæ in altaribus cremantur: ipse tamen paulo post, quæ sibi tanquam homini apponerentur, libenter omnino comederet. Nam quod illi brutas animantes Deos esse nequaquam arbitrentur, vel ex eo liquet, quod in plerisque locis boves Diis consecratos, solennibus feriis Deorumque religionibus immolare consueverint.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

De bove, qui apud Heliopolim soli immolatur.

« Soli quidem [1] atque lunæ boves consecrarunt. Qui » porro soli apud Heliopolim sacer est, Mnevis nomine, » cæteros magnitudine superat, idemque colore nigerrimo, » quod vehementioris assiduique solis ardor nigrorem hu- » manis corporibus afferre soleat. Præterea caudæ totiusque » corporis pilos sursum versus rejectos, præter aliorum » boum naturam, habet, quemadmodum sol contrarium polo » cursum instituit. Testibus est maximis, quod rei venereæ » cupiditas vi caloris excitetur, ipseque adeo sol naturam

[1] Clem. Alex. Strom., lib. v.

»fœcundare dicatur. Lunæ vero taurum dicarunt, quem »Apim nominant, nigrum ipsum quoque præ cæteris, quod»que luna suum a sole lumen accipiat, solis præterea lu»næque insignia præferentem. Ac solis quidem insigne est, »cum ipsius corporis nigror, tum etiam is, qui sub lingua »hæret, scarabæus : lunam vero partim orbiculi dimi»diati, partim dimidiato majoris figura repræsentat. »

Atque hæc a nobis ex Porphyrii scriptis in epitomen redacta sufficiant, nihil ut eorum nos lateat, quæ recondita vel Græcorum vel Ægyptiorum theologia continentur. Cujus profecto desertores nos ac transfugas sponte confitemur. quippe qui castigato plane maturoque consilio una cum cæteris ista quoque rejecerimus. Neque vero me arrogans ista terrebit oratio,

Fas quibus est narrrabo; fores claudunto profani.

Profani utique non nos, sed qui turpes adeo ac putidas de scarabæis, ac cæteris id genus animalibus ab omni ratione vacuis, fabulas pro sapientiæ divinæ sensis venditarunt; qui, ut divinus Apostolus loquitur, « dicentes se esse sapientes, »stulti facti sunt : » utpote qui «mutaverunt gloriam incor»ruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis homi»nis, et volucrum, et quadrupedum, et serpentium[1]. » Atenim, quoniam fabellarum istarum sensus arcanos scilicet ac mysteriis pleniores, in naturas corporis expertes tralatione quadam contulerunt, utique ne ad eas in posterum, quæ cernuntur, mundi partes, sed potius ad naturas aliquas nec subjectas oculis, nec in corpus immersas, Deorum suorum molitionem referre viderentur; spectemus illud etiam, num longe præstet unam potius divinam colere ac venerari naturam, quam plures esse arbitrari. Nam si multæ in uno eodemque corpore figuræ, partes variæ, diversaque

[1] Rom. 1, 22.

membra elaborata sunt, non tamen continuo verum sit, aut nos totidem animabus præditos, aut tot unius corporis auctores atque architectos esse opinari : sed cum unicam esse animam, quæ totum corpus moveat, tum unam quoque vim effectricem, quæ totum animantem molita sit. Eodem plane modo de hac rerum universitate sentiendum. Cum unus sit mundus, ex una similiter eademque corporea materia conflatus, quique cum plurimas in partes dividatur, tum vero unam quamdam atque naturalem universarum consensionem præ se ferat, ac, præter eorum elementorum, quæ ambitu suo continentur, partim temperationem atque mixtionem, partim varias aliorum in alia mutationes, universum ipsum præterea, mundum unum atque una rerum omnium concinnitate aptissimum exhibeat; non jam plures facultates illius effectrices ponere, sed unam tantum eamque vere Dei vim, Deique sapientiam divino quoque nomine celebrare oportuit. At noster ille philosophus Ægyptiacas etiam fabulas ad easdem naturas corpore vacuas traducere conatur. In quo suimetipsius homo consultissimus oblitus est. Quippe audiisti enim superius, cum et Chæremonem et alios plerosque fateretur nihil omnino præter mundos illos, quos sensus perciperet, agnovisse, adeoque tanquam omnium principes Ægyptios posuisse, quod ad rerum naturalium rationes omnia, nihil ad expertes corporis viventesque naturas explicando revocarent; si ergo vel istorum confessione proprium id Ægyptiorum fuit, nihil ut ad expertes corporis viventesque naturas traducerent, sed quæcunque de Diis fabulabantur, ea ad partes mundi naturales omnia revocarent; quorsum tandem nova ex integro commenta somniantes, Ægyptiis aliena quæque assignatis, eosque theologiam suam in naturas ab omni sejunctas materia contulisse dictitatis? Atque hoc modo quidquid ab istis excogitatum est, confutari univer-

sum potest. Jam vero ut singularum partium coactam adeo atque violentam accommodationem refellamus, non longa nobis oratione opus esse arbitror. Enimvero, ut Ægyptiorum deliramentis, ac stolida nugarum anilium congerie prætermissa, ad politorum Græcorum physiologiam transeamus: quis, obsecro, sanæ mentis eos, qui tam alienum in sensum ejusmodi fabulas detorquere conantur, non suopte ingenio confutare, atque ex figmentorum ipsorum ratione possit? Nam esto sane Jupiter, non jam ignea ætheriaque natura, ut veteres auctore Plutarcho statuebant, sed potius Mens illa suprema rerum molitrix universarum, quas vi etiam vitali foveat, quomodo igitur Saturnus, quem tempus esse aiunt, pater ejus erit, Ops vero mater, quam interpres noster lapidosam ac montanam vim esse confirmat? Nam Junonem sane, quam sive aërem, sive æthera quoque nominavit, quomodo Mentis illius mundi effectricis, rebusque omnibus vitam largientis sororem simul et uxorem esse velit, equidem non intelligo. Præterea Latona per me ληθώ quædam, id est oblivio, nuncupetur, partim quod sentiendi vis, ut aiunt, somni tempore nulla sit, partim quod animis illis, quos infra lunam procreari contingit, oblivio comitetur: qui ergo fieri potest, ut solis ac lunæ mater oblivio sit, Apolline ac Diana Latonæ liberis in solem lunamque traductis? Jam cur tanquam Deum aut Opem aut Cererem venerari oporteat, si altera quidem lapidosi ac montani, altera vero plani patentisque soli symbolum quoddam esse dicatur? Qua ratione Κόρην, hoc est Proserpinam, quam ipsi κόρον, satietatem interpretantur, venerando illo nomine appellandam esse opinentur? Cur item Bacchum, Attin, et Adonin divino cultu prosequendos esse contendunt, quos modo vim seminalem, ac fructuum eorum, quibus ligni simile putamen est, modo vel florum, qui primo vere cum excludantur, nec dum integro maturoque fructu

decidunt, vel messis fructuum maturorum symbola nuncupant; nec, quod longe verius erat, humanum ipsum genus rebus iis, quas universi conditor Deus eo tantum esse voluit, ut ei ad usum et alimentum in promptu essent, æstimatione anteponunt? Ex his, si ad reliqua descendere lubeat, quidquid ex præclara physiologia superest, similem in modum facile coargues; adeoque homines istos impudentiæ jure postulabis, qui unum eumdemque solem, ut hoc præcipue seligam, non Apollinem modo, sed etiam Herculem, et Bacchum, et Æsculapium esse statuerunt. Nam quo modo pater idem fuerit simulque filius, Apollo, inquam, et Æsculapius? Quomodo ipse ad Herculem traducatur, cum Alcmena matre mortali utique muliere natum ipsimet Herculem esse fateantur? Quomodo sol in furorem actus liberos suos jugularit? nam utrumque sane Herculi attribuitur. At Herculem nimirum, qui duodecim illa certamina confecerit, zodiaci circuli, quem solem aiunt sua conversione lustrare, in duodecim animantia divisionem repræsentare dictitant. Quem ergo nobis Eurystheum assignabunt, qui solem, quemadmodum et Herculem, ejusmodi certamina conficere jubeat? Quomodo autem quinquaginta Thestiæ filiæ, ac reliquum captivarum vulgus, quibuscum rem habuisse Herculem fama est, ad solem ipsum referentur? Quibus ex omnibus suscepti ab eo liberi gentis suæ seriem longissimo tempore propagarint. Quem porro nobis Centaurum fingent, cujus sanguine infectum a Dejanira indusium solem, veluti Herculem, in decantatam illam calamitatem induerit? At demus enim istis, solem non amplius esse Herculem, Bacchum esse. Non absimilia profecto circa Bacchum objicere quivis merito possit. Primum enim, qua matre genitum Bacchum esse dicent? Luna, an Proserpina, susque deque. Nam quomodo Bacchus idem et sol, et vis simul illa fuerit, quæ sese partim

in humidioribus fructibus, partim in nucibus exerit? Deinde quorsum illa mulierum ejus militiæ comitum multitudo pertineat? Quænam solis, quemadmodum illa Bacchi, Ariadne commemorari queat? Cur vini potius, quam aut frumenti, aut leguminum, ac cæterorum omnium, quos terra procreat, fructuum auctor, si semel idem, qui sol fuerit, Bacchus habeatur? Quod si Æsculapium solem esse velint, quomodo is ob turpem et infamem quæstum Jovis fulmine conflagravit? sicut his versibus Bœotius ille ac lyricus vates Pindarus cecinit,

> Perpulit ipsum grandi pretio
> Ardens patenti aurum in manu.
> Tum Saturno satus
> Fulmen per ambos dextera
> Torquens, animam
> Illico tollit, feræque
> Dat eos flamma neci[1].

Quinam a sole orti Asclepiadæ, qui cum ad plura sæcula genus suum propagarint, tum vero mortalium virorum seriem cunctis hominibus nascendi conditione similem affinemque procrearint? Quanquam, hominum istorum sane dum flagitiosas ac turpes Numinum suorum fabulas quasi machina quadam effugiunt, ad solem lunamque scilicet, ac mundi partes recurrat oratio. Tamen, si Vulcanum ignem calidamque vim esse volunt, si Neptunum humidam naturam, Junonem aerem, Opem montanum lapidosumque solum, Cererem vero planum ac fertile: si Proserpinam vim seminalem, Bacchum vero nucum similiumque plantarum virtutem: si solem Apollinem, ac reliquos superius nomiminatos, lunam autem modo Dianam, modo Palladem, modo vel Hecaten, vel Lucinam: profecto agnoscant ne-

[1] Pyth., od. III, antistr. 3.

cesse est, sese rejecto creatore creaturas, ipsamque universi molitionem, non ejus molitorem Dei loco venerari : qui quidem gravis nimium periculosusque lapsus est, atque ejusmodi, qui salutem propriam certum in exitium conjiciat. Sin autem responderint, se nequaquam aut ea, quæ videntur, solis ac lunæ siderumque corpora, aut alias, quæ in sensum incurrunt, mundi partes, sed tantum iis inclusas aspectumque fugientes veri Numinis cunctaque moderantis vires consecrare (Deum enim, cum unus ipse sit, omnis generis virtutibus universa complere, ac per omnia diffusum, rebus quoque omnibus præsidere; adeoque ipsum, qui sine corpore sensibus obnoxio rebus insit omnibus omnesque pervadat ac permeet, sese per ea, quæ diximus, jure ac merito colere venerarique defendunt); quidni ergo, turpibus et indignis deorum fabulis, tanquam infandis, et impiis valere jussis, ac simul libris omnibus, quibus tantum impietatis ac flagitiorum continetur, funditus exterminatis, unum solumque Deum, quem sensus non attingit, nude ac sincere, et absque fœdo quocumque involucro prædicant? Hoc enim eos facere oportuit, qui verum cognovissent, non autem venerandum illud Dei nomen ad turpes, flagitiosas, dictuque horrendas fabulas abjicere : imo, nec in tuguriis, abditisque tenebrarum latibulis, aut excitatis hominum arte domunculis semetipsos includere, quasi Deum intus reperturi essent; nec in simulacris ex inanima conflatis materia, divinas virtutes colendas esse, nedum terrenis quibusdam fœdi sanguinis vaporibus, ac cæsarum animantium cruore, veluti jucundo quodam officio conciliandum sibi Deum arbitrari. Verum erat utique sapientes istos, nihilque nisi arduum ac cœleste loquentes, hisce omnibus quasi errorum vinculis expeditos, humanum genus absque invidia hujus in naturalis speculationis partem ac societatem vocare; nudoque prope dixerim capite omnibus prædicare, non jam

ista se, quæ cernuntur oculis, sed eum solum, quem nemo videat, istorum omnium architectum suspicere, ac simul facultates ejus incorporeas aspectumque fugientes, cultu pariter neque corporeo, neque sensibus obvio venerari: neque jam igne succenso, neque arietibus taurisve mactatis, imo neque coronis, neque signis, neque templorum substructionibus divinum numen colendum putare, sed purgata mente, sana veraque doctrina, vacuo perturbationibus animo, vita denique sua, quantum homini fas est, ad divinam illius imaginem virtutis ope conformanda, suum ei cultum exhibere. At nemo sane, sive Barbarus, sive Græcus, humano unquam generi signum ad veritatis hujus notitiam sustulit: uni hæc servatori nostro gratia debetur, qui cum erroris antiqui fugam universis gentibus prædicavit, tum etiam absque invidia rectam omnibus ad verum omnium, solumque Deum viam atque pietatem indicavit. Contra vero sapientes isti, qui tanto fastu cœlestem quamdam in moderanda vita prudentiam jactitabant, « cum » Deum cognovissent » (ut divinus loquitur Apostolus) « non » sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed eva- » nuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens » cor eorum. » Dicentes enim se esse sapientes, « stulti » facti sunt; et coluerunt, et servierunt creaturæ[1] » potius, quam creatori, qui est benedictus in sæcula.

[1] Rom. I, I.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Fabulosas de Diis narrationes ab illis ipsis coargui, qui contraria faciunt.

Enimvero post longam illam et spissam philosophiæ commentationem, post speciosas de rebus sive cœlestibus, sive naturalibus disputationes, ex illo culmine, sic tanquam ex altissimo quodam montis vertice prolapsi, humi deinceps cum ipsa plebecula volutari, promiscue ad veterum de pluribus Diis errorem sese aggregare, denique eadem se quæ vulgus ipsum opinari, partim sacrificiis, partim simulacrorum cultu simulare; quo quidem exemplo vulgarem hominum de fabulosis Deorum narrationibus sensum et existimationem augebant simul, ac magis magisque roborabant. Ecquis igitur non plane videat, speciem eos aliquam gravitatis sua ista physiologia quæsiisse, verbisque tenus flagitiorum turpitudinem, detorquenda rerum veritate colorasse, qui opere ipso fabulosum errorem, communemque omnium superstitionem confirmarent? Quamquam mirum id sane videri non debet, cum ex eorum scriptis habeamus, sparsas de Diis fabulas Deorum ipsorum vocibus comprobari. Audi ergo, quemadmodum ipsemet Apollo, quem de se ipso hymnum edidit, cæteros doceat, ubi se in Delo insula natum ex Latona confitetur, cui Æsculapium ac Mercurium adjungemus, quorum alter Triceæ, alter ex Maja procreatum se esse pronunciat. Habet etiam ista Porphyrius, in iis, quæ de hausta ex Deorum responsis philosophia scripsit, ubi sequentium oraculorum meminit:

Omni o populo magna voluptas,
Sacra puræ matris ab alvo,

Quibus ita subdit :

Partus sævi tota doloris
Dum Latonam vis dia premit,
Sanctæque simul clausa parentis
Gemini quatiunt viscera fœtus :
Tellus sistit, sistit et aer,
Insula sidit, siditque mare,
Tu continuo, Vates Lycie,
Is, arcitenens Phœbe, sub auras,
Fata loquentum præses tripodum.

Similiter Æsculapius ita de se ipso :

En Tricca e sacra venio tibi numen amicum,
Ille Æsculapius, quem Phœbo patre creatum,
Et Sophiæ regem, cui vis est nota medendi,
Sustulit alma parens. Sed quid mea numina poscis?

Mercurius autem hunc in modum :

Mercurius, quem voce vocas, Maiæque Jovisque
Filius huc veni, cœlesti Rege relicto.

Quinetiam suorum ipsi corporum speciem figuramque describunt, velut ille Pan, qui cujusmodi fuerit, ex ejus oraculis ita docemur; « Mortalis ego cum sim, nuncupo vota »Pani, nativo Deo, cornu gemino, gemino pede, hircinis»que cruribus insigni, voluptuario. » Ejusmodi sunt, quæ laudatus auctor in abditis philosophiæ Deorum ex responsis haustæ mysteriis recensuit. Pan ergo non jam universi symbolum est, sed Dæmon potius, qualem se ipse descripsit, qui oraculum istuc effudit : neque enim universum, totusve mundus ista respondit quare ipsi quoque artifices, quotquot non universi, sed hujus Dæmonis imaginem expressere, descriptam paulo ante figuram imitati sunt. Jam Mercurius, quomodo rerum effectrix omnium interpresque

ratio haberi possit, cum ipse Maiam Atlantis filiam sese matrem habuisse fateatur, quippe qui jactatam de ortu suo fabulam, non istorum physiologiam testimonio judicioque suo comprobarit? Æsculapius denique, quomodo ad solem traducatur, qui et Triccam sibi patriam vindicet, et mortali se matre natum esse pronuntiet? Imo, si sol ipse est, quomodo solis filius esse dicatur? nam Phœbum quidem ipsius patrem, non alium a sole esse physiologi voluerunt. Solem porro Æsculapium ex mortali fœmina suscepisse, cui non omnium maxime ridiculum videatur? Nam ipsum quoque solem Æsculapii patrem, quem scilicet Apollinem esse defendunt, cui tandem in insula Delo, atque a Latona mortali similiter matre procreatum esse persuadeant? Cæterum animadverte mihi, quam multos Græci ex mulieribus genitos Deorum in loco numeroque posuerint, ut si quando Servatoris nostri generationem ridere conabuntur, hanc iis continuo turbam opponamus; illudque præterea, non poëtarum voces a nobis, sed ipsorum Deorum testimonia recitari.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Deos ipsos philosophorum commentationes oraculis confirmasse pugnantes cum sparsis de se fabulis allegorias statuendo.

Ac poëtæ quidem, cum fabulas, ut aiunt, de Diis confingant, philosophi vero rerum naturalium rationes cum ad ipsos accommodent; æquum sane esset, illos aspernari, hos tanquam philosophos suspicere, similemque vero excellentium hominum orationem potius, quam poëticas amplecti

nugas. Nunc autem cum ipsi quoque Dii in contentionem cum philosophis certamenque descendant; cumque res illi suas, quibus utique notiores eæ sunt, oraculis accurate planeque doceant; hi vero quasdam tantum iis de rebus suspiciones, quas minime perspectas habent, in absurdas ac futiles disputationum ineptias conferant : utris obsecro fidem habendam esse ratio suadeat? imo, indignum certe fuerit vel hoc quærere. Sed tamen, si Dii verum dicunt, qui sibi ipsis attributos humanæ conditionis affectus perturbationesque confirmant; vanos continuo ac mendaces esse, qui eas respuunt, necesse est : sin autem vera philosophorum physiologia est, falsa Deorum esse testimonia sequitur. Atqui, dicat etiam aliquis, Apollo ipse consultus aliquando quis esset, hoc responsi dedit :

Sol, idemque Horus, Rex, Bacchus, Osiris, Apollo,
Idem horas, annique vices, ventos, pluviasque,
Auroræque rego, et stellatæ noctis habenas,
Rex simul astrorum, simul immortalis et ignis.

Ergo Dii cum iidem et poëtarum fabulis, et philosophorum suspicionibus testimonium adjungant suum, simul profecto dissentientibus pugnantibusque consentiunt. Enimvero si mortales sibi matres vindicant, seseque terrena ex patria natos fatentur, quomodo ejusmodi esse poterunt, quales physiologorum ore celebrantur? Demus Apollinem solem esse (rursus enim istorum oratio sursum deorsumque jactata eumdem in circulum redire cogetur); quomodo igitur Deos insula, quam in medio mari extantem hodieque cernimus, solis patria, quomodo Latona mater ejusdem erit? Ipse enim utrumque verum esse, suis paulo ante oraculis confirmabat. Quo modo denique Æsculapium idem mortali natura præditum ex mortali quoque fœmina suscepit? Verum ista prætermittamus.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Fieri non posse, ut mundi partes, aut divinæ Virtutes, illecebrarum necessitate deducantur, et consulentibus per oracula respondeant.

Enimvero hujus oraculi vanitas alia quoque ratione coargui facile possit. Neque enim sol ad istos, credo, cœlitus descendebat, ac deinceps per eum, qui numen excepisset, Phœbæum oraculum effundebat : cum neque fieri posset, neque vero fas esset, ut tantum sidus humani vis necessitati cedere ac parere cogeretur : id quod ne illa quidem, quam ipsi tribuunt, divina spiritalique virtute dixerint, cum eam nihilo magis humanus animus capere ac sustinere possit. Atque eodem prorsus modo liceat de luna statuere. Quod si Hecaten illam esse dicent, quæ cum humanæ cantionis aut similis illecebræ necessitate deducatur, tum vero et per eum, a quo fuerit suscepta, respondeat, et obscenis amoribus ac lenociniis operam suam navet, esto sane. Cum enim improbarum Virtutum, aut Dæmonum potius princeps Hecate illa sit, hæc cum fecerit omnia, nihil ab sese alienum fecerit. Neque id etiam laudatus scriptor non fatetur, ut suo loco demonstrabimus. Pluto autem et Serapis, qua tandem physiologia ad solem revocari queant? præsertim cum iste Serapidem eumdem cum Plutone faciens, malorum etiam Dæmonum principem esse velit? Dum vero Serapidos oracula scriptis suis inserit, quo sensu eadem solis esse defendat? Enimvero, his omnibus plane conficitur, uti eos fateri oporteat veri nihil tota ista physiologia

contineri, sophistarum has esse argutias, et commenta verborum inania.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Hæc omnia Dæmonum arti ac ... æstigiis assignanda ... e.

At oraculorum administros, si vere loqui voluerint, improbos esse Dæmones, qui ad homines in fraudem inducendos in utroque luderent; ac modo se ad fabulosas de se ipsis opiniones aggregarent, ut communis ac publicus error foveretur, modo philosophorum etiam præstigias comprobarent, ut fastu et arrogantia inflatis exitium afferrent; sicque nihil unquam dixisse veri modis omnibus convincuntur. Jam vero his a nobis hactenus disputatis, tempus est, ut ad tertiam Græcorum theologiæ speciem, quam civilem ipsi ac legitimam nominant, gradum faciamus. Nam id demum ad stultæ multitudinis admirationem ac stuporem longe opportunissimum esse statuerunt; si partim jactatis vaticiniis, partim morbidorum corporum curatione Deorum quæsita responsis, partim repentinis et gravibus nonnullorum pœnis teneretur. Quæ dum se ipsos etiam expertos esse dicunt, tum vero jure nimirum persuadent, se quidem pie justo erga Deos obsequio cultuque defungi, nos vero summæ impietatis reos esse, qui manifestis adeo beneficisque virtutibus debitum obsequium honoremque negemus. Nos vero ut istis occurramus, novum deinceps disputationis initium faciamus.

LIBER QUARTUS.

CAPUT PRIMUM.

Procœmium de diversarum urbium oraculis, iisque maxime, quorum præ cæteris responsa celebrantur, Dæmonibus inexpectata sese forma ostendentibus; quaque ratione permoti ea quoque spreverimus.

Susceptæ disputationis ordo postulat, ut tertiam illius erroris partem qui Deorum multitudinem invexit, quoque liberati Redemptoris Servatorisque nostri Jesu Christi virtute beneficioque sumus, quarto hoc Præparationis Evangelicæ libro confutemus. Cum enim universam theologiæ suæ rationem in tria veluti communiora genera partiantur, fabulosum, quod poëtarum versibus usque adeo jactatum est; naturale, quod a philosophis excogitatum fuit; et illud, quod legum auctoritate sanctum atque munitum, in singulis urbibus ac regionibus servari consuevit; ex iis autem duo jam superioribus libris in omnium oculis posuerimus, cum historicum, quod fabulosum nominant, tum etiam alterum, quod fabulas omnes exuperat, sive id naturale, sive contemplationi addictum, sive quocumque alio nomine appellare malint: sequitur omnino, ut tertium hoc deinceps volumine persequamur. Illud autem est, quod quia per singulas civitates ac regiones constitutum fuit, civile ab iis nuncupatur; eoque præsertim legum vi præsidioque defenditur,

quod non antiquum modo patriumque sit, verum etiam eorum, quos ipsi Deorum in loco numeroque ponunt, virtus atque potentia, hoc tanquam rei per se ipsam loquentis testimonio declaretur. Enimvero, pridem apud istos oracula quædam atque responsa, morborum omnis generis curationes, illatæque cœlitus in impios gravissimæ calamitates celebrantur; quæ dum se ipsos etiam experientia nosse profitentur, tum vero jure sibi nimirum persuadent, se quidem, quod Deos colant, juste omnino facere; nos autem admodum impie, qui tam perspectas beneficasque virtutes nihili faciamus; adeoque leges palam a nobis aperteque violari, cum patrios quemque ritus religiose colere oporteat, neque intacta dudum instituta convellere, sed pressis quasi vestigiis majorum pietatem ita consectari, nihil ut præterea rerum novarum studio curiosius moliatur. Quare pœnam etiam capitis in hujus maleficii reos juste legibus constitutam esse pronuntiant. Nam primum sane theologiæ historicum fabulosumve genus, suo poëta quilibet fingat arbitrio : alterum item illud, propius ad naturam allegorica fabularum explicatione traductum, philosophorum disceptationibus permittatur : at vero tertium hoc, quod utpote antiquissimum ac civile ipsorum etiam principum legibus retinere et observare jubemur, nec poëtarum, inquiunt, nec philosophorum ullus attingat : sed qui jam olim tam in agris, quam in urbibus ritus obtinuit, ad eum constanter omnes, patriis addicti legibus, adhærescant. Hæc sunt, quibus in præsentia sic nobis respondendum est, ut Evangelici instituti, quod a Servatore nostro allatum est, rationem cum aliqua defensione reddamus, in quo leges istis omnibus ac gentium universarum legibus contrariæ feruntur atque promulgantur. Primum itaque simulacra inanima deos non esse, ipsi quoque facile agnoverint : deinde, nihil prorsus, quod speciem aliquam Deo dignam habeat, fabulosa eorum theologia

contineri, primo libro satis ostendimus; postremo, ne ipsam quidem naturæ propiorem ac philosophicam fabularum interpretationem, non coactas habere explicandi rationes, in secundo tertioque probavimus. Nunc igitur, id, quod tertium est, videamus, quid de virtutibus in simulacris delitescentibus existimare oporteat; easne moribus liberales, probas, vereque divinas esse, an omnino contra. Quanquam alius forte, qui hanc disputationem insisteret, quidquid isti narrant, fraudem et errorem esse, ac veneficorum artes, præstigiasque contenderet, itaque vulgarem funditus opinionem evelleret, ut non solum Deo, sed ne malo quidem Dæmoni, quæ passim de illo jactantur, assignanda esse statueret. Quippe, responsa enim Deorum artificiosis versibus illigata, hominum utique non bardorum atque stultorum, sed ad fallacias dolosque moliendos apprime factorum commenta esse; quæ ancipiti et ambiguo sermone contexta, in utramque expectati rerum eventus partem non inepte cadere et quadrare possint. Ea vero, quibus rudi plebeculæ imponitur, circulatorum prodigia, cum naturalibus causis esse conjuncta. Plurima enim universa in natura existere, radicum, herbarum, plantarum, fructuum, lapidum, itemque aliarum ex omni materia, sive siccarum, sive humidarum virtutum genera, quarum aliæ propellendi et ejiciendi vim habeant, aliæ secernendi ac dissipandi, aliæ contra vel constipandi vel sistendi, itemque laxandi, humectandi, rarefaciendi: rursumque servandi aliæ, aliæ perimendi, ac præsentem corporis statum modo in hunc, modo contrarium penitus immutandi: atque aliarum efficacitatem longiori, aliarum breviori tempore circumscribi; similiterque aliarum ad plures, ad pauciores aliarum sese diffundere; præterea alias præire, sequi alias, alias denique concurrere cum aliis, et cum iis augeri pariter, pariterque corrumpi. Et quidem quod sanandi vis nonnullis insit, aliis autem mor-

bos atque exitium creandi, nihil habere a medendi arte alienum. Jam vero pleraque naturali quadam necessitate contingere, cumque ipsa luna crescere simul simulque decrescere : oppositas animantium, plantarum, atque radicum affectiones infinitas esse ; vaporum multa esse genera, cum eorum, quibus gravedo, ac sopor inducitur, tum etiam eorum, quibus cogitatio perturbatur : loca item atque regiones, in quibus singula perficiantur, conferre plurimum : homines istos præterea instrumentorum suam ad artem affabre elaboratorum copiam habere longe ante provisam; multos etiam diversis ex partibus sibi comparare præstigiarum suarum adjutores ac socios, qui sese advenientibus obtrudentes, quo quisque indigeat, curiose ac diligenter inquirant. Quinetiam pleraque secretis in templorum adytis, et iis, quorum ab accessu prohibetur multitudo, penetralibus occultari; eorumque consilia partim loci tenebris, partim hominum, qui se Deos ipsos adire credant, superstitione, partim denique derivata pridem a majoribus opinione, quæ omnium animos occuparit, non mediocriter permoveri. Accedat porro cum plebeiorum ingeniorum stultitia, rudisque multitudinis imbecillum, ac nulla probatum experientia judicium; tum vero callida versutaque eorum, qui maleficam artem assidue tractant versantque solertia, impostorumque mores ad omnem fallaciam astutiamque compositi; qui modo læta cuique ante ac jucunda pollicentur, præsentemque fortunam meliori spe consolantur; modo etiam de futuro conjicientes, incerto dubioque sensu vaticinia fundunt, responsique mentem verborum amphiboliis ac tenebris involvunt, uti ne quis oraculum intelligat, ipsi vero ambiguitate dictorum ansam reprehensionis effugiant. Addiderit etiam pleraque aliis fraudibus præstigiisque contingere, ut quod iis, quæ tum fiunt, cantiones, nescio quas, adhibeant, cum ignota quadam et bar-

bara invocatione conjunctas, ut præcipuo studio in ea, quæ nihil prorsus ad illos pertineant, incumbere videantur: nihil tamen æque multitudinis animos percellere, atque concinnata oraculorum, quæ cum liberali eruditione fundi putantur carmina; utpote quæ cum structura verborum ornata, tum vero tumore et granditate orationis inflata sint, multoque vocis ac reliquæ ostentationis fuco, ipsaque specie præsentis afflatum Numinis mentiantur, atque universum fere populum dubia vocum significatione decipiant.

CAPUT SECUNDUM.

Promptum esse cuivis ostendere, quidquid oracula pollicentur, et veneficorum hominum præstigias, meram imposturam esse.

Enimvero quæcumque ab istis sine ulla responsi ambiguitate prædicta sint, non ex præsensione quadam ac scientia futurorum, sed ex aliqua tantum conjiciendi vi pronuntiata; ex iis infinita plane, deprehensum esse, imo prope dixerim omnia, prædictionis sæpius veritate caruisse, cum res contrarium oraculo finem et exitum habuissent: nisi vero, quod raro admodum, atque unum ex infinitis aliquid, aut casu fortuito, aut spe aliqua futurum augurata contigerit, id veritatis opinionem oraculo conciliet. Nam illud demum esse, quod ab istis jactari maxime, terrarum ubique magna voce prædicari, in cippos et columnas incidi videas; qui cum (si quando res ita tulerit), quod tam multi expectatione sua decepti fuerint, verbum plane nullum fieri velint; tum vero, quod uni ex infinitis alicui prout ab ora-

culo responsum fuerat, acciderit, id nullo non loco circumferant. Qua in re perinde se gerant, ac si quis, cum ex infinita hominum micantium, aliove sortis genere utentium multitudine, duo aliqui vel semel tantum in eodem casu incurrerent, factum miraretur, quasi ex divinatione quadam sortisque futuræ scientia, unus atque idem utrique numerus obtigisset. Eamdem enim ejus esse rationem, quod unum ex infinitis vatum responsis, ac circa res numero infinitas editis, forte fortuna semel evenerit : id quod ubi quis intellexerit, cujus animus nihil intus solidi, nihil constantis habeat, tum vero hominem oraculi certitudinem obstupescere; quem sane longe præstaret, vecordia posita, secum diligentius reputare, quam multis aliis vel interitum, vel dissensiones et bella genus id hominum consciverit, ac veterum historiarum memoriam cogitatione repetendo, animadvertere, ne tum quidem ullum ab iis divinæ virtutis opus editum fuisse, cum et res Græciæ maxime florerent, et jactata quondam oracula, quæ hoc tempore nulla sunt, integræ auctoritatis essent, et ab indigenis omni studio curaque habita, patris ritibus atque mysteriis religiose admodum colerentur. Et sane vim eorum nullam esse tum præcipue constitit ex bellorum calamitatibus : in quibus, quod nihil opis et auxilii conferre possent egregii fatorum interpretes, responsorum ambiguitate clientes suos fefellisse convicti sunt, quemadmodum suo loco demonstrabimus, cum omnium subjiciemus oculis, quo pacto eos, qui oraculum consulebant, mutuum in bellum acuerint; nec de seriis quoque rebus negotiisque consulti responderint, sed potius oraculis suis consulentibus illuserint, sic tamen, ut dubiæ significationis obscuritate suam ipsorum ignorantiam occultarent. Cogita vero ipse tecum exempla vetera repetendo, quam isti sæpe, cum affectæ valetudinis hominibus robur, vitam, salutemque promisissent, iisque postea non

secus ac Diis fides haberetur, paulo post ingenti pecuniæ vi ex hoc afflatæ divinitus mercaturæ genere corrogata, quales tandem essent, manifeste reprehensum fuerit, impostores scilicet ac circulatores, non autem Dii, cum decepti ab iis homines infaustum exitum habuissent. Quid porro attinet dicere, ne popularibus quidem suis, et ejusdem secum civitatis indigenis vates egregios quidquam præsidii vel opis afferre, cum infinitos ibidem videas morbis laborantes, claudos, cœcos ac toto sæpe corpore mutilatos? Quid vero in causa fuerit, cur peregrinis quidem hominibus, et ex longinqua regione venientibus rerum meliorum spes quasdam umbratiles ac fucatas ostenderent, civibus autem popularibusque suis non item, quibuscum tamen eos utpote domesticis amicis, ac civibus derivatum ex numinum præsentia bonum communicare oporteret; nisi quod extraneos homines veteratoriæ calliditatis ignaros facilius in errorem, quam alios sibi familiares ac notos impellerent, quippe qui artis hujus imperiti non essent, sed usitatæ ludificationis optime conscii? Quare totum istud profecto nec divini quidquam, nec humana industria majus habuit : adeoque videas gravissimis etiam calamitatibus, quales utique cœlitus a summo rerum omnium Principe Deo impiorum cervicibus imminent, supremum exitium, ruinasque frequentes ac repentinas, simul cum ipsis donariis atque simulacris, eorum templa subiisse. Ubi enim Delphicum illud templum est, apud Græcos omnes omnique memoria celebratum? ubi Pythius? ubi Clarius? ubi Dodonæus? Nam Delphicum sane oraculum jam tertium a Thracibus incensum fuisse constans fama est, cum neque divinationis domicilium ad futuri præsensionem, neque Pythius ipse ad rerum suarum conservationem quidquam omnino posset. Id ipsum Romano item Capitolio circa Ptolemæorum tempora contigisse prodit historia. Quibus etiam temporibus Vestæ delubrum ibidem

conflagrasse ferunt. Præterea Julii Cæsaris ætate grande illud et Olympiacum Græciæ simulacrum, quod Olympiæ visebatur, fulmine divinitus ictum esse, aliudque simul Jovis Capitolini templum incendio, Pantheum igne fulminis, Serapium Alexandriæ non absimili conflagratione haustum periisse tradunt (1). Quorum quidem omnium perscripta extant apud Græcos ipsos testimonia. Ac longum profecto sermonem ordiretur, qui singula recensere numerando vellet, ut omnium subjiceret oculis, luce palam deprehensum esse, ne a propriis quidem templis pestem avertere fatiloquos egregios unquam potuisse : qui si ne sibi quidem tantis in cladibus usui fuere, alios opinor ægre admodum juvare potuerint. Idem tamen totius rei summam caputque facile perspexerit, si ad superiora hoc unum addiderit, jam homines id genus quamplurimos, qui singularem Numinis afflatum præ se ferrent, quos isti præcipuos et sacrorum interpretes, et theologos et prophetas haberent, non solum antehac, sed nuper etiam nostraque memoria divinæ hujus sapientiæ nomine clarissimos, cum ad Romana tribunalia rapti essent, quæstionum vi adactos, universum hoc fraudis genus ad homines decipiendos comparatum declarasse, totumque negotium præstigias esse arte compositas fassos fuisse. Atque hi omnem molitionis occultæ rationem, totamque maleficæ artis ludificationem verbis ipsissimis quibus rem ante patefecerant, in acta publica retulerunt : sicque justas exitialis fraudis pœnas luentes, quidquid latebat, evulgarunt, quæque nostra oratione produntur, ea rebus ipsis in omnium luce comprobarunt. Sed, quales enim isti erant? cave tu mihi abjectos nescio quos et obscuros cogites : alii quippe ex præclara illa nobilique philosophia prodierant, hominum eorum ex grege, qui pallium assidue ferunt, ac sublato supercilio cæteroque cum fastu inambulant : alii ex ipsis Antiochenæ civitatis magistra-

tibus ac primoribus erant, qui sævientis in nos persecutionis tempore nostris ex injuriis auctoritatis plurimum ac splendoris quæsierant. Philosophum præterea quemdam novimus, simulque Prophetam, iis, quæ diximus, similia Mileti subiisse. His igitur collectis aliisque pluribus, merito neget quispiam tam Dæmones quam Deos sparsorum per urbes oraculorum auctores fuisse, remque totam in errorem vulgi ac circulatorum fallaciam præstigiasque conferat. Et vero integræ quoque, ac præcipui nominis Philosophorum sectæ hujus opinionis duces ac vindices extitere, puta qui ex Aristotelis disciplina prodierant, et quotquot deinceps Peripatetici nominati sunt, nec non Cynici et Epicurei, quos equidem mirari eo nomine plurimum soleo, quod cum Græcorum in moribus ab ipsis incunabilis educati fuissent, ac Deos esse, quos ante diximus, pueri a suis quique parentibus accepissent, nunquam tamen erroribus istis irretiri ullo modo potuerint, sed potius quæ passim jactabantur, oracula quæque omnium concursu populorum vaticinia celebrabantur, ea non modo vanitatis ac mendacii coarguerint, sed etiam exitii potius quam utilitatis ullius causas esse demonstrarint. Cæterum cum sexcenti vaticiniorum istorum vanitatem pluribus confutarint, mihi tamen ad aliquod eorum, quæ dixi, testimonium satis fore impræsentiarum putavi, si unius tantum ex iis disputationem, adversus ea, quæ pro Fato Chrysippus ex oraculorum prædictione confecerat, argumenta susceptam, hoc loco subjicerem. Sic enim adversus illum auctor iste scribit, ut eum ex oraculis perperam Fatum observare ac probare coarguat, adeoque Græcorum oracula in plerisque omnibus falsa respondisse, raroque admodum, idque nonnisi casu, eventum iis respondisse postremo non solum inutiles, sed etiam perniciosas eorum prædictiones esse contendat. Audi ergo, quemadmodum ipse ad verbum loquatur.

CAPUT TERTIUM.

Ex Diogeniani (2) scriptis, divinandi artem minime sibi constare, in plerisque mentiri; inutilemque vatum ac perniciosam esse prædictionem.

« Aliud, *inquit*, præterea citato libro ejusmodi argumen- » tum Chrysippus affert. Negat enim veras divinorum va- » tumque prædictiones futuras, nisi omnia fati necessitate » tenerentur. Id quod non minoris profecto stultitiæ est, » quam cætera. Hoc enim perinde sumit, ac si vel istorum, » quos vates nominant, prædicta omnia evenire constaret, » vel potius fato cuncta fieri concessum a quopiam fuisset : » ac non id similiter falso diceretur, cum tamen contrarium, » hoc est non omnia, quæ ab iis prænuntiata sunt, evenire, » imo secus evenire quam plurima oculis ipsis quotidie vi- » deamus. Sic ergo nobis suum illud Chrysippus argumen » tum obtrudit, ut alterum vicissim ex altero colligat. Nam » et fato cuncta fieri ex eo, quod divinatio sit, probare co » natur, nec tamen divinationem esse aliter unquam probare » possit, nisi prius illud, omnia fato evenire, sumat. Quæ » autem argumentandi ratio vel iniquior, vel ineptior esse » queat? Nam quod ex iis, quæ divini prænuntiant, nonnulla » quandoque re ipsa contingant, id non jam divinationis ar- » tem aliquam esse argumento est, sed potius casu fieri, si » quis nonnunquam eventus cum eorum prædictione con- » sentiat. Id quod nullam sane scientiam esse declarat. Nec » enim, opinor, scientem illum peritumque sagittarium » dixerimus, qui cum semel aliquando collinearit in sco-

»pum, ab eodem sæpius aberrarit; aut medicum eum, qui »quos ipse curet, partem maximam cum interimat, unum »fortasse quempiam servare potuerit: nec omnino scientiam »nominamus ullam, nisi quæ, si non omnia, quæ sui sunt »muneris, at pleraque scite feliciterque perficiat. Jam vero »sua vates istos in plurimis divinatione falli, non modo vita »mortalium universa, sed illi etiam ipsi, qui divinandi ar- »tem profitentur, testes esse possint, quippe qui ab ea nihil »opis ad usus vitæ quotidianos accipiant, sed utantur par- »tim judicio suo, partim aliorum consilio pariter atque auxi- »lio, qui rerum singularum experientes communi opinione »habeantur. Verum nihil plane firmitatis habere, quam »vulgo divinationem appellare consuevimus, alibi fusius os- »tendemus, ubi etiam Epicuri hac de re sententiam profe- »remus. Nunc autem unum solum aut alterum ad ea, quæ »dicta sunt, adjungemus; atque hoc in primis, quod ii non- »nunquam vera prænuntient, qui vates nominantur, id non »scientiæ, sed casui assignandum esse. Nec enim ejus rei, »quam propositam habueris, compotem fieri nunquam, sed »neque semper, neque ut plurimum, neque, si quando com- »pos fias, scientia fieri; hoc demum est, quod fortunæ »tribuendum merito censent, qui apertas significationes »suis quasque vocibus attributas distinguere rite norunt. »Deinde etiam illud, tametsi daremus verum esse, quod a »Chrysippo sumitur, divinationi futura omnia præsentiendi, »ac prædicendi vim inesse; ex eo quidem jure concludi »posse, fato cuncta fieri; non tamen hujus artis commodi- »tatem ad vitæ usus aliquam ullo modo demonstrari, cujus »maxime causa divinationem prædicare Chrysippus vide- »tur. Nam quid nobis tandem ex eo compendii, quod eas »omnino calamitates futuras præsentiremus, quas ne ca- »vere quidem ulla ratione possemus? quæ enim fato eve- »niant, quis mortalium cavere possit? Quare tantum abest

» ut nobis divinatio utilitatis afferret aliquid, ut potius hoc » ipso nobis cederet in perniciem, quod animi ægritudinem » ac molestiam ex ipsamet calamitatum necessario futura- » rum præsensione, etiam antequam acciderent, hominibus » crearet. Nec enim æqualem contra lætitiam futurorum » prædictione excitatum iri quis dixerit; cum homo non tan- » tum bonorum expectatione gaudere, quantum metu ma- » lorum dolere consueverit. Deinde nemo fere est, qui ab » sese mala propius abesse, antequam audierit, admodum » speret; bona vero, quod in ea sponte sua natura propen- » deat, omnes, ut verbo dicam, potius expectamus. Nam et » plerique majores sese, quam fieri possint, futuros sperare » solent. Ex quo illud accidit, ut bonorum quidem prædic- » tio lætitiam vel admodum non augeat, quod etiam citra » prædictionem quilibet meliora quæque per se ipsum expec- » tet; vel raro saltem ea, qua quis forte putet, cum firmi- » tate augeat; imo sæpe quoque minuat, dum spe minus ali- » quid respondetur : malorum autem prædictio, partim quod » ab iis naturæ sensus abhorreat, partim quod ea præter spem » aliquando prædicantur, gravem animi perturbationem » afferat. Quanquam, si ejusmodi nihil accideret, inanem » tamen prædictionem fore, cuivis, opinor, constare certo » possit. Nam si quis utilitatem divinationi aliquam hoc ipso » assereret atque defenderet, quod eæ calamitates prædi- » cantur, quæ omnino, nisi caveris, eventuræ sint, is pro- » fecto non omnia fato evenire demonstraret, cum in nostra » potestate esset aut cavere, aut non cavere. Sin autem hoc » ipsum eadem necessitate contineri dixerit, ut ad res om- » nes vis fati pertineat, rursum divinationis utilitas omnis » tollitur. Certo enim, si fatum nobis cavere sit, cavebimus; » sin autem fatum non fuerit, nullo modo cavebimus, tam- » etsi vates omnes, quid eventurum nobis sit, prænuncia- » rint. Enimvero, cum Œdipi, tum Alexandri Priami filii

» cædem omni arte molitos utriusque parentes fuisse, ut » quod prædictum erat ab iis sibi exitium imminere, decli» narent, nec tamen eos voti compotes esse unquam po» tuisse, vel Chrysippus ipse confitetur : adeoque agnoscit » nihil etiam ipsis malorum suorum prædictionem propter » fati vim ac necessitatem profuisse. Atque hæc a nobis con» tra divinationis partim incertitudinem, partim inutilitatem » liberalius quidem, quam res postulabat dicta sunto. » Hactenus ille philosophus. Tu vero tecum ipse cogita, quemadmodum Græci homines, qui non modo Græcorum discidisciplinam et instituta ab ineunte ætate cum ipso prope lacte nutricis imbiberant, sed etiam patrias Deorum religiones omnium accuratissime perviderant, Aristotelici omnes, omnes cum Cynici, tum Epicurei, et quotquot ad eorum sese opinionem aggregarant, jactata apud Græcos ipsos vatum responsa deriserint. Quos tamen, si quæ de oraculorum istorum prodigiis omnium ore celebrantur, vera putavissent, oportebat sane non minus quam cæteros eorum vim obstupescere, quippe qui et Græci essent, ritusque patrios omnino callerent, ac nihil eorum, quæ scitu digna forent, ullo unquam modo neglexissent. Ista quidem aliaque similia, qui hoc in argumenti genere ad refellendam oraculorum famam colligere vellet, næ magnam is copiam habiturus esset. Verum susceptam a nobis disputationem hac via moliri non placet, sed ea potius, qua in eam ab ipso statim initio ingressi sumus. Dabimus enim eos, qui vaticiniorum fidem asserunt, vera dicere, ut ex illorum ipsorum confessione, qui et responsorum istorum veritatem defendunt, quæque memorantur oracula Numinum suorum vocibus edita esse contendunt, integram et accuratam eorum, quæ proferantur, explicationem atque notitiam hauriamus.

CAPUT QUARTUM.

Nos maximis hisce malis Evangelicæ Servatoris nostri doctrinæ beneficio liberatos esse.

Equidem sic existimo neminem esse, qui non intelligat, partem Evangelici hujus argumenti non exiguam, sed vero maximam maximeque necessariam, eorum, quæ proposita mihi sunt, probatione contineri. Nam si ostendere semel poterimus, quotquot, seu Græci seu Barbari, ante Servatoris nostri Jesu Christi adventum toto passim orbe vixerunt, verum omnes Deum ignorasse, adeoque vel iis, quæ nulla erant, perinde ac si essent, honorem tribuisse, vel a pessimis, quique cum Deo ipso pugnant, Spiritibus, ac sceleratis impurisque Dæmonibus, cæcorum instar, huc illucque raptatos, atque in improbitatis barathrum præcipites actos : (quid enim aliud eos, quam dæmoniaco furore correptos fuisse dixeris?) cui tandem magnum hoc dispensationis Evangelicæ mysterium non clarius et illustrius appareat, quod omnes undique ab avito errore, Dæmonumque tyrannide Servatoris nostri voce revocarit, quique in extremis terrarum finibus degerent homines, ab ea, quæ omni ex memoria vitam mortalium universam tenuerat, fraude liberarit? atque ita liberarit, ut tanto intervallo et vetustissima Gentium omnium erroris domicilia cum templis atque simulacris dissipata funditusque sublata fuerint, et delubra vere augusta, vereque pietatis scholas in summi Regis ac rerum universarum Molitoris honorem, mediis in urbibus atque pagis, ejusdem Servatoris

nostri virtute totum per orbem excitata sint; et sacrificia Deo dignissima hominum sanctorum precibus, sensu ab omni improbitate puro, mente ab omni perturbatione vacua, et omnium virtutum exercitio, quomodo divinæ salutaresque litteræ præcipiunt, ab omnibus quotidie gentibus assidueque fiant : cujusmodi utique sacrificia sunt, quæ sola præpotenti Deo placere, atque accepta esse possint. Hæc porro cum ita sese habeant, nonne simul eademque via ostenderimus, nos prudenti maturoque consilio adductos, non inconsulta levitate abreptos, a patria superstitione descivisse, ac recto veroque judicio meliora complexos esse, divinamque simul ac veram pietatem adamasse. Sed de his hactenus; quod superest, ad rem ipsam veniamus.

CAPUT QUINTUM.

Qualis sit Græcorum theologiæ partitio.

Ergo qui Græcorum theologiam ad amussim exegerunt, aliam quamdam ab iis, quas ante recensuimus, rationem ineuntes, rem totam in quatuor genera partiti sunt. Quippe inprimis enim principem Deum a vulgo segregantes, omnibus eum rebus præsidere, ante omnes esse, omniumque Deum parentem ac regem sese agnoscere profitentur : secundum quem, alterum Deorum genus, tertium Dæmonum, quartum denique Heroum assignant. Deinde vero, quæcumque in partem ejus, quod optimum est, ideæ venerint, ea partim agere, partim agi, et quidquid ejusmodi est, quod luminis sit particeps, lumen appellari statuunt : deteriori contra naturæ malum ipsum imperare, quod quidem non

aliud quam improborum Dæmonum genus esse volunt, quod cum eo, quod bonum est, amico nunquam utatur, tum vim in universa eorum, quæ bono contraria sunt natura, perinde ac Deus in toto bonorum genere, principem obtineat : quidquid vero tale est, id omne tenebras vocari tradunt. Quibus ita constitutis atque distinctis, cœlum quidem cum eo, qui ad lunam ipsam pertinet, æthere Diis, quæ circa lunam aëremque versantur, Dæmonibus, quæ circa quæque sub terram, animabus attribuunt. Hac partitione assignata, cœlestes Deos in primis, deinde bonos Dæmones, tertio, Heroum animas colere, postremo malos etiam improbosque Dæmones placare ac delinire oportere docent. Verum hæc cum ita verbo tenus omnia distinguant, tum re ipsa cuncta confundunt, improbas tantum Virtutes aliorum omnium loco venerando, seseque totos iis mancipando, quemadmodum hujus in progressu disputationis ostendemus. Tuum autem erit, ex iis quæ a nobis in medium afferentur, videre quales eas, quæ suam per simulacra vim exerunt, Virtutes habere oporteat, Deosne, an Dæmones; et si Dæmones, malosne, an vero bonos. Nam divinæ quidem apud nos Litteræ nusquam omnino Dæmonem bonum vocare solent; quippe quæ optime norint, quibuscum id vocabuli nominisque commune sit, improbos esse omnes; quemadmodum non alium ipsæ Deum vere proprieque nominant, præter unum illum, qui rerum omnium auctor est. Liberales autem illas bonasque Virtutes, quod natura sua principium ortus habeant, atque ut longo Deum illum et ortus expertem et sui conditorem sequuntur intervallo, sic et ab improbo Dæmonum genere segregatæ sint, neque Deos, neque Dæmones appellare voluerunt, sed, quod medium quemdam illæ sint Deum inter ac Dæmones sortitæ gradum, media quadam eas aptissimaque appellatione, modo Angelos Dei ac Spiritus administros, modo Virtutes

divinas atque Archangelos, modo aliis ejusmodi nominibus cum variis earum officiis voce ipsa cohærentibus nuncupare consueverunt. Dæmones vero quod attinet (si tamen horum etiam nominis oporteat notationem explicare) non jam, ut Græcis placet, παρὰ τὸ ΔΑΗΜΟΝΑΣ εἶναι, quod scientes illi sint, sed παρὰ τὸ ΔΕΙΜΑΙΝΕΙΝ, hoc est, quod timeant simul ac terreant, Dæmonum ipsi nomen, quod suam in naturam belle conveniret, habuerunt. Nam divinas utique bonasque Virtutes, ut moribus, sic etiam nomine sejunctas a Dæmonibus esse decuit: absurdum enim supra modum id fuisset, quæ nulla cum iis neque instituti, neque morum similitudine conjunctæ essent, illas tamen unius ejusdemque cum ipsis nominis societate conjungi.

CAPUT SEXTUM.

Argumentorum confutationumque nostrarum testimonia non nostris, sed Græcorum scriptis confirmari.

Age itaque, videamus aliquando, quænam apud istos oraculorum ratio fuerit, ut simul intelligamus cujusmodi vim iis attribuere nos oporteat, quamque jure vel secus ab iisdem recesserimus. Et quidem, si argumentis ipse meis id, quod nunc agitur, conficere vellem, non satis immunem tutamque, sat scio, disputationem meam ab omni litigiosorum hominum reprehensione calumniaque præstarem. Quare nihil domo promptum afferam, sed testimoniis, quod adhuc feci, alienis utar. Ex omnibus tamen Græcis cum Historicis, tum etiam Philosophis, qui sane infiniti sunt, unum præ cæteris idoneum hanc in rem futurum

illum putavi, qui et Dæmonum amicus fuit, et nostra ætate vixit, et præcipuum sibi decus instituto nostro mendacissime traducendo quæsivit. Enimvero Philosophos inter, qui nostra memoria floruerunt, videtur iste maximam cum Dæmonibus, quos ipse Deos nominat, consuetudinem iniisse, causam eorum studiosissime defendisse, et quidquid ad ipsorum naturam ac religiones pertinebat, longe omnium accuratissime rimatus esse. Hic igitur in iis, quæ de Philosophia ex oraculis hausta conscripsit, pleraque tum Apollinis, tum cæterorum quoque Deorum ac bonorum Dæmonum responsa collegit, quorum fide non eorum sese modo, quibus Divinitatem attribuunt, vim ac potestatem ostendere, sed etiam homines ad divinæ, uti vocare amat, sapientiæ studium excitare posse confideret. Æquum itaque fuerit, ex iis, quæ tanquam memoria dignissima selegit, oraculis de eorum auctoribus prudenter judicare, et, cujusmodi potestate sint præditi, diligentius inquirere. Sed animadvertamus in primis, quemadmodum ipso statim operis initio vera se dicturum laudatus scriptor jurejurando confirmet, his concepto verbis.

CAPUT SEPTIMUM.

De abditis oraculorum arcanis ex ipsis Græcorum monumentis, cum jurejurando in eorum fidem nuncupato : ex Porphyrii scriptis.

« Constantis[1] utique est solidæque firmitatis, quisquis » inde, tanquam ex eo quod solidum unum est, spem suæ » salutis haurit : cujusmodi cum hominibus oraculorum

[1] Porphyr., in opere deperdito.

»istorum sapientiam communica nulla sui parte decurta»tam. Etenim Deos ipse testor, nihil abs me vel responso»rum ad mentem ac sententiam additum, vel ex ea detrac»tum fuisse; nisi forte sicubi aut voculam errore vitiatam »emendavi, aut majoris perspicuitatis gratia illustriore com»mutavi, aut, versuum quod deerat mensuræ numeroque, »supplevi, aut, quod nihil ad rem omnino faceret, expunxi. »In quo tamen sensum ego verborum integrum ubique sin»cerumque servavi, et quidem impietatis alioqui futuræ »metu potius, quam pœnæ sacrilegum facinus excepturæ. »Ejusmodi autem erit hæc nostra collectio, quæ cum am»plam continebit dogmatum Philosophiæ copiam, prout »ipsa cum veritate conjuncta esse Dii pronuntiarint; tum »aliquid etiam divinandi artis attinget, quatenus partim ad »contemplationem, partim ad integram vitæ procurationem »conducere videbitur. Quantum vero utilitatis habeat, in»telligent ii maxime, qui cum veritatem ægre parturirent, »vota fecerunt aliquando, ut Numinum ipsorum visione »concessa, ab omni dubitationis fluctuatione conquiesce»rent, dicentium auctoritate omni fide dignissima confir»mati.» Hæc ille præfatus, obtestatur atque ante denuntiat, uti ne quis ea, quæ dicturus est, in vulgus enuntiet.

CAPUT OCTAVUM.

Quæ hac de re dicturus est, apud omnes enuntianda non esse.

« Tu vero, *inquit*, cave, si quidquam aliud, ne res istas »palam extuleris, et gloriæ lucrive cupiditate, vel cujuscum»que minus religiosæ assentationis studio ante profanorum

» hominum oculos projeceris. Secus enim, non tibi solum, » hæc si præcepta contempseris, verum etiam mihi periculum immineat, qui tanta Deorum beneficia retinere apud » me non potuerim, sed ea nimis facile tibi crediderim. Horum igitur in communionem ii tantum vocandi erunt, qui » ad salutem animi vitæ suæ rationes instituerint. » Ac nonnullis interjectis. « Hæc tu, *inquit*, videsis, ut arcanis ipsis » arcana magis et occulta habeas, propterea quod nihil de se » Dii planum atque perspicuum, sed obscura omnia suis oraculis effati sunt. » Age vero, quandoquidem speciosis adeo verbis hæc nobis auctor iste denuntiat: videamus porro, quid de Virtutibus illis, quæ sub aspectum non cadunt, quæque ab iis Deorum in numero reponuntur, ex responsis istis divinitus editis censere nos ac judicare oporteat. Sic enim intelligemus, suis ipsius cum verbis, tum studiis ac vitæ rationibus hominem redargui. Nam qui libris iis, quos de philosophia ex oraculis haurienda scripsit, Apollinis responsa commemorat, quibus sacrificia cæsis animantibus fieri jubet, idque non Dæmonibus solum aut vicinioribus terræ Virtutibus, sed etiam ætheriis cœlestibusque Diis; idem alio quodam in opere non Deos, sed Dæmones eos omnes agnoscens, quibus Græci cæsis pecudibus faciebant, nec oportere, nec vero fas esse Diis animantes immolare pronuntiat. Accipe igitur, quibus primum ipse verbis, promptam ex oraculis philosophiam edisserens, referat, quo ritu Apollo Deos colendos esse docuerit. Rem totam ita persequitur.

CAPUT NONUM.

Quemadmodum Apollo sacrificiis Deos colere jubeat.

«Jam vero post ea, quæ de pietate dicta sunt, ordine facturus mihi videor, si quæ de sui ipsorum cultu oraculis »effati Dii sunt, deinceps præscripsero, tametsi jam ex iis »aliquid superiori de pietate disputationi asperserim. Est »autem id, quod sequitur, Apollinis oraculum, quo ipsa »quoque Deorum suas in regiones distributio continetur.

»Hoc age rite memor, superum qui Numine dextro es
»Hoc iter ingressus : felicibus hostia divis
»Abs te cæsa cadat; qui terras, altaque cœli
»Templa tenent, quique ætheria regione morantur,
»Aeriosque regunt tractus, quique humida ponti
»Marmora, quique umbras sortiti Erebumque profundum :
»Res etenim fusa est Divum natura per omnes.
»Sed quo quæque tibi mactanda animantia ritu,
»Ante canam; puris responsum incide tabellis.
»Terna quidem Laribus, totidemque sacrare memento
»Cœlitibus : verum hoc discrimine; candida nempe
»Cœlitibus, Larium sit concolor hostia terræ.
»Quæ Laribus fient, in ternas divide partes;
»At quæ Dis Erebi, terra sepelito sub alta,
»Fumantemque cavis scrobibus demitte cruorem.
»Fundito mel Nymphis, et mollia dona Lyæi.
»Quæ circumvolitant humiles vaga Numina terras,
»His circum exundans succensa altaria sanguis
»Impleat, et sacros avis integra cedat in ignes;
»Sed prius infuso subigens tunsa hordea melle,

» Hæc thuri admixta, et salsas super injice fruges.
» Dum glauci maris ad tenues facturus arenas
» Veneris, in caput excussam, totamque profundos
» Porricito in fluctus volucrem. Queis rite peractis,
» Ad magnos exinde choros vestigia flecte
» Cœlituum: sacer ætheriis honor omnibus idem,
» Effusum scatebris ad farrea liba cruorem
» Stagnare, et nota Diis apponere membra,
» Summa quidem flammis imponere; cætera mensis.
» Tu liquidas gratis imple suffitibus auras
» Interea, et castis urge pia Numina votis. »

Tum ille paucis interjectis hanc istius oraculi subjicit explicationem. « Sacrificiorum, *inquit*, ejusmodi ritus est, ad » eam, quæ superius allata est, Numinum partitionem ac- » commodatus. Nam quod ex Diis aliqui subterranei sint, alii » terrarum incolæ; ac subterranei quidem inferi, quemad- » modum terrarum incolæ, terrestres præterea nominen- » tur; victimas quadrupedes easque nigri coloris omnibus » ex æquo immolari, dissimilem tamen sacrificii ritum esse » jubet. Terrestribus enim hostiam altari impositam jugulari » præcipit, subterraneis autem in fovea, sic nimirum ut ca- » daver integrum terra quasi sepultum obruatur. Nam qua- » drupedes quidem cum illis omnibus esse communes, se- » quentibus versibus ita declarat:

» Terrarumque Erebique Diis communia solis
» Quadrupedum agnorum juvenilia corpora sunto.

» Aëris autem Numinibus immolandas volucres, totasque » flammis concremandas, earumque sanguinem circum al- » tare fundendum esse monet: at marinis, volucres quidem, » sed quæ atro colore sint, ac medios in fluctus vivæ adhuc » spirantesque porriciantur: sic enim ait:

» Omnibus hisce Diis volucris, sed nigra marinis.

» Diis quidem omnibus, si terrestres excipias, volucres as-
» signans, solisque marinis atras; cæteris igitur candidas.
» Jam vero cœlestibus æthæriisque Numinibus summas dun-
» taxat candidarum victimarum partes consecrandas; quod
» superest, comedendum esse docet : hoc enim ex solo victi-
» marum genere vesci fas tibi esse, non ex alio. Cæterum,
» quos in ipsa divisione cœlites nominarat, eosdem hic as-
» træos vocat. Ecquis porro necesse fuerit sacrificiorum isto-
» rum symbola explicare, prudenti homini satis per sese nota ?
» Enimvero quadrupedes quidem eæque terrestres Diis ter-
» restribus immolantur; simili enim simile delectatur : pecus
» autem sane terrestre est, eoque Cereri placet, atque in
» cœlo frugum ipsarum ex terræ visceribus eductionem una
» cum sole parturit. Eædem nigri coloris esse debent, quod
» terra natura sua obscura sit : numero tres, quod ternarius
» corpoream terrenamque naturam repræsentet. Jam terres-
» tribus quidem sursum, hoc est, altaribus impositæ hostiæ
» mactantur, quod ii supra terram degere consueverint; sub-
» terraneis autem, in foveis ac sepulcris, ubi volutantur. At
» vero Numinibus reliquis, quod omnia perpetuo ferantur
» cursu, volucres immolantur : nam marina quidem aqua nec
» motum unquam intermittit, et nigrum ad colorem accedit;
» quo fit, ut ejus Numina similes victimæ deceant : aëria
» vero, candidæ, quod aër pellucidæ naturæ cum sit, lumine
» facile perfundatur. Præterea cœlestibus æthereisque Diis
» summæ animantium partes, utpote omnium levissimæ of-
» feruntur; et cum iis in sacrificii societatem homines vocan-
» tur, quod ipsi bonorum auctores sint, reliqui depulsores
» malorum. » Hactenus egregius divinæ sapientiæ Mystes in
iis, quæ de oraculorum philosophia scripsit.

CAPUT DECIMUM.

Deos non esse, quotquot animalium sacrificiis delectantur.

Nunc autem, quæ idem habet in suo de Abstinentia a rebus animatis opere, cum superiori oratione committe. Ibi enim recto plane sanoque adductus consilio, nec Deum præpotentem, nec secundas ab eo cœlestes divinasque Virtutes, ullo prorsus aut suffitus aut sacrificii genere colendas esse, universe ante omnia profitetur. Deinde progressus ulterius, vulgi opiniones ita refellit evertitque, ut eos pro Diis habendos esse neget, quotquot animalium sacrificiis delectentur: cum enim mactare animantia, res sit omnium iniquissima quamque ut impietatis et exitii plenam detestari omnes execrarique debeant; longe profecto abesse, Diis ut placere queat. Quæ dum ille pronuntiat, suum ab ipso Deum reprehendi ac redargui nemo non videt, cum oraculo juberi paulo ante dixerit, uti non subterraneis modo, terrestribusque Diis, sed etiam aëriis, cœlestibus, ætheriisque Numinibus animantes immolentur. Et Apollo quidem ista præcipit: contra vero Philosophus laudato etiam Theophrasti testimonio, Diis animalium sacrificia convenire negat, sed tantum Dæmonibus; ex quo utique sequitur Apollinem utriusque sententia non Deum esse, sed Dæmonem; nec Apollinem modo, sed etiam quotquot apud gentes universas putantur Dii, quibus passim omnes tam principes quam populi per urbes perque pagos ex animalibus sacrificia faciunt. Nam istos quoque, si utrumque philosophum audiamus, aliud esse nihil existimare nos oportet, quam

Dæmones. Enimvero si bonos eosdem esse dixerint, quandoquidem infecta sanguine sacrificia, impietatis, horroris, et exitii plena sunt, quibus ista placeant, boni esse qui possint? Quod si non ejusmodi tantum sacrificiis, verum etiam ad crudelitatis omnis et immanitatis cumulum, virorum pariter ac mulierum cædibus delectatos eos esse ostendemus; quid superest, nisi ut iidem et parricidiis infames, et omni diritate teterrimi, denique nihil aliud nisi pessimi Dæmones luce palam habeantur? Jam vero cum ita se rem habere probatum a nobis ac demonstratum fuerit, simul etiam omnibus constare debere arbitror nostræ ab isto cultu discessionis æquitatem. Nefas enim impiumque foret, non dicam venerandum illud Dei nomen, honoremque summum ad improbos Spiritus abjicere: sed vel eum ipsum, qui homini regia dignitate præstanti debeatur, latronibus ac sepulcrorum effossoribus tribuere. Nos igitur, qui unum illum hujus universi præsidem ac moderatorem Deum colere, et convenienti ritu, adeoque ipsi carissimarum beatarumque virtutum exemplo venerari didicimus, nec terreni quidquam aut mortui, nec saniem aut cruorem, nec id genus alia corruptioni obnoxia, et in materiam immersa obtrudimus; sed potius hoc in votis habemus unum, ut mente ab omni improbitate sincera, corpore castitatis ac temperantiæ cultu, qui longe omnem vestium ornatum superat, decorato, sana Deoque digna doctrina, quodque omnium præcipuum est, puro integroque animi sensu, traditam a Servatore nostro pietatem ad mortem usque tueamur. Sed enim his ista breviter indicatis, tempus est, ut ad eorum confirmationem accedamus. Ac primum quidem ea persequi operæ pretium fuerit, quibus idem Porphyrius, in iis quæ de rerum animatarum Abstinentia scripsit, neque summo Numini, neque secundis ab eo divinisque Virtutibus terrestris quidquam aut adolendum, aut immolandum esse

defendit, quod ejusmodi cultus omnino sit a sanctitate religionis alienus.

CAPUT UNDECIMUM.

Nihil eorum, quæ terra profert, summo rerum omnium Deo neque adolendum, neque sacrificandum esse.

« Ac Deo quidem, *inquit ille*[1], rerum omnium principi, » nihil eorum, quæ sensus attingit (quemadmodum Sapiens » quidam præcipit), neque adolentes, neque consecrantes. » Nihil enim ex materia conflatum est, quod idem non ei, » qui ab omni materia sejunctus est, impurum continuo » fuerit. Quare ne ipsa quidem eum deceat oratio, sive quæ » cum voce conjungitur, sive quæ latet interius, si pertur- » batione aliqua mentis inquinetur : sed potius casto silen- » tio, sanctisque cogitationibus de illo susceptis, eum reli- » giose veneremur. Æquum enimvero est, ut vitæ cum Deo » similitudine conjuncti, sublimem ipsi ac cœlestem insti- » tuti nostri rationem, velut sanctissimum sacrificium offe- » ramus, quæ simul etiam et hymni loco sit, et salutem » nostram contineat. Sic ergo summi Numinis contempla- » tione, animo ab omni perturbatione vacuo suscepta, hu- » jusmodi sacrificium peragitur. »

[1] Porphyr., de Abstin. lib. II.

CAPUT DUODECIMUM.

Ne divinis quidem virtutibus terreni quidquam vel adolendum, vel sacrificandum esse.

« Ejusdem vero soboli, Diis inquam illis, qui sola quoque » mente cognoscuntur, ipsos etiam rationis et orationis hym- » nos repræsentemus : rerum enim earum primitiæ, quas » nobis singuli largiuntur, et quibus nostram alunt conser- » vantque naturam, sacrificium cuique acceptissimum fue- » rit. Quemadmodum igitur manipulorum ac pomorum » agricola, sic etiam nos rectarum de ipsis cogitationum » primitias iis offeramus, simulque gratias cum pro rebus » illis, quas eorum beneficio contemplamur, tum vero pro » eo, quod versando nobiscum, seseque nobis videndos ob- » jiciendo, ac salutis nostræ causa facem nobis quasi præfe- » ferendo, suo nos aspectu vere suaque contemplatione pas- » cant. » Hæc Porphyrius, quibus plane gemina atque affinia sunt, quæ de principe summoque Deo Apollonium illum Tyaneum multorum ore decantatum, in suo de Sacrificiis opere scripsisse ferunt, hunc in modum.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Iterum, nihil eorum, quæ terra gignit, summo Numini offerendum esse.

«Equidem, *inquit*, sic existimo, justis eum verisque re-»ligionis officiis Numen colere, sibique per sese propitium »illud ac secundum præ cæteris hominibus habere posse, si »Deo quidem illi, quem Principem diximus, quique et unus »est, et longo a reliquis intervallo sejunctus, secundum »quem utique cæteros cognosci necesse est, nihil unquam »sacrificarit, ignem non accenderit, nec eorum, quæ sensi-»bus usurpantur, quidquam plane consecrarit (utpote qui »rei nullius indigeat, non modo nostræ, sed nec eorum »etiam, a quibus plurimum naturæ dignitate superamur: »cumque adeo nihil sit eorum, quæ a terra vel aëre quoquo »modo procreentur, animalque nullum, ab utroque nutri-»tum, quod, si tanti naturam Numinis attendamus, non »labis genus aliquod videatur) : sed tantum excellentem »illam ac præstantem orationem ei semper obtulerit (eam »autem intelligo, quæ nequaquam ore profertur), atque ab »eo, qui rerum omnium est optimus, eo quod similiter in »nobis optimum est, interprete bona postularit. Illud autem »mens est, quæ nullius operam instrumenti desiderat. Hæc »igitur si audimus, nihil plane summo illi ac rerum omnium »moderatori Deo sacrificandum est. Quæ cum ita sint, vide »porro, cujusmodi sint, quæ de animantium sacrificiis »prior ille scriptor commemorat, et Theophrasti testimonio »atque auctoritate confirmat.»

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Iniquum, exitiosum, et impium esse, adeoque diris obnoxium, animantia Diis sacrificare.

«Gliscente paulatim, *inquit*, in sacrificiorum suorum »primitiis hominum scelere, invecta tandem est indignissi- »marum victimarum plena crudelitatis usurpatio, sic ut »denuntiatæ nobis antea diræ, nunc demum exitum sor- »titæ videantur, posteaquam homines et jugulare et aras »cruentare cœperunt, ex quo semel famis ac bellorum ne- »cessitate compulsi, cædibus ac sanguine manus infecissent. »Itaque Numen, ut ait Theophrastus, utriusque rei indig- »nitate commotum, justas ab hominibus pœnas expetiit; »quod alii quidem athei extiterint, alii male sentientes ve- »rius quam in Deos impii, quippe qui vulgarem, nihi- »loque nostra meliorem Deorum esse naturam arbitrati »sint; quo factum etiam fuerit, ut illi nullum omnino sa- »crificium fecerint, hi vero improba fecerint, victimis »usi nefariis.» Quibus ista subjungit: «Quæ cum ita se ha- »beant, jure Theophrastus interdicit, ne a quoquam, si »modo veram pietatem ac religionem colere velit, res ani- »matæ Diis immolentur.» Id quod aliis plerisque rationibus ipse confirmat. Itemque paulo post: «Et sane, *inquit*, ea »tantum sacrificare par est, quorum sacrificium nulli per- »niciem afferat: nihil enim est, quod æque ac sacrificium »ab omni aliorum detrimento vacare debeat. Nam si quis »nihilominus animantes quam fructus ipsos nobis a Deo »nostros in usus concessas ac donatas esse dixerit, cogitet

» enimvero exitium illis ab sese afferri, quippe quibus ani-
» mum eripiat. Abstinendum igitur ab earum sacrificio est,
» præsertim cum θυσία, hoc est, sacrificium, vel ipso no-
» mine, ὁσία, id est, sancti aliquid purique sonet: sanctus
» autem nemo sit, qui alienis ex rebus, seu fructus illæ,
» seu plantæ sint, invito domino usurpatis, gratias habeat.
» Nam sanctum id esse qui possit, quod cum eorum, qui
» rebus suis spoliantur, injuria fiat? Quod si ne fructibus
» quidem alienis sacrificium a quoquam fieri sancte potest:
» qui rem alicui longe præstantiorem eripuerit, is profecto
» nonnisi impie sacrificare poterit, cum indignitas et inju-
» ria hoc ipso gravior sit futura. Terræ autem fructibus anima
» certe quidem plurimum antecellit; qua proinde animantes
» ab eo, qui sacrificium facere velit, spoliari, nefas utique
» fuerit. » Ac rursus: « Animantibus igitur in sacrificiis par-
» cendum est. » Iterumque: « Quod ergo neque sanctum,
» neque facile parabile fuerit, sacrificandum id non erit. »
Ac deinceps: « Itaque si animantium quoque primitias con-
» secrare Diis oportebit, propter aliquam ex tribus hisce
» causis ejusmodi sacrificium fieri oportebit, cum nullum
» omnino nisi harum ex aliqua fieri soleat. An vero sese ho-
» nore Numen, ac non potius dedecore affici a nobis inter-
» pretetur, si vel ipso primitiarum genere injuriam aliis in-
» feramus? Atqui eos sane animantes, a quibus læsi nun-
» quam simus, immolari a nobis sine ipsorum injuria non
» posse agnoscimus. Nullum igitur ex iis, qui supersunt,
» per honoris divini speciem immolari deinceps oportebit.
» Sed ne habendæ quidem Numini gratiæ causa. Nam qui ac-
» ceptis beneficiis referenda gratia par esse velit, is profecto
» per alienam injuriam hoc facere non debeat. Secus enim,
» perinde gratiam reponere videatur, ut si quis rebus iis,
» quibus e vicinis aliquem per vim spoliasset, alterum deinde
» vel beneficii vel honoris causa donaret. Postremo, nec

» animo quoque boni ab ipso quidquam impetrandi. Quisquis » enim maleficio beneficium aucupatur, eum ne accepto » quidem beneficio gratiam habiturum merito suspicere. » Quare nec spe beneficii animantia Diis sacrificanda erunt. » Nam ut hominum forte quempiam mactando animante la- » tere possis, Deum certe quidem latere nunquam poteris. » Si ergo sacrificium omne causarum istarum ex aliqua fieri » debet, nec tamen ex iis ulla cædi animalium suffragatur, » sequitur profecto nullum unquam animal Diis immolare » fas esse.» Ac rursus aliquot interjectis. «Isto enim, *inquit*, » sacrificiorum genere cum natura universa, tum commu- » nis ipse hominum omnium animi sensus delectabatur.

» Taurorumque cruor non ullum altare rigabat,
» Infandique omnes tum criminis instar habebant,
» Ante avulsa anima, dein pinguia membra vorare.»

Iterumque post alia quædam: « Ubi autem intellexerit ado- » lescens, magnis sumptibus, adeoque boum (ut loquuntur » isti) ac cæterorum animantium epulis Deos ipsos delectari, » qui fieri queat, ut frugi ac temperans esse velit? Idemque » si acceptas esse Diis hujusmodi victimas putaverit, quo- » modo in animum inducat, scelerate facere sibi non licere, » qui sacrificiis maleficia redimere se posse videat? Contra » vero, si Deos nihil istis omnibus indigere sibi persuaserit, » sed in eorum potius, a quibus adeuntur, mores intueri, » magnique sacrificii habere loco rectam de se ipsis deque » rerum veritate sententiam, fierine poterit, quin et tem- » perans, et justus, et sanctus evadat? Enimvero cum sin- » cera mens, et animus ab omni cupiditate vacuus optimæ » Deorum primitiæ sint, non alienum tamen ab iisdem fuerit, » alia quædam ipsis modicæ ac facilis impensæ libare, si » tamen id non dicis causa, sed omni studio et prolixa vo- » luntate fiat : siquidem isti Deorum honores, solennibus

» apud viros bonos præsidendi, assurgendi, ac discumbendi » rationibus similes putandi sunt, non vectigalium pensio- » nibus. Ex his profecto manifeste liquet, vel ipso Græco- » rum hominum, quique apud ipsos extitere philosophorum » sensu, nihil animati Diis sacrificari jure posse : rem quippe » nefariam, inquam, ac perniciosam esse, atque execrationi » proximam. Deus igitur fatidicus iste non erat, imo nec » verax bonusque Dæmon, qui cruentas paulo ante libationes » carniumque nidorem exigebat; adeoque nec illi omnes, » quibus animantes immolare jubebat. Fraudulentum illum » ergo atque impostorem, malumque omnino Dæmonem » appellare decet, qui mentiri palam, ac Deos, qui Dii non » essent, pronuntiare ausus sit, animaliumque sacrificia ut » non terrestribus modo, sed etiam cœlitibus sydereisque » imperare.» Sed enim, quales tandem, si minus Deos, existimare omnes istos oporteat, ex eodem rursus auctore discemus, hunc in modum scribente.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Dæmonibus istorum sacrificia fieri, non Diis.

« Noverat autem, utpote cui religio curæ esset, Diis qui- » dem animati prorsus immolari nihil, sed tantum Dæmoni- » bus, seu boni illi sint, seu mali : simulque noverat, quo- » rum interesset sacrificium iis facere, quibusque tantum » rebus eos uti oporteret, qui ipsorum opem atque auxi- » lium implorarent.» Ac deinceps : « Porro non Diis, *inquit*, » sed Dæmonibus cruenta sacrificia ab iis oblata esse, qui » virtutes hoc in universo degentes agnoverant, id vero theo-

»logorum ipsorum fide ac testimonio comprobatur; illud-»que prælerea, ex iisdem noxios alios esse, aliosque bo-»nos, qui nihil incommodi allaturi nobis essent. » Hæc ille. At cum ex Dæmonibus alios quidem bonos, alios vero malos esse dicat, videamus porro, quibus tandem argumentis Deos ab istis celebratos, non bonos, sed malos fuisse Dæmones constare certo possit. Equidem vel hac ipsa ratione confici rem existimo. Quidquid bonum est, prodesse solet; nocere vero, contrarium. Atqui, si quotquot seu Dii, seu Dæmones passim et ubique prædicantur, illi ipsi, inquam, istorum omnium ore jactati, atque a Gentibus culti universis, Saturnus, Jupiter, Juno, Minerva, idque genus cæteri, adeoque Virtutes illæ, quæ sub aspectum non cadunt, quique per simulacra vim suam exerunt Dæmones, eos, inquam, omnes si non modo brutarum animantium, verum etiam hominum cædibus ac sacrificiis delectari, sicque miserorum hominum animis exitium afferre ostendetur; quam tu diriorem ista perniciem cogitare possis? Nam si animalium ratione carentium sacrificia execratione digna malique ominis Philosophi esse dixerunt, si detestanda, si injusta, atque nefaria, ipsisque adeo facientibus exitiosa, proindeque Diis prorsus indigna: quid de jugulandorum hominum consuetudine sentiendum erit? profecto impietatem ac scelus omne ab ea longe multumque superari. Quod si ita est, quis illam jure bonis Dæmonibus, ac non potius teterrimis spiritibus, omniumque perniciem et interitum molientibus placere dicat? Age itaque, omnium ponamus ante oculos, quam longe lateque, priusquam ipsi Evangelica Servatoris nostri doctrina obsisteret, tota hominum vita grassaretur idololatriæ pestis. Nec enim ante Hadriani tempora dissipari purgarique potuit, cum jam lucis instar locis in omnibus Christi doctrina splendesceret. Atque id, quemadmodum et superiora, non nostris, sed illorum ipsorum, qui a nobis

tantopere dissentiunt, testimoniis ostendemus; quæ palam ac diserte eo progressam esse coarguunt priorum temporum impietatem, ut jam superstitiosi homines exitialium spirituum œstro perciti, planeque diabolicam in rabiem acti, ipsos etiam naturæ fines ac limites transilirent, cruorisque avidas potestates necessariorum suorum sanguine, aliisque hominum cædibus infinitis conciliari placarique censerent. Itaque pater unigenam filium, materque filiolam carissimam Dæmonibus immolabant; et familiares propinquosque suos, perinde ac brutas alienasque pecudes, homines amicissimi jugulabant : adeoque per urbes passim atque pagos, Diis videlicet egregiis domesticos quique suos popularesqne mactabant, humanam sensuque cognatam naturam, ad trucem immanemque crudelitatem acuentes, ac furioso vereque a Dæmonibus invecto more sævientes. Enimvero, seu Græcam, seu Barbaram historiam excutias, occurret tibi continuo, quemadmodum alii filios, filias alii, alii denique semetipsos Dæmonum sacrificiis devoverent. Quorum ego testem inprimis eumdem ipsum produco Porphyrium, qui eodem opere, quo expertium rationis animalium sacrificia tanquam nefaria et iniquissima prohibet, sic ad verbum loquitur.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De antiqua hominum immolandorum consuetudine, ex Porphyrio et aliis.

« Atque id a nobis, *inquit*, non temere, sed plena » exemplorum suffragante historia memorari, satis, quæ

»subjicio, comprobabunt. Nam apud Rhodios primo quidem ad diem julii sextum, hominem Saturno immolabant; »deinde vero morem antiquissimum ita mutarunt, ut ex iis »unum, qui morte damnati publice forent, vinctum usque »ad Saturnalia custodirent, eumque ad solennis festi diem »extra portas eductum, vinoque madidum, e regione ædis »Optimi Consilii jugularent. Salamine, ut quidem hodie »vocant, quæ prius Coronea dicebatur, mense martio, quem »aphrodisium Cyprii nominant, Agraulo Cecropis Nym»phæque Agraulidis filiæ hominem quoque mactabant. »Qui mos cum ad Diomedis usque tempora propagatus »esset, ita deinceps mutatus est, ut Diomedi hominem il»lum immolarent, cum Palladis, Agrauli, ac Diomedis tem»plum uno eodemque ambitu teneretur. Atque is, quem »ad sacrificium destinarant, primum quidem adolescen»tium manibus ter circum altare cursim agebant; deinde »a Sacerdote ad stomachum hasta percussus extructo rogo »cremabatur. Hanc vero legem Diiphilus, qui apud Cy»prios circa Seleuci Theologi tempora regnabat, tandem »abrogavit, ejusque loco bovis sacrificium instituit, quem »hominis vice Dæmon libenter accepit. Adeo nihil inter »utrumque sacrificii genus interest. Similem quoque homi»num immolandorum consuetudinem apud Heliopolim »Ægypti Amosis sustulit, Manetho teste in eo, quem de »priscis moribus ac pietate scripsit. Ac Junoni quidem ejus»modi sacrificium fiebat, lectis ante probatisque hominibus »eodem plane ritu, quem in puris illis vitulis summa quæ»sitis diligentia, certisque notis insignibus, observabant. »Tres autem uno die mactabantur, quorum in locum Amo»sis totidem cereas hominum imagines suffici jussit. Præter»ea in insulis Chio ac Tenedo discerptum hominem Baccho »Omadio, ut refert Euelpis Carystius, itemque Lacedæ»mone alium, Apollodoro teste, Marti immolare consue-

» verant. Jam Phœnices, ubi gravius sive bello, sive fame, » sive etiam æstu laborarent, necessariorum suorum aliquem » Saturno communibus addictum suffragiis immolabant, cu- » jusmodi exemplorum plena est Phœnicum historia, quam » Phœnicia lingua a Sanchuniathone conscriptam Philo By- » blius in octo digestam libros Græco sermone donavit. Ister » etiam auctor est, in eo, quod de Cretensium sacrificiis » edidit, volumine, pueros olim Saturno immolari a Cure- » tibus solitos fuisse. At vero Pallas, is qui collecta in unum » Mithræ mysteria optime concinnavit, solennia passim apud » omnes ferme populos hominum sacrificia, Hadriano im- » perante funditus exterminata esse tradit. Nam prius qui- » dem et Laodiceæ Syriæ quotannis virgo Palladi mactaba- » tur, nunc autem cerva; et Carthaginenses in Libya hoc » sacrificii genere utebantur, quod ab Ipichrate aliquando » sublatum est. Dumatii vero Arabiæ populi singulis item » annis puerum sub ara, quæ simulacri loco ipsis erat, im- » molatum sepeliebant. Imo Græcos passim universos, an- » tequam in hostem moverent, humano sanguine litavisse, » Philarcho referente accepimus. Thracas, Scythasque præ- » tereo; quemadmodum Athenienses Erechthei, Praxitheæ- » que filiam cæciderint, nihil dico. Illud autem quis nescit, » Magna in Urbe, hominem circa Jovis Latiaris ferias hodie- » que mactari? » Et rursus. « Ex quo, *inquit*, ad ætatem usque » nostram, non tantum vel in Arcadia solenni Lupercalium » festo, vel Carthagine Saturno populus universus homines » immolat, sed etiam certo statoque redeuntis anni circulo, » ad usurpationem veteris fixæque legibus memoriæ, aras » civili semper ac domestico cruore perfundunt. » Hactenus ex Porphyrio.

Jam ex primo Philonis de Phœnicum historia volumine hæc pauca subjiciam. « Apud veteres, *inquit*, in more » positum erat, ut in summis reipublicæ calamitatibus,

»penes quos aut civitatis aut gentis imperium esset, »ii liberorum suorum carissimi, ultoribus Dæmonibus ju- »gulati, sanguine, quasi pretio, publicum exitium interi- »tumque redimerent. Qui vero tum ad sacrificium devove- »bantur, eos mysticis quibusdam cæremoniis jugulabant. »Enimvero Saturnus, quem Phœnices Israelem nominant, »quemque post obitum in astrum ejusdem nominis conse- »crarunt, cum iis in locis regnaret, ac filium unicum ex »Nympha quadam indigena, quam Anobretten vocabant, »suscepisset, eumque propterea Ieüdem appellatum, quod »ea vox apud Phœnices unigenam etiamnum significet: »cumque teterrima belli clades universam in regionem in- »cubuisset, illum ipsum regio cultu ornatum ad aram abs »sese prius erectam et instructam immolavit.» Quæ cum ita se haberent, jure sane ac merito Clemens, vir plane singularis, in ea, quam Gentilibus inscripsit, Cohortatione, eamdem ista carpens, hominum illorum cæcitatem his verbis lamentatur. « Nunc autem, *inquit*, superioribus illud »etiam adjungamus, quam immanes Dii vestri Dæmones »fuerint, quamque capitali hominum odio flagraverint, qui »eorum non vecordia modo insaniaque delectarentur, sed »etiam carnificina cædibusque fruerentur. Quippe modo »enim armatas in Stadio et ambitiosas commissiones, modo »infinitas belli contentiones honoris causa gloriæque sus- »ceptas, voluptatis sibi materiam ac segetem accersebant, »ut sic indignum in modum humano cruore satiari possent. »Jam vero per urbem passim ac populos tanquam teterrimæ »pestes grassati, crudeles dirasque libationes expetebant. »Sane Aristomenes ille Messenius Ithomitæ Jovi trecentos »jugulavit, ratus egregie sese tot tamque lectis hecatombis »litasse; quorum e numero Theopompus erat, Lacedæmo- »niorum Rex, illustris utique nobilisque victima. Tauri vero »populi, qui circa Tauricam Cherrhonesum habitant, quot-

» quot apud se peregrinos eo tum errore, tum vi tempesta-» tis appulsos interciperent, e vestigio Tauricæ Dianæ im-» molabant; quibus sacrificiis tragica sæpius Euripidis thea-» tra personarunt. Scribit etiam Monimus in suo de rebus » admirabilibus commentario, Pellæ oppido Thessaliæ, ho-» minem Achivum Peleo et Chironi mactari consuevisse. A » Lyctiis vero, Cretæ insulæ populis, Jovi homines jugu-» lari solitos, auctor est Anticlides, in eo, quem Reditus in-» scripsit, opere. Itemque Baccho similem a Lesbiis oblatam » esse victimam ex Dosida cognoscimus. Phocæenses quo-» que, ne præteriti a nobis videantur, hominem integrum » Tauricæ Dianæ cremabant, ut testis est Pythocles libro » de Concordia tertio. Adde his et Erechtheum Atticum, et » Romanum Marium, qui suas ambo filias immolarunt, » Persephonæ quidem Erechtheus, ut apud Demaratum » primo Rerum Tragicarum libro legimus; Averruncis au-» tem Marius, ut ex quarto Dorothei Rerum Italicarum libro » constat. Perhumanos scilicet ac misericordes exemplis » istis habemus Dæmones. Quidni vero similem in modum » religiosa sanctaque habeantur Dæmonum mancipia, seu » quæ boni ominis causa servatores illos appellant, seu quæ » salutem a salutis insidiatoribus deprecantur. Enimvero » dum istis litare sese opinantur, homines ab sese jugulari » non cogitant. Atqui non locus profecto hostiam ex par-» ricidio facit: nec si Dianæ quis aut Jovi potius in loco sa-» cro, quam si aliis id genus Dæmonibus, vel ad aram, vel » in triviis hominem, seu iracundia, seu pecuniæ cupiditate » commodus jugularit, sacram victimam appellet licet. Par-» ricidium omnino est tale sacrificium. Quid igitur causæ » est, vos, o homines animantium omnium sapientissimi, » quamobrem, cum immanes feras adeo fugere, ac sicubi » vel in ursum vel in leonem inciderimus, illico declinare » soleamus;

» Ut quis, cæruleum si forte aspexerit anguem,
» Continuo resilit, membrisque pavore solutis,
» Aërii sese montis valle abdit in alta[1]:

» vos, qui exitiales ac pestiferos Dæmones insidiari homini-
» bus, eorumque succensos odio, nihil nisi ipsorum pestem
» interitumque moliri sentitis atque agnoscitis, non movea-
» mini tamen, nec vestros ipsi hostes aversemini? » Hæc Clemens. Ego vero, quem tibi producam, alium præterea impiorum atque immanium Dæmonum carnificinæ testem habeo, Dionysium Halicarnassensem, virum, qui accurate inprimis historiam Romanorum perscripsit universam. Refert igitur ipse quoque, Jovem et Apollinem aliquando humanas hostias exegisse, eos vero, a quibus exegerant, tametsi frugum pariter ac pecorum omnium iis decimas obtulissent, quod tamen hominibus pepercissent, nihil non calamitatis subiisse. Verum auctorem ipsum rem his verbis narrantem audire præstat. « Exiguæ tamen, *inquit*[2], Pelas-
» gorum in Italia reliquiæ, Aboriginum cura studioque re-
» sederunt. Ac per civitates quidem in familiarium exitium
» vis mali tum primum grassari cœpit, cum, terra immodico
» æstu laborante, nec pomi genus ullum ad justam usque
» maturitatem arbori hæreret suæ, sed acerba passim om-
» nia deciderent; nec sata prorsus ulla, tametsi jam educto
» germine florem ostendissent, tempus roborandæ matu-
» randæque spicæ necessarium attingerent: nec jumentis
» satis herbæ proveniret: adeoque fontes aut ejusmodi aqua
» fluerent, quæ bibi secure non posset, aut deficerent per
» æstatem, aut penitus hausti arescerent. Affinis gemina
» erat pecudum æque ac mulierum fœturæ pestis: nam vel
» abortivi fœtus ejiciebantur, vel in ipso partu interibant,
» idque cum certo nonnunquam matrum ipsarum exitio.
» Quod si qui forte nascendi periculum evitarent, trunci

[1] Homer., Iliad. III, 33. — [2] Dion. Halicarn., lib. I.

» tamen, aut inchoati, aut alio quocumque vitio affecti, » eoque minus ad alendum idonei nascebantur. Reliqua vero » justæ aut florentis ætatis multitudo morbos necesque gra- » vissimas ferebat, ac longe, quam antea, crebriores. Qui » cum oraculum consuluissent, cujus ob Dei vel Dæmonis » offensionem ista paterentur, quibusque religionis officiis » urgentis calamitatis leniendæ ac mitigandæ spes esset, » hoc abs Deo responsi tulere : Cum votorum ipsi compotes » evasissent, sua tamen Diis vota minime reddidisse; quæ » enim pretio reliquis anteirent, eorum adhuc esse debito- » res. Cum enim Pelasgi etiam antea rerum omnium ste- » rilitate premerentur, Jovi, Apollini, et Cabiris, eorum, » quæ sibi nascerentur, omnium decimas voverant; ideo- » que rei votorum effecti, eximias fructuum, ac pecorum » universorum decimas Diis consecrarant, quasi suis eas » tantum, nihilque præterea votis inclusissent. Atque hæc » totidem pene verbis a Myrsilo Lesbio commemorantur, nisi » quod Tyrrhenos ipse populos istos, non Pelasgos appellat, » cujus rei causa postmodum a nobis afferetur. Cæterum » cum de relati oraculi mente nullo modo conjicere possent, » dubiis animique pendentibus, e senioribus unus aliquis » eam solerter assecutus, eos gravissime falli denuntiavit, » si immerito sibi succensere Deos putarent; nam rerum » quidem ac fortunarum primitias rite atque uti æquum erat » persolutos omnes Diis fuisse; at natorum per id tempus » hominum sortem, quæ maximi omnium ab iis fieret, etiam » tum deberi. Quare si eorum præterea justam Dii quoque » partem acciperent, tum demum oraculum felicem exitum » habiturum. Hanc senis orationem probare alii, alii contra » suspectam habere, quasi fraude doloque compositam. Mox » tamen auctorem e turba quempiam secutis, placuit denuo, » hominumne decimas expeteret, Numen consulere : quod » ubi sic faciendum missis consultoribus respondisset, con-

» tinuo seditio exoritur, quod inter eos de decimandi ratione
» convenire non posset. Ac primo quidem inter ipsos civi-
» tatum principes turbari cœptum, mox cætera quoque mul-
» titudo de principibus male suspicatur. Ergo nullo ordine
» tumultuari, sedesque mutare, sed uti par erat homines
» Deorum stimulis ac pœnis agitatos. Quo factum, ut ædes
» integræ funditus delerentur, parte eorum alio commigrante,
» cum propinqui discedentium nefas putarent, et divelli a
» necessariis, et cum inimicissimis residere. Primum igitur
» isti omnes relicta Italia, partim in Græciam, partim in
» barbaras plerasque regiones dissipati sunt : secundum quos
» alii deinceps eamdem subiere fortunam, cum id ipsum
» quotannis eveniret. Nec enim desinebant civitatum mode-
» ratores lectas subinde adolescentium primitias eximere,
» partim ut sese Numinum religione solverent, partim quod
» ab iis, qui effugissent, novas seditiones metuerent. Multi
» quoque odio ac simultate per honestam causam ac speciem
» ab adversa factione pulsi, multæque propterea migratio-
» nes, quæ Pelasgam gentem varias in terras longe lateque
» deportarunt. » Ac paucis interjectis : « Ferunt etiam, *in-
» quit*, Saturno veteres (quemadmodum et Carthagine, dum
» superstes esset, et apud Gallos etiamnum, aliosque non-
» nullos Occidentis populos fieri solet) homines immolasse :
» qui mos sublatus ab Hercule fuerit, cum ipse princeps et
» aram in colle Saturnio erigere, et purarum hostiarum pri-
» mitias puro igni consecrare voluisset. Atque is, ut ipsos
» omni metu ac religione solveret, si qua forte sese, tan-
» quam patriis sacris neglectis, obligatos putarent, hanc eos
» placandi Numinis rationem docuit, ut in locum hominum,
» quos manibus ante pedibusque revinctis in Tiberim proji-
» ciebant, hominum simulacra eodem ornata cultu, eodem-
» que ritu in fluvium mittenda sufficerent : uti si quid ad-
» huc religionis in cujusquam animo resideret, totum id

» funditus, retenta vel specie tenus sacrificii veteris usur-» patione, tolleretur. Atque hunc morem etiamnum Romani » servant, paulo post vernum æquinoctium, maiis, quas ap-» pellant, idibus, sic nimirum ut eo die dimidiatus lunæ » orbis appareat. Tum vero solemnibus hostiis rite mactatis, » Pontifices (quod summum apud eos sacerdotium est) si-» mulque Vestales virgines, quibus immortalis ignis credita » custodia est una cum prætoribus cæterisque civibus, quos » quidem sacris interesse fas est, triginta id genus hominum » in speciem conformatas imagines (Argeos ipsi vocant) in » Tiberim fluvium de sacro Ponte dejiciunt. » Hactenus Dionysius. Nec absimilia sunt, quæ a Diodoro Siculo narrantur, libro historicæ Bibliothecæ vigesimo : ubi post Alexandri Macedonis obitum, circa Ptolemæi primi tempora, de Carthaginensibus ab Agathocle Siciliæ Tyranno obsessis ad verbum ita scribit : « Iratum, *inquit*[1], sibi præterea Satur-» num esse hac de causa dictitabant, quod cum ipsi antea » liberorum suorum florem immolarent, deinceps nonnisi » pueros quosdam furtim coemptos atque abs sese educatos » ad sacrificium summitterent. Itaque hac de re quæstione ha-» bita, nonnullos ex iis, qui sacro ac solemni ritu cæsi erant, » suppositios fuisse repererunt. Quæ cum secum ipsi reputa-» rent, hostiumque castra mœnibus suis imminere cerne-» rent, magna illis injecta religio est, quasi patrios Deorum » honores sustulissent. Atque hunc errorem ut mature pro-» curarent, primum quidem eximios communibusque lectos » suffragiis adolescentes omnino ducentos publice immola-» runt : deinde vero alii præterea, qui violatæ religionis sus-» pecti vulgo essent, ultro sese ac sponte obtulerunt, tre-» centis haud pauciores. Erat autem apud eos simulacrum » Saturni æreum, supinis ac pendentibus in terram mani-» bus, ut impositus ipsis adolescens subjectam in foveam

[1] Diod. Sicul., lib. xx.

» ignique plenam volveretur ac rueret. » Hæc suis in historiis Diodorus. Quamobrem jure sane ac merito Hæbræorum litteris carpuntur illi atque reprehenduntur, qui ex circumcisorum numero cum essent, iisdem tamen sese flagitiis inquinarent : « Et immolabant filios suos et filias suas Dæ» moniis. Et infecta est terra in sanguinibus, et contaminata » est in operibus eorum[1]. » Ac mihi quidem persuadeo, manifeste quemvis ex superioribus intelligere, primum illum eumdemque vetustissimum simulacra erigendi morem, omnibusque communem Gentibus Numinum seu verius idolorum fictionem, a Dæmonibus, nec ab iis sane, qui boni vocantur, sed omni scelere flagitioque teterrimis profectam esse atque institutam. Ut prophetici hujus oraculi veritas liquido constet : « Omnes Dii Gentium Dæmonia[2], » nec non illius Apostolici : « Quæ immolant, Dæmoniis immolant, et » non Deo[3]. » Enimvero, si boni vestigium in iis ullum esset, quamobrem bonorum appellationem jure sortirentur, eos utique natura sua cum benignos, ac salutis omnium cupidos, tum vero amantes justitiæ, hominumque studiosos ac defensores esse oporteret. Cujusmodi si essent, qui fieri posset, ut hominum cædibus ad delectationem voluptatemque fruerentur? fruerentur autem? Imo, uti non hominum genus a nefario scelere suis ipsi oraculis deterrerent? Sed illi profecto hominibus ipsis longe pejores, ac deteriores sint, necesse est, quippe cum homines pœnis legibus constitutis parricidas istos saniorem ad mentem revocarint. Neque enim unus aliquis Deorum is fuit, sed hominum, per quem effectum est, ut pestifera hominum immolandorum eaque tam diuturna consuetudo tolleretur. Verumtamen improborum Dæmonum totum id fuisse, clarius etiam intelliges, si de infanda illa effusaque scortandi libidine, cujus etiamnum apud Heliopolim Phœniciæ, atque alios ple-

[1] Psalm., xxxv, 37. — [2] Id., xcv, 5. — [3] 1 Cor., x.

rosque populos usus est, tecum ipse cogitaveris. Adulteria siquidem, corruptelas, aliaque id genus incesta flagitia, sic tanquam nomen aliquod in Deorum suorum cultu repræsentanda esse defendunt, adeoque turpitudinis indignissimæ suas quoque primitias ipsis offerendas, fœdi videlicet infamisque commercii fructum iis, perinde ut eximium quoddam grati animi monimentum, consecrando. Sunt enim humanarum hostiarum isthæc affinia. Quod si ab homine temperante ac moderato alienum est, non modo cædibus, verum etiam dictu fœdis libidinibus, nefariisque mulierculaum speciem venalem habentium stupris delectari : longe profecto dicendum est, seu Deos, seu bonos etiam Dæmones ab iis expetendis ac probandis abesse. Sin autem quispiam forte erit, qui ista quidem ad improbos Dæmones pertinere omnia fatebitur, sed tamen alios præterea bonos esse dicet, quos tanquam generis humani vindices præcipuo cultu venerari oporteat : quærendum ex eo fuerit, ubi tandem essent boni vindices, quos ea religione venerarentur, cum tantam improborum istorum vesaniam suorum a clientum corporibus minime propulsarent. Ubi, inquam, boni Dæmones, qui nec carnifices illos arcerent, nec cultoribus suis opem auxiliumque ferrent. Cur enim hominum genus, quod et ratione præditum, et Numini carum est, improborum Dæmonum crudelitate confici negligenter adeo patiebantur? Imo, quidni omnibus palam et aperte denuntiabant, uti cuicumque ex iis quos vulgo Deos nominabant, vel immanitas, vel scelus ac flagitium placeret, eum utpote non Deum aliquem, sed improbum Dæmonem execrati constanter ac perpetuo fugerent? Quidni, inquam, seu quis olim Dei loco a Rhodiis habitus humanas victimas expetebat, verus eum Deus, si quem ipsi verum habebant, represso maleficio, non Deum, sed malum Dæmonem existimandum ab omnibus esse declarabat? Seu quis idem ejus-

modi Salamine fuit (quam veteres Coroneam vocabant) ubi mense, qui apud Cyprios aphrodisius est, hominem immolabant; eum quoque verus istorum Deus, ut impium morem abrogaret, pestiferum Dæmonem esse statuebat? Nam si apud Heliopolim Ægypti, solemnem hominis immolandi consuetudinem Amosis antiquavit; hominem utique Deo longe meliorem esse, verus eorum Deus docere debuisset: nec enim Deus iste quoque, sed Dæmon profecto fuit, quisquis hujus hominum cædis auctor fuit. Nec verus item Deus, illum Junonis Dæmonem, cui tres olim singulis diebus homines mactari solitos ex historia cognoscimus, flagitiosum unquam atque sceleratum haberi vetuisset. Quod porro magis Dæmonem sapiat, quam illa vel Omadii Bacchi crudelitas, cui membratim homines a Chiis discerptos esse ferunt; vel alterius apud Tenedios, quem similiter hominum cæde placabant? Edixisset præterea verus iste Deus, uti ne quis, Marti illi bellorum humanique cruoris sitientissimo hominem immolaret, adeoque nec sibi aliisque carissima quæque jugularet. Palladi quoque, si quod vulgo jactatur, virgo quotannis Laodiceæ Syriæ immolari solebat, ea ne malus Dæmon haberetur, verus profecto Deus non cavisset: itemque ne alter, qui hoc sacrorum genere delectabatur in Libya; alterque præterea, cui mactatum quotannis in Arabia puerum sub aram sepelire mos erat.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Post Evangelicæ doctrinæ prædicationem, hominum immolandorum consuetudinem esse sublatam.

Istos, inquam, omnes eosque similiter, qui tam obscena loquebantur, quique flagitiosis ac nefariis mulierum corruptelis ac stupris, totoque hoc commemoratæ superius libidinis furore tenebantur, verus certe quidem bonusque sive Deus, sive Dæmon, a quoquam Deorum in numero censeri omni ratione vetuisset. Atqui, præter eum, qui ab Hebræis colebatur, ut pote qui unus esset verusque Deus, a nullo prorsus alio factum id unquam fuisse legimus. Solus ille prophetæ ac theologi Mosis ore, denuntiavit universis, non modo ne improbos Dæmones tanquam bonos colerent, sed potius tanquam sceleratos spiritus abominati ejicerent; jussitque præterea eorum templa expiari, execrandas profanasque religiones, memoriam quasi deorum universam, honoresque solemnes ex hominum funditus societate deleri. Merito sane, nec enim improbos ab iis, qui bonorum cura providentiaque regebantur, consiliari placarique fas erat. Tibi vero, seu Philarchus ille est, seu quicumque alius, qui Græcos passim universos, priusquam in hostem moverent, homines immolare solitos esse scribit, qua Dæmonis tyrannide oppressi illi tenerentur, hujus etiam fide testimonioque constabit. Quinetiam Afros illos, et Thraces, et Scythas, quotquot similibus ritibus uterentur, simili Dæmonum furore actos pronuntiare ac probare liceat. Quibus Athenienses, ipsosque adeo cives magnæ Urbis adjunge,

cum circa magni Jovis ferias homines ipsi quoque jugularent. Imo vero, si universam eorum, quæ paulo ante commemoravimus, seriem sub aspectum unum subjeceris, invenies totam prope fictorum a gentibus numinum molitionem illis ipsis spiritibus hominum carnificibus, sceleratisque dæmonibus esse tribuendam. Etenim si evidentibus certisque testimoniis, apud Rhodios, Salaminos, ac cæteros insulares, itemque apud Heliopolitanos, Ægypti Chios, Tenedios, Lacedemones, Arcadas, Phœnices, Libyæ, Syriæ et Arabiæ populos, adeoque apud Athenienses ipsos, qui Græcorum omnium principes ac veluti capita etiamnum haberi solent, nec non apud Carthaginenses, Afros, Thraces, atque Scythas, hominum olim sacrificia diabolico furore usurpata esse ostendimus, impiosque ritus ad Servatoris usque nostri tempora propagatos: quidni tandem jure meritoque concludas, illos tum populos improbis omnes Dæmonibus mancipatos fuisse, nec ante genus humanum tantorum acerbitate malorum vexari desiisse, quam Servatoris nostri doctrina passim illuxisset? Nam illa quidem ad imperium Adriani viguisse, ac sublata deinceps fuisse constat ex historia, quo nimirum tempore salutaris hujus doctrinæ vis apud omnes jam late populos gentesque regnaret. Neque vero hoc istis effugium superest, ut non nisi malis dæmonibus litatum humanis victimis esse dicant, cum maximis præsertim quibusque Diis mactatos homines fuisse ex illorum historiis habeamus. Testes enim eæ sunt, Junoni ac Minervæ, Saturno, Marti atque Baccho, Jovique adeo cæterorum omnium principi, nec non ipsi Phœbo, Apollini, inquam, illi, qui tantum gravitate reliquis ac sapientia anteibat, genus id hostiarum placuisse, quos utique, non alios, ipsi cum maximos bonosque deos, tum servatores etiam ac vindices appellare solent. Sed nimirum improbi Dæmones erant isti quoque. Nam si humano etiam cruore

tantopere delectabantur, quidni similiter verum sit eos in eamdem cum sceleratis ac tinctis sanguine Dæmonibus classem conjicere? Nec sane interest, gauderentne ipsi hoc sacrificiorum genere, an aliis isto ritu fieri paterentur. Enimvero, decuitne mortalibus, uti nefarios Spiritus placarent, ullo modo permittere? Decuitne tantum in iis errorem dissimulare, ut cultu et obsequio improbos delinirent? Decuitne, cum impiorum sese tyrannidi subjicerent, ferre leviter? cum illos potius, si quidem et boni dii forent, longissime oporteret ab humana societate, quidquid pravi malique esset, potentiori ac diviniori numine propulsare. Quid enim? Pater, si modo bonus fuerit, nunquam a perditis hominibus male filium haberi patiatur : æquus prudensque dominus servum ab inimicis vexari abducive nunquam ferat : imperator suorum in bello salutem defendere ac tueri si poterit, in hostium eos potestatem venire non sinat : pastor ne oves quidem suas lupis objiciat : Et Dii tamen bonique dæmones humanum genus gravissimo teterrimorum Dæmonum jugo oppressos jacere patientur? Et sexcenti

Custodes hominum, quos lingua diremit[1],

pastores, inquam, illi, vindices, reges, parentes, ac domini, quos longe carissimos habeant, eos infensissimis hostibus, ac truculentis belluis omni crudelitate ac diritate vexandos cruciandosque tradent? Imo, non pugnabant ipsi pro clientibus! non suis eos armis ac defensione tegent! non infestos ac sceleratos dæmones procul ab hominum grege, tanquam immanes et crudivoras arcebunt feras! Denique non cunctos homines edocebunt, qui cum sexcentis Diis bonisque Dæmonibus amore benevolentiaque conjuncti sint, iis parvi admodum, imo nihili plane improborum Dæmonum imbecillitatem faciendam esse, quippe quos non

[1] Hesiod., in Ἔργ., 121.

modo potentioribus, verum etiam pluribus iisque maximis numinibus consecratos, eorum ope ac præsidio confidere nitique oporteat! Jam vero cum ab eo tantum abfuerint, ut suam ipsi quoque sceleratis operam navarent, partim responsis hominum sacrificia permittendo, partim obscenitate verborum, quæque ipsi comitantur libidinibus ac stupris ad voluptatem fruendo; res plane ipsa loquitur, nihil prorsus ab improborum Dœmonum deflexisse natura, sed unam potius, et eamdem atque ipsos voluntatem ac mentem habuisse : proindeque nullum omnino sive Deum, sive bonum Dæmonem fuisse, quisquis olim ab universis Gentibus per urbes passim atque pagos hoc nomine coleretur. Nam ei, qui bonus sit, malum quomodo placeat? nisi forte lucem cum tenebris conjungi ac misceri posse quis dixerit. Quantum vero fictitiis Numinibus humana ratio præstitit, quæ ne improbis quidem Dæmonibus sacrificium ullum fieri voluit? Nam id sane vetat idem ipse Porphyrius, eo libro, in quo ab animalium sacrificiis abstinendum esse docet, ubi hunc in modum loquitur.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Nullum improbis Dœmonibus sacrificium faciendum esse.

« Quamobbrem, *inquit*, vir æquus ac prudens sibi ab isto » sacrificiorum genere cavendum putabit, quo pravorum » Dæmonum gratiam aucupetur. Animum ipse potius omni » ratione ac studio purgare conabitur, certus eos nunquam » puræ ac sinceræ mentis hominem aggredi, propter mo-

»rum ac naturæ dissimilitudinem. Quod si forte a civitati- »bus istos etiam deliniri placarique necesse sit, nihil ad »nos. Nam illis quidem opes, quæque foris sunt, quæque ad »corpus omnino pertinent, bona videri solent; ut mala, »quæ contraria : qui vero animi curam ac rationem ha- »beant, oppido pauci. » Ac deinceps.

CAPUT DECIMUM NONUM.

Præpotenti uni Deo addictum esse oportere.

« Nobis autem, *inquit*, omnibus hoc viribus laboran- »dum erit, nihil ut rebus istis, quas illi suppeditant, egea- »mus : sed potius ut animo simul ac cæteris, ad Dei quidem »et eorum, qui Deo propinquiores sunt, imitationem ac si- »militudinem, quantum in nobis erit, aspiremus (id quod »partim cupiditatum vacuitate, partim sincera et enucleata »de iis, quæ vere sunt, existimatione, partim vitæ ipsius »ad eorum exemplar conformatione assequemur) : im- »proborum autem sive hominum, sive Dæmonum, at- »que omnino quisquis mortale quidquam et cum materia »conjunctum amet, ejus dissimiles esse studeamus. At »vero qui a nobis hoc loco philosophus delineatur, a re- »rum exteriorum commercio et societate sejunctus, ab eo »nec Dæmones sollicitatum, nec vates aut animalium exta »consultum iri, jure ac merito pronuntiamus. Quorum »enim causa instituta divinatio est, iis ultro sibi carendum »statuerit. Nec enim in matrimonii sese vincula conjiciet, »ut de ejus successu Divinum interpellet; nec mercaturam »factitabit; nec de servitio, nec de opum amplificatione,

» nec de reliquo humanæ vitæ fastu consulet. Quibus autem » de rebus ipse quæsiturus est, nec vates ullus, nec animan- » tium exta certi quidquam aperient. Unus ille per se ip- » sum, ut diximus, ad Deum, qui sedem veris in visceribus » suis fixit, ultro accedet, eoque totus confluens, indidem » æternæ vitæ præceptiones hauriet. » Hac igitur ex Porphyrii disputatione liquido constat, quibus tandem et vaticinationes, et aruspicinam, et illas omnes, quas vulgus admiratur rerum obscurarum prædictiones assignare oporteat. Hæc ille omnia fastum inanemque pompam nominans, tanquam improborum dæmonum arte ac viribus fieri solita repudiat. Siquidem ubi de pravis Dæmonibus disseruit, æquumque ac sapientem virum nunquam aut iis sese deditürum, aut sacrificiis eosdem sibi conciliaturum affirmavit, subdit continuo, philosophum neque divinationibus, neque exstipiciis, neque id genus aliis opus habiturum, quippe quæ a Dæmonum fraude omnia maleficioque profecta sint. Si ergo sapientibus et æquis hominibus, quemadmodum ille præcipit, ab ejusmodi sacrificiis, quibus Dæmonum gratiam aucupentur, omni provisione cavendum est; nec alia sint ea sacrificia, quam quæ fuso sanguine et animalium cæde fieri consueverant : sequitur profecto, neminem prorsus eorum, qui animantes olim, multoque minus qui homines dæmonibus immolarent, sapientem et æquum nominari jure posse. Atqui Gentes propemodum universas, priusquam noster ille Christus in hominum sese vitam ac societatem intulisset, improbos Dæmones solemnibus passim hominum sacrificiis placavisse, manifeste satis ostendimus. Restat igitur, nullum ut apud eas vel prudentem vel æquum sanumque fuisse concludamus. Enimvero cum humanus ipse communisque sensus, rectæ rationis ductum secutus, quisquis et sapiens et æquus esse velit, ei penitus ab eo sacrificiorum genere, quibus improbi Dæmones deliniantur, abstinendum aperte

denuntiet, contraque mentem omni studio purgare jubeat, quod nunquam ab iis, propter morum dissimilitudinem, purus ac sincerus animus invadatur : tum vero contra Deus Apollo (rursus enim cum hominibus componendus ille est, ut, quantum a rectæ sanæque rationis judicio distet, ostendamus) improbo Dæmoni litari jubet, aliud profecto nihil, quam ejus amicitiam secutus : mali autem, nonnisi simile, amicum est. Atque hujus etiam rei testem habemus eumdem Porphyrium, qui in suis de oraculorum philosophia libris ad verbum ita scribit.

CAPUT VIGESIMUM.

Quemadmodum improbo Dæmoni litare Apollo jubeat

« Vate, *inquit*, suis Numen ipsum oculis intueri studio-
» sius ac vehementius cupiente, Apollo respondit fieri hoc
» nullo modo posse, donec sacrificii justo quasi pretio fac-
» tum improbo Dæmoni satis esset. Responsum autem sic
» habet,

» Tu patriæ indigeti pretium, sacra ferre memento
» Libamenta, deinde pyram, nigrumque cruorem,
» Purpureumque merum, atque ovium spumantia lacte
» Pocula.

» Atque iterum hac ipsâ de re clarius,

» Vinum, lacque simul fundens, lymphamque nitentem,
» Ilignasque nuces Jove nata ex arbore mittens,
» Rite solo posita, et pingui perfusa liquore
» Viscera libato.

» Idem vero consultus præterea, quemadmodum preces nun-
» cupandæ forent, eas duntaxat inchoavit his verbis,

» Dæmon, aberrantes animas qui sorte perenni
» Obscurosque regis supraque infraque recessus. »

Hæc Deus egregius, vel potius Dæmon fraudis ac doli architectus : quibus plane contraria naturalis ratio statuit, dum et animum purgare jubet, et sacrificiis improborum Dæmonum gratiam opemque captare vetat, quod puram illi sinceramque mentem aggredi propter morum dissensionem minime soleant. Quod si prudentem eum, si æquæ mentis hominem esse merito judicarunt, qui a Dæmonum sacrificiis religiose abstineret : qui suis oraculis ad improbis etiam litandum hortatur, qui tandem et qualis haberi debeat, tibi statuendum relinquo. Cæterum hinc retro superiora repetenti tibi certo evidenterque constabit, cujusmodi natura moribusque fuerint, tum qui humanis victimis delectarentur, tum qui humanum genus eorum tyrannidi ex omni memoria manciparant. Nam si erit fortasse quispiam, qui hanc immolandorum hominum consuetudinem omni scelere purgabit, atque a veteribus sanctissime observatam esse defendet : erit sane, quamobrem continuo posteros eorum universos reprehendat, quorum nullus hoc tempore ad priscam majorum suorum pietatem adhærescit.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Neminem ab omni ævo fuisse, præter unicum Servatorem Dominumque nostrum, qui totum genus humanum a Dæmonum impostura liberarit.

Sin autem sano maturoque judicio, ab immani ac ferina crudelitate abhorrendum sibi ævi nostri homines putarunt, nullius profecto mentis fuit, quisquis e veteribus improbos Dæmones hominum cæde placavit. Sed enim vel cæcus, ut aiunt, manifeste videat, nec Deos, nec vero bonos Dæmones eos fuisse, quotquot a cunctis olim Gentibus Deorum loco et nomine censebantur: sed potius ab eo, quod bonum est, longissimo intervallo disjunctos, atque ejusmodi, quos jure et Dei hostes, et impios propterea dixeris, qui genus vitamque hominum universam pessundederint. Atque istorum fugam odiumque nemo prorsus ex omni memoria, præter unum Assertorem Dominumque nostrum Jesum Christum Dei filium, cunctis hominibus denuntiavit, quippe qui salutari Evangelio patrii morbi medicinam Græcis pariter ac Barbaris omnibus attulit, simulque ab acerbissima vetustissimaque servitute libertatem, ad quam contento cursu properare omnes Evangelicæ demonstrationis urget oratio, magna palam voce, quæque a nemine non exaudiri possit, inclamans: « Spiritus Domini super me, eo » quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis » misit me, ut mederer contritis corde, et prædicarem cap» tivis indulgentiam, et clausis apertionem [1]. » Iterumque: « Educere ex vinculis compeditos, et de domo carceris se-

[1] Isai. LXI,

» dentes in tenebris[1]. » Hæc enim divina sane Hebræorum oracula superioribus retro sæculis cecinerunt, quibus futurum aliquando feliciter annuntiabant, ut cæcæ quondam mentes nostræ, atque intricatis sceleratorum dæmonun vinculis impeditæ constrictæque solverentur. Quare nos, utpote qui et mentis oculos jam salutaris doctrinæ radiis collustratos habeamus, et ad veram aliquando temperantiam, religionem, sapientiamque traducti, omniumque malorum acerbitate liberati simus, istis nunquam, quibus Divinitatem gentes affinxere, quique nos etiam antea tyrannide sua oppressos tenebant, neque sacrificium faciemus in posterum, neque serviemus: sed propius tandem ad solum verumque Deum, Servatoris nostri præceptis, sic tanquam manu deducti, Deum, inquam, illum, hujus universitatis Dominum simul atque Nutricium, cujus providentia ac benignitate rerum salus omnium continetur, quique eas ut molitus unus atque architectatus est, sic easdem summo deinceps regit imperio; unum eum quoque verumque Deum esse credemus, uni justos honores tribuemus, unum sacro cultu omnique religionis officio prosequemur, idque non jam Dæmonum ritu, sed eo tantum, quem nos Evangelica voce missus ab eodem humani generis Assertor edocuit. Atque hoc genere pietatis exculti, tantum aberit, ut improborum Dæmonum metu terreamur, ut eos potius integritate mentis, morum innocentia, vita denique castiore, atque ad omnem virtutem Servatoris nostri præceptis instituta procul abigamus atque expellamus. Illis enim ad puros sincerosque animos, propter dissimilitudinem aditum patere nullum, profani etiam hominis confessione liquet. Nihil etiam divinatione, Deorumque responsis indigebimus, nec animantium exta rimabimur, nec ad eorum omnino quidquam, quæ sensibus Dæmonum arte solent ac præstigiis il-

[1] Isai. XLII, 7.

ludere, curiosius attendemus. Nam quorum causa genus hoc rerum vulgus hominum tanto studio consectatur, ab iis omni cura et animi provisione abstinendum nobis ac fugiendum Christi doctrina præcipit; sic ad ea tantum expetenda cohortatur, quorum certi plane verique nihil nec Divinorum natio, nec animalium exta indicare possint : sed unum illud Dei Verbum, quod in veris eorum, qui propter summam animi puritatem ipsum capere interius complectique possunt, visceribus ac præcordiis habitat. De quibus in sacris litteris sic alicubi loquitur «Inhabitabo in illis, et inam» bulabo inter eos. » Et «ero illorum Deus, et ipsi erunt » mihi populus[1].» Sed hactenus istum Porphyrii de sacrificiis locum, ad improbitatem Dæmonum coarguendam persecuti simus. Nunc vero audi, sis, quemadmodum ab iisdem præterea plerosque mortalium varia et multiplici formarum larvarumque specie clam in errorem ac fraudem impelli, citato sæpius opere de rerum animatarum abstinentia, idem ipse palam et aperte fateatur. «Bonorum » enim, *inquit*, vultum mentientes, blandeque multitudinem » inflammandis hominum cupiditatibus illicientes, summo» rum ipsi Deorum loco haberi censerique volunt.» Et quidem eos tantum ait versutia potuisse, ut sapientissimos quoque Græcorum et poëtas et philosophos deceperint, quos etiam vulgo errandi causam præbuisse confitetur. Quin etiam asserit, illorum ex præceptis universam præstigiarum artem esse conflatam, ab illis omnes voluptatis illecebras in hominum vitam profluxisse; eosdem, improbi Dæmones cum sint, Divinitatem affectare, adeoque principem eorum virtutem maximum Numen videri. Quæ omnia Porphyrius hunc in modum exequitur.

[1] I Cor. VI, 16.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Quænam præstigiarum Dæmonis ratio sit.

« Quæcumque, *inquit*[1], Animæ conjunctum sibi adhærentemque perpetuo spiritum usque adeo non superant, » ut ab eo potius in plerisque omnibus superentur, eæ proinde » si quando sese spiritus iracundia, et cupiditatum æstus at- » que impetus effuderit, miserandum in modum jactari so- » lent. Et ejusmodi Animæ, Dæmones quidem ipsæ quo- » que, sed improbi ac malefici jure nominentur : qui om- » nes, perinde ut ii, qui contraria sub Virtute censentur, » nec oculis, nec alio quovis humano sensu attingi omnino » possunt. Neque enim aut solidum corpus, aut eamdem » omnes formam, sed plures inter seque distinctas figuras » præ se ferunt. Porro suo singulæ spiritu certis propriisque » notis expresso imagines modo apparent, modo evanes- » cunt, modo vultum speciemque mutant, ii saltem, qui » deteriores sunt. Jam vero spiritus ille, quatenus quidem » corporeus est, mutationi quoque et corruptioni est ob- » noxius : quod autem ad Animas idem sic alligatus cons- » trictusque sit, ut suam eæ propterea speciem paulo diu- » tius retineant, non est quidem ille sempiternus (ejus enim » continuo defluere aliquid ac mutari verisimile est); cæte- » rum ut bonarum spiritus modicæ cujusdam ac justæ tem- » perationis et magnitudinis est, quemadmodum et earum » corpus, si quando nobis appareant; sic maleficarum nulla » spiritus est corporisve proportio. Atque genus hoc Dæmo-

[1] Porphyr., ibid.

» num, ut in locis terræ vicinioribus cupiditatis explendæ » causa libentius frequentiusque versatur, nihil plane scele» ris est, quod moliri non soleat. Nam quod impotenti ad» modum, ac subdolo ingenio sit, quodque melioris ac » divinioris Dæmonis providentia careat, vehementes ac re» pentinos ut plurimum impetus habet insidiisque persi» miles, partim ut facilius lateat, partim ut vi, quod sibi » propositum est, extorqueat. » Et paucis interjectis. « Atque » his, inquit, aliisque similibus machinandis hoc sequuntur, » uti nos a recta sanaque de Diis opinione dimotos ad sese » traducant. Nam cum istis omnibus, in quibus nihil cohæ» rentis et consentanei sit, præcipue delectentur, tum vero » quasi aliorum Deorum induti personam, vecordia fruun» tur nostra, hocque veluti lenocinio multitudinem illiciunt, » dum hominum cupiditates inflammant, partim amoribus, » partim divitiarum, imperiorum, voluptatum appetentia, » partim denique æstu inanis gloriæ : unde seditiones, bella, » atque id genus cætera nasci solent. Quodque omnium » longe indignissimum est, gradum ex his porro faciunt, ac » similia facile de summis quoque Diis persuadent, usque » eo, ut Deum etiam optimum iisdem criminibus probris» que subjiciant : quo uno præsertim omnia sursum ac deor» sum acta confusaque esse aiunt. Enimvero non idiotas » modo, sed etiam Philosophorum non paucos hic morbus » invasit; atque ita quidem, ut sibi mutuo errandi occasio» nem præberent. Nam ut qui ex Philosophis sese minus » communi ab æstu subducerent, in eamdem cum imperita » multitudine sententiam opinionemque descendebant : sic » multitudo rursus, cum ex iis, qui sapientes habebantur, » cogitationibus suis consentaneas disputationes audiret, » haustum semel de Diis errorem magis in dies magisque » confirmabat. Si quidem Poësis ipsa quoque novis homi» num opiniones facibus accendebat, cum dictione ad ad-

»mirationem præstigiasque comparata, nec ad titillandos »modo permulcendosque sensus, verum etiam ad fidem re»rum, quæ verisimilitudinem prorsus omnem excluderent, »faciendam potentissima uteretur. Sed verum profecto erat, »hoc sibi constanter in animum inducere, nec a bono de»trimenti, nec a malo adjumenti quicquam proficisci posse; »Ut enim, quod ait Plato, nec frigefacere caloris est, sed »contrarii; nec frigoris calefacere, sed contrarii; sic ne»que nocere, justi esse potest : Deus autem certe natura »sua res omnes æquitate ac justitia superat, alioqui ne »Deus quidem esset. Quare vim istam, atque has nocendi »partes a benignis ac beneficis Dæmonibus removere om»nino decet. Quod enim ad nocendum tam a natura, quam »a voluntate comparatum sit, id cum benefico pugnare ne»cesse est : contrariis autem pugnantibusque rebus nulla »esse potest circa unum idemque consensio.» Et rursus. «In»festorum, *inquit*, Dæmonum artibus genus omne præsti»giarum efficitur : illosque propterea, illorumque Principem »malefici homines maxime venerantur. Quippe abundant »enim isti vanis fictisque rerum imaginibus, eoque ad con»cinnandas insolentibus machinis fallacias aptissimi sunt. »Horum igitur opera, amatorias illecebras nefarii Dæmo»nes moliuntur : a quibus scilicet cum impotentia volupta»tum, spesque divitiarum et gloriæ proficiscitur, tum in »primis doli fraudisque omnis artificium. Horum enim pro»prium mendacium est, cum et omnes Dii esse velint, et »Princeps eorum Virtus summi Numinis existimationem af»fectet. Illi enimvero sunt, qui et libationibus et nidore »carnium delectantur, quo utroque spirituum corporumque »genus saginatur. Vitam enim ut vaporibus exhalationi»busque sustentat, idque modo pro eorum diversitate di»verso, ita vires sanguinis carniumque nidore confirmat.» Sic igitur istos ingenue confitentes audivimus, præceptas

hominum de improbis Dæmonibus, perinde ac si Dii bonique forent, opiniones vehementius non a Græcis modo Poëtis accensas fuisse, verum etiam ab iis, qui Philosophiæ studia professi, æquiore ac propensiore erga Deos anima viderentur, ut pote qui non Diis ipsi quoque, sed improbis Dæmonibus colendis, præcipitem in errorem suum multitudinem egerint. Enimvero disertis verbis Porphyrius fatetur, illam cum ex iis, qui sapientes habebantur, cogitationibus suis consentaneas disputationes audiret, in sua de nefariis Dæmonibus sic tanquam de Diis opinione magis in dies magisque confirmatam esse. Atque hæc non auctoritate sane testimonioque nostrorum arguuntur, sed ipsorum, qui res suas penitus, ac longe quam nos certius enucleatiusque perviderant. Siquidem ille ipse Scriptor, qui non perfunctorie ac leviter fuerat in ea, quæ vulgus latebat, superstitione versatus, improbos Dæmones asserit Deos esse velle, bonorumque apud homines existimationem expetere; ac Virtutem eorum Principem summi Numinis famam et nomen ambire.

Quænam porro sit Virtus illa Princeps, idem ipse declarat, improborum Dæmonum Principes Serapin atque Hecaten esse dicens, cum Beelzebut iis omnibus præesse Scriptura divina testetur. Audi vero præterea, quemadmodum hac de re in suis de hausta ex Oraculis Philosophia libris disserat.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

De improbis Dæmonibus, et quinam sint eorum principes : quodque omnium animalium specie homines aggrediantur.

« Improbos Dæmones, *inquit,* Sarapi subditos esse haud » temere suspicamur : quippe hanc ad opinionem non ejus » tantum symbolis et insignibus adducti, sed etiam quod » quæcumque vim eos vel conciliandi habent vel averrun- » candi, ad Plutonem omnia referuntur, quemadmodum li- » bro primo ostendimus. Atqui idem prorsus qui Pluto Deus » iste est, eoque maxime Dæmonibus imperat, certaque » symbola tribuit, quibus averti depellique possint. Ac suis » quidem supplicibus aperuit, quo pacto animantium illi for- » mam ac speciem mentiti homines convenirent : quo fac- » tum ut ab Ægyptiis ac Phœnicibus, et universe ab omni- » bus religionum peritis, et lora in Templis disrumpi, et » animantes ad pavimentum, antequam Deorum sacris ope- » rentur, allidi soleant : itaque Dæmones a Sacerdotibus » partim spiritu, partim animalium sanguine, partim aëris » ipsius percussione abiguntur, ut iis ejectis præsens Deus » interesse velit. Plenæ siquidem eorum sunt ædes universæ, » quas ante propterea ipsis ejiciendis expiant, quoties Diis » supplicaturi sunt. Quinetiam eorumdem plena sunt cor- » pora, quod certo quodam ciborum genere præcipue de- » lectentur. Itaque accumbentibus nobis non accedunt ipsi » modo, sed etiam nostrum ad corpus adhærescunt; quæ » causa est, quamobrem lustrationes adhiberi consueverint, » non utique propter Deos potissimum, sed potius ut Dæ-

» mones recedere atque alio migrare cogantur. Cæterum » sanguine præsertim sordibusque capiuntur, quibus ut frui » liceat, in eorum, qui rebus istis utuntur, sese corpus in- » sinuant. Nullus enim omnino motus existit cupiditatis ve- » hementior, nullus in Spiritu appetitionis impetus, qui » aliunde quam ex eorum præsentia incitetur. Itaque homi- » nes ab iis in obscuros aliquando sonos flatusque coguntur » incidere, quod eadem ipsi quoque delectatione perfruan- » tur. Ubi enim abundat spiritus, sive quod eo venter ob » acriorem delectationis sensum impleatur, sive quod ardor » ipse atque æstus propter voluptatis vehementiam efflet si- » mul interiorem, simulque exteriorem densius copiosiusque » ducat; ibi continuo spiritus illos præsentes esse judicare » certo possis. Atque hactenus humanæ naturæ laqueos in se » necti solitos investigare fas est : tum enim vel maxime au- » geri spiritus ipse consuevit, cum in Deum curiosius ac » proprius inquiritur. » Hæc ille de improbis Dæmonibus, quorum Principem Sarapin esse ait; sic tamen ut iisdem Hecaten etiam imperare doceat, hunc in modum. « Num » forte, *inquit*, Dæmones ii sunt, in quos Sarapis obtinet » principatum, quorum propterea symbolum sit triceps ille » canis, hoc est improbus Dæmon, qui tribus in Elementis, » Aqua, Terra, et Aëre versatur? Quos utique Deus ille, » cujus in potestate sunt, sistit et cohibet. Cæterum iisdem » etiam imperat Hecate, cujus videlicet numine triplex » istud Elementum continetur. » Ac rursus. « Institutæ, in- » quit, de Hecate disputationi finem imponam, si modo » unum hoc præterea ejusdem responsum addidero.

» Illa ego cœlestis varia sub imagine virgo,
» Taurina, atque triceps, immitis, et aurea vibrans
» Spicula, natorumque expers Diana, simulque
» Fax Lucina hominum; cujus tria symbola, mundi
» Terna elementa notant : ardentibus æthera formis

» Exhibeo : passim candentibus aëra bigis
» Insideo : terrasque regit tenebrosa meorum
» Turba canum. »

Hos autem canes improbos illos esse Dæmones idem auctor manifeste declarat, « de quibus, *inquit*, dicere paulo » ante desiimus. » Nos autem hic etiam gradu fixo, pluribus age deinceps, quotquot a plerisque omnibus Deorum loco et nomine colebantur, nefarios vere Dæmones, ac nullius plane boni auctores esse confirmemus.

LIBER QUINTUS.

CAPUT PRIMUM.

Iterum probatur, multorum populorum vaticinia, et oracula, improborum Dæmonum propria fuisse: quæ omnia post Evangelicam Servatoris nostri doctrinam sublata defecerint.

Quamquam ea, quæ adhuc a nobis disputata sunt, non jam aut Deorum aut bonorum in Dæmonum loco habendos illos esse omnes satis superque conficiunt, qui a Gentilibus per urbes passim atque pagos tanquam Dii colebantur: juvat tamen ultro plurimum insuper argumentorum vim ac pondus adjungere, quibus susceptæ quæstionis ea magis magisque demonstratio confirmetur, quæ Servatoris nostri Evangelicæ doctrinæ beneficio allatam hominum generi a superioribus malis liberationem in omnium oculis constituat. Audi ergo deinceps, quemadmodum scriptores ipsi Græci, oracula sua ex omni memoria tum denique primum defecisse fateantur, cum salutaris hæc et evangelica unius Dei ac servatoris nostri doctrina, ac summi Numinis ejusdemque rerum universarum Domini pariter ac molitoris cognitio, hominum animis cœpit solis instar illucescere. Et quidem, statim post ejus adventum et dæmonum interitus celebratos esse, et egregia illa totque pridem jactata sæculis oracula conticuisse, jamjam ostendemus. Sed quoniam

demonstratum jam a nobis est, post Evangelicæ doctrinæ propagationem, tum demum nefariam illam et omni crudelitate teterrimam, quæ apud omnes olim populos gentesque regnabat, immolandorum hominum consuetudinem penitus abrogatam esse; abs re non fuerit, quemadmodum ab illo tempore, non Diabolicæ modo superstitionis ritus, sed etiam distracti quondam ac multiplices Gentium Principatus extincti sublatique sint, hoc loco subjungere. Nam in oppidis antea pagisque fere singulis Reges, Tyranni, Toparchæ ac Dynastæ, adeoque Gentium varii ac distincti dominatus vulgo cernebantur, quorum ambitione cum homines mutuis sese bellis perpetuisque vexarent, tum regiones etiam urbesque diriperent, atque assidue vicinos circum populos in servitutem abducerent, familiarium utique et intestinorum Dæmonum stimulis in ejusmodi pugnas et dimicationes concitati. Quæ cum ita se haberent, cujusmodi tandem malorum et confertarum calamitatum perturbatione hominum vita jactaretur, æstimandum tibi ac statuendum relinquo. Eadem vero, cum post nostri demum Servatoris adventum cum illo multiplicium Deorum errore uno velut agmine profligata fuerint, quis non jure magnum hoc vere salutaris et Evangelicæ demonstrationis mysterium summa cum admiratione suspiciat, per quam et tantam orbe passim universo per urbes, atque pagos, imo Barbarorum etiam ac Gentium solitudines oratoriorum ac templorum præpotenti rerum omnium Regi, Architecto, solique Deo dicatorum multitudinem videamus: et librorum, lectionum, doctrinarum, quibus perfectæ cumulatæque virtutis, morumque ad veram pietatem ac religionem conformandorum accommodata non modo viris, sed etiam mulieribus ac pueris præcepta tradantur, infinitam omnis generis copiam habeamus? Adde emortua penitus Dæmonum oracula et vaticinia conticuisse: adde, ex quo divina hæc et

Evangelica Assertoris nostri virtus radiis suis hominum genus omne lucis instar illustravit, eo jam usque amplius furere neminem, ut carissimi cujusque sanguine, hominumque jugulatorum sacrificiis, illos cædis et cruoris avidos, et infestissimos humano generi Dæmones placare conetur: qui tamen ritus omnium olim Sapientium atque Regum, quos Dæmonis utique furor agebat, animos occuparat. Et vero pessimorum Dæmonum, ex quo hominum societatem Servator noster inierit, vim ac potestatem amplius nullam esse, vel ipsemet Porphyrius, magnus ætatis nostræ Dæmonum patronus, in eo, quod adversus nos conscripsit, volumine his verbis testatum reliquit. « Et nunc mirum, *inquit*, ulli » videatur, civitatem hoc morbo tot jam annos conflictari, » cum Æsculapius cæterique Dii hominum sese consuetudini » consortioque subduxerint? Ex quo enim Jesus coli cœptus » est, communem ac publicam Deorum opem nemo sensit. » Hæc ille verbis totidem. Si ergo vel istius confessione, nihil, ex quo Jesum colere cœperunt, communis ac publicæ Deorum opis quisquam expertus est, Æsculapio simul ac reliqua numinum turba ex hominum societate summota: unde tandem vana de illis tanquam de Diis aut Heroibus subrepsit opinio? Quidni enim potius Æsculapii cæterorumque vis Deorum, Jesu potestatem ac numen evertit? Enimvero, si homo ille tantum est, ut ipsi garriunt, morti obnoxius (impostorem forte ac circulatorem etiam addiderint); hi contra Servatores ac Dii; qui fieri potuit, uti fugam simul omnes cum Æsculapio capesserent, mortalique homini, quique nullus, ut blaterant, omnino jam sit, non terga darent ipsi modo, sed etiam humanum genus quasi vinctum deinceps constrictumque traderent universum? At vero Jesus ille noster, hoc ipso sane, quod etiam post obitum inter omnes populos nominis sui cultum quotidie propagare pergit, clarissimum vereque divinum iis, qui modo

intueri possunt, vitæ post mortem suæ objicit argumentum. Ille igitur, unus ipse cum sit, atque ut suspicari quis forte queat, plane solus, immensam illam tot Deorum toto quondam orbe dominantium multitudinem exterminat, eaque potestate ipsorum honorem et cultum contemptui ludibrioque subjicit, ut nec ulli amplius Dii sint, nec virium quidquam habeant, nec uspiam vel leviter appareant, nec in civitatum conventus, ut olim sese amplius inferant, utpote qui non Dii, sed mali Dæmones essent : contra vero Christi unius duntaxat, ejusque a quo missus est, Dei rerum omnium præpotentis veneratio magis in dies ac magis augeatur, novaque cum accessione dignitatis, radices in populorum omnium mentibus agat altiores. Oportebat utique Deos illos potius, si qui rerum humanarum vere curam haberent, nascentem illius errorem, si quis existebat, funditus extirpare, opis vero auxiliique sui liberalem ac prolixam omnibus copiam facere. Atqui id conati quidem sæpissime illi sunt, cum varios variis temporibus imperatores ad Servatoris nostri doctrinam viribus omnibus oppugnandam inflammarent. Sed inani plane irritoque conatu, quod divinum illud assertoris nostri Numen illustrem semper ex omnibus victoriam reportarit, cunctosque pessimorum Dæmonum adversus doctrinam suam impetus dissiparit, imo Dæmones etiam ipsos, qui vere improbi Dæmones cum essent, falso tamen pro Diis bonisque Dæmonibus habebantur, expulerit.

CAPUT SECUNDUM.

Quænam Dæmonum imposturæ ratio fuerit.

Enimvero cum circa graviorem hunc, qui a terra proxime abest, et caliginosum aërem, utpote omnino terreni volutarentur, atque ad tenebricosum hoc et terrestre domicilium, ob eas, quæ paulo post a nobis afferentur, causas damnati essent; adeoque ad tumulos, busta, ac reliquam id genus funestam impuramque materiam adhærescerent, et sanguine ac sanie, omnisque generis animantium corporibus, nec non rerum odoratarum suffitu ac vapore delectarentur; simulque eorum principes, sive aërias quasdam, sive terrenas Potestates vocare malis, cum genus humanum indignissima hominum mortuorum consecratione occupatum, sacrificiis ac nidore carnium, quibus isti rebus tantopere delectantur, omni studio vacare animadverterent: illico præsto adesse, fovendo errori operam navare suam, hominum malis incumbendo, ac stolidos facilesque animos nescio quibus simulacrorum, quæ veteres in defunctorum honorem consecrarant, motibus in fraudem inducendo. Quibus et oraculorum speciem, et curationum inanem fucum addebant, cum illa ipsa corpora, quæ occulta vi male torquebant, iidem remotis maleficiis omni postmodum vexatione liberarent. Atque hæc sunt, quibus homines adeo præcipites agebant, ut eos modo cœlestes quasdam esse Virtutes, modo vera Numina, interdum etiam heroum illorum animos putarent: quos Deorum in loco numeroque posuissent. Nam ita demum plerisque sane paulo honestior et

illustrior erroris hujus, Deorum multitudinem invehentis, species fore videbatur, cum a rebus istis, quæ sub aspectum cadunt, ad ignotam et obscuram eorum, qui in simulacris delitescebant, naturam cogitatio traduceretur, sicque novum superstitioni robur adjungeret. Hac via terreni Dæmones, quique hunc aërem insidebant mundi principes, ac spiritalia nequitiæ, quique cæteris ad improbitatem ac malitiam omnem præibant, summorum sibi numinum opinionem apud omnes compararunt. Quo factum, ut hominum sensu pridem vitaque carentium memoria prolixioribus officiis coleretur, cum eorum et corporis speciem imaginum per urbes consecratarum figuræ repræsentare viderentur, et animos ac divinas incorporeasque virtutes multa præstigiarum vi pessimi Dæmones mentirentur. Adde porro, qui eorum sese religionibus sacrisque devoverant, novam in dies atque ampliorem vanæ superstitionis pompæ speciem addidisse, ac veteratoriis maleficisque artibus fucum passim hominibus fraudemque fecisse. Quas etiam ad res cultoribus clientibusque suis facem improbi Dæmones præferebant, quos utique fascinationis illius, quæ malorum omnium caput fuit, quæque humanum genus pervasit universum, artifices extitisse superiori disputatione ostendimus.

CAPUT TERTIUM.

Varias ac multiplices Græcorum adversus Deos superstitionis sectas fuisse.

Ergo tam scelerati isti ac terrarum accolæ Dæmones, quam vel aërii vel terreni Spiritus, quos mundi rectores, ac

Spiritales nequitiæ Principatus atque Potestates divinæ litteræ nuncupant, cum modo bonorum Geniorum personam vultumque simularent, modo Cœlestium etiam Deorum, aut Heroum speciem ac formam induerent, adeoque rebus ipsis nequitiæ suæ specimen palam ipsi nonnunquam atque aperte ostenderent: nihil profecto mirum, si multiplex hominum sese animis altius in dies error insereret: cum eos alii Deos, Heroas seu Dæmonas alii, Deos vero nequaquam esse faterentur, ac Dæmonum ipsorum alios bonos specioso nomine, alios contra pessime appellarent, sic tamen ut nefarios etiam illos, ad amoliendam eorum vexationem, conciliari placarique vellent. Itaque fictam illam Numinum molitionem plures in classes divisam ac sectam habuere. Prima siderum illorum est, quæ cernuntur in cœlo, quos etiam principes omnium Θεοῦς, Deos, partim a verbo θεέιν, hoc est currere, partim ab altero θεωρεῖν, quod est ea, quæ sub aspectum cadunt, contemplari, cujus contemplationis auctores ii sint, nominatos esse dictitant. Ad secundam pertinent, qui suis, ut quidem aiunt, in humanum genus meritis id sunt honoris consequuti, quos humano sanguine satos fatentur ipsi quoque, dum suos illos Heroas, uti vocant, Herculem, Tyndaridas, Bacchum, et reliquos id genus producunt, Barbarorum ore cultuque celebratos. Quorum ex grege sepositis ac seclusis iis, quæ majore de illis cum infamia probroque ferebantur, tertium nobis divinitatis genus invexere, quod fabulosum ipsi nuncuparunt. Idem tamen, quod nimium sibi pudoris afferret, verum licet ac vetustissimum, ad rerum naturalium rationes, ut loquuntur, allegoriis morum doctrinæ conjunctioribus, et artibus philosophandi novis traducere sunt ac detorquere conati. Quanquam ne hoc quidem erroris in gradu sistere potuerunt. Jam enim ad proprias etiam cupiditates venerandum illud, omnique dignum honore Dei nomen abjece-

runt : quarta insuper Divinitatis conficta specie , quam ne confutatione quidem dignam existimo, quod suam ipsamet turpitudinem præ se ferre, atque omnium in oculis defigere videatur. Quippe, flagitiosis illi suis profligatisque libidinibus, Amoris nescio cujus, Veneris, et Cupidinis quasi Deorum quorumdam nomen indidere. Ac vim dicendi quidem, Mercurium, disserendi vero, Minervam appellarunt, simulque suam ejusmodi quoque rebus theologiæ rationem assignantes, quintum ex iis, quæ hominum in vitam incurrere solent, genus conflaverunt. Res enim non modo bellicas, sed etiam communium ac vulgarium artium proprias Diis quibusdam attribuunt, Marti quidem illas ac Minervæ, Vulcano autem atque aliis quibusdam cæteras. Quibus omnibus sextum illi septimumque genus addiderunt, quod totum Dæmonum est, varium profecto ac multiplex, atque ejusmodi, quod cum modo Numinum, modo Manium speciem induat, tum vero nihil ad virtutem animi conferat, sed potius homini superstitione semel obligato nunquam non illudat, et continuis eum dolis ac fraudibus in præceps agat. Idem porro, licet omni ex parte sceleratum, duas in species, perniciosorum alteram, alteram benigniorum divisere; ac prioribus malorum, bonorum vero posterioribus nomen indidere. Quæ cum ejusmodi sint, id mihi nunc agendum video, ut prætermissis iis, quæ sua sponte concidunt, institutam de vi artibusque Dæmonum disputationem persequar, quamque libro superiore jam affeci, hoc denique pertexam. Age itaque, atque ad certas (quod unum superest) vanitatis hujus coarguendæ rationes veniamus. Mihi vero, Plutarchi ante cæteros auctoritatem urgere visum est, ex eo, quem de exhausta oraculorum vi scripsit, libello repetitam. Ubi quidquid usquam vaticiniorum apud Gentes atque oraculorum fuit, improbis Dæmonibus assignat, in eum, qui sequitur, modum.

CAPUT QUARTUM.

Quidquid vaticiniorum atque oraculorum apud gentes fuit, improborum Dæmonum opus fuisse.

« Equidem [1] eorum quoque probandam, *inquit*, oratio»nem existimo, qui philosophorum nationem a Platone, »quod elementum illud, quam Materiam ipsi vocant, qua»litatum earum, quæ subinde generantur receptaculum in»venisset, plurimis iisque maximis difficultatibus liberatam »esse dixerunt. Cæterum plures adhuc easdemque graviores »ab iis mihi solutas esse persuadeo, qui Dæmonum genus »Deos inter atque homines medium posuerunt, eorumque »vi societatem communionemque nostram uno quasi vin»culo contineri et colligari voluerunt : sive Zoroastris Magi »hæc primum sententia fuerit, sive ex Thracia Orpheo »duce, sive ex Ægypto aut e Phrygia ad nos usque perma»narit. Quam ipsius originem verisimilem efficit, ea quam »regionis utriusque sacris admixtam videmus, solemnium »rituum ac ceremoniarum, funera luctusque simulantium »multitudo. Jam apud Græcos Homerus utroque nomine »promiscue abusus videtur, Deosque nonnunquam ipsos »Dæmones appellavit. At Hesiodus(3) omnium sane princeps »enucleate ac distincte quatuor eorum, quæ ratione præ»dita sunt, genera posuit, Deos, tum Dæmones, Heroas »deinde, ad extremum homines : ex quibus suam illam pos»tea mutationem excogitavit, ut aureum quidem genus plu»res in Dæmones eosque bonos, semidei vero in Heroas

[1] Plutarch., de Oracul. defectu.

» distracti ac veluti secreti fuerint. » Quibus ita subjungit. « Qamquam nihil est, *inquit*, quamobrem hac in parte » cum Demetrio contendamus. Nam sive aliquanto lon- » gius, sive brevius sit temporis intervallum, sive consti- » tutum idem ac certum, sive etiam incertum habea- » tur, quo Dæmonis animus, Heroisque vita mutationem is- » tam subeant; nihilo secius, quod unum ipse vult, gra- » vium atque antiquorum testium auctoritate conficiet, na- » turas quasdam esse Deos inter hominesque medias, quæ » mortales interdum affectiones, ac necessarias mutationes » patiantur, quos profecto Dæmones more institutoque ma- » jorum existimare a nobis, eoque nomine coli æquum om- » nino fuerit. » Tum quibusdam interjectis. « Ego vero sentire » mihi non-sine ratione videor, responsis et araculis non » jam Deos præesse, quos ab omni terrena communione » secretos esse oporteat, sed Dæmones tantum Deorum ad- » ministros. Huic autem Dæmonum generi, sumpta quasi » ex Empedoclis carminibus **** scelera, calamitates, er- » roresque divinitus immissos attribuere, postremo eorum » etiam quasi hominum interitus describere, id vero nimiæ » temeritatis ac barbariæ futurum putem. » Quibus præterea, quæ sequuntur, attexit. « Sunt enimvero ut homines inter, » sic ipsos inter Dæmones virtutis cupiditatisque discrimina. » In aliis enim tenues solum obscuræque reliquiæ tanquam » superfluum quiddam resident, in aliis autem vis longe » major superest eademque vegetior. Cujus utriusque vesti- » gia notasque nonnullas passim sacrificiis, ritibus, fabulis- » que sparsis inustas etiamnum atque expressas videmus. » Ac mystica quidem quod attinet, ex quibus illustres ad- » modum ac veritati proximas naturæ Dæmonum significa- » tiones et argumenta sumere liceat, linguis favendum, ut » Herodotus loquitur. At vero ferias et sacrificia, non secus » ac nefastos atrosque dies, qui crudarum carnium esu,

» membrorum convulsionibus, jejuniis et planctu, adeoque » turpibus plerisque in locis carminibus, ac cæteris id genus » intemperiis cum cervicis jactatione ac tumultu conjunctis » celebrari solent, nulli plane Deo, sed Dæmonum alicui, » averruncandæ calamitatis, et vetustissimæ homines im- » molandi consuetudinis mitigandæ ac molliendæ gratia, » postmodum instituta esse dixerim. Nam ista quidem nec a » Diis expeti nec probari simillimum veri est : nec eadem » ipsi quoque reges imperatoresque facile adeo suscepissent, » uti liberos ipsi suos vel mactandos aliis traderent, vel suis » interdum manibus aris admotos jugularent : sed nimirum » deprecandæ amoliendæque improborum ac dirorum exac- » torum iracundiæ causa, furiosis exitialium Dæmonum, » qui corporum amplexu, vel intermediis etiam corporibus, » frui neque vellent, neque possent, amoribus hoc modo le- » nocinabantur. Et quemadmodum Œchaliam Hercules vir- » ginis amore commotus obsedit, ita sævi plerumque ac tru- » culenti Dæmones, humanæ animæ corporeis adhuc vin- » culis impeditæ consortium expetentes, pestilentiam, » annonæque penuriam civitatibus immittunt, easque bellis » ac seditionibus infestas habent, donec optatis amoribus » potiantur. » His plane verbis laudatus philosophus comme- moratos sacrificiorum ritus, per omnes ubique civitates Dæmonibus attributos addictosque fuisse comprobavit. Si qui vero inter istos Dii censebantur, ut aiunt, natura boni, scelestos colere quid attinebat, cum utique a bonis arceri eos expellique oporteret? Nam si quos præsides ipsi bonos ac tutelares habuissent, causæ profecto nihil erat, quam- obrem eorum numine præsidioque freti deteriores alios vel nauci facerent, aut vero castis precibusque atque votis in- festas noxiasque Virtutes, non jam obscenis flagitiosisque carminibus averterent. Jam vero cum istorum nihil prorsus agerent, sed vitæ turpitudine ac petulantia, verborum obs-

cenitate, crudarum carnium esu, discerpendis mactandisque hominibus, sceleratos Dæmones placarent; qui fieri poterat, ut qui ejusmodi rebus sceleratorum gratiam aucupari conarentur, iidem cum ipso quoque rerum omnium præpotente Deo, aut quæ nusquam ab ejus nutu discedunt virtutibus, aut omnino cum bonis ullis societatem inirent? Quippe, constat enim apud omnes, qui in eo rerum genere, quæ improbis placeant, operam studiumque ponat, eumdem bonis amicum esse nullo modo posse. Maneat igitur, non Diis olim bonisve Dæmonibus, sed improbis duntaxat populos istos cultum honoremque tribuisse. Atque id ipsum Plutarchus certius etiam graviusque confirmat, dum fictas illas non secus ac de Diis narrationes, aliud nihil quam puros putos de ipsismet Dæmonibus sermones esse testatur, adeoque hujus plane generis esse, quidquid de Gigantibus, sive Titanibus Græcorum ore scriptisque jactatur: quibus in omnibus secuti nihil isti fuerint, præter aliquam sensuum cogitationumque novitatem. Quid si autem ad ea pertinent, quæ de Gigantibus eorumque parentibus ante diluvium sacræ litteræ hunc in modum commemorant? « Videntes autem filii Dei filias hominum, quod essent pul» chræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus, quas elegerant: » ex quibus nati sunt Gigantes viri famosi a sæculo [1]. » Facile enim quis dixerit, illos ipsos profanorum hominum Gigantas esse, quorum animos posteri Deorum in numerum classemque retulerint; adeoque mutuas istorum pugnas dimicationes et bella fabulis iis adumbrata esse, quas tanquam de Diis circumferunt. At Plutarchum, in eo, quem de Iside ac cæteris Ægyptiorum Diis scripsit, libello, ipsissimis verbis loquentem audiamus.

[1] Genes., VI, 2.

CAPUT QUINTUM.

Latentes Dæmonum historias fabulosis non secus ac de Diis narrationibus contineri.

« Rectius, *inquit*[1], existimant, qui quæ vulgatis de Typhone, Osiride, et Iside historiis celebrantur, ea non » Deum aut hominum, sed magnorum Dæmonum affectio» nes et casus fuisse volunt, quos ipsi quoque Plato, Py» thagoras, Xenocrates, et Chrysippus veteres secuti theo» logos, hominibus longe valentiores fuisse, multisque par» tibus naturæ nostræ vires superasse testantur. Cæterum » genus quoddam iis divinitatis attribuunt, non sincerum » illud, et ab omni mixtione secretum, sed ex animæ na» tura corporisque sensu voluptatem pariter laboremque » subeunte temperatum : ex quo fiat, ut quidquid alterna » utriusque vicissitudine perturbationis excitatur, id alios » quidem vehementius, levius autem alios efficere consueve» rit. Siquidem ut in hominibus, sic etiam in Dæmonibus » sua sunt virtutis improbitatisque discrimina. Nihil enim » admodum, quæ a Græcis de Gigantibus ac Titanibus jam » olim decantata sunt, nec non pleræque res nefarie gestæ, » Pythonis item cum Apolline dimicationes, Bacchi exilia, » erroresque Cereris, ab iis rebus differunt, quæ de Osiride » ac Typhone passim apud omnes fingi impudenter jactari» que audiuntur : quæcumque præterea mysticis quibusdam » sacris ac religionibus involuta, ritibusque quos nec fari » liceat nec aspicere, inclusa retinentur, non absimiles, si

[1] Plutarch., de Isid. et Osirid.

» ad Deos retuleris, habent explicatus. » Quibus ita subdit. « Quinetiam Empedocles ipsos quoque Dæmones scelerum » flagitiorumque suorum pœnas dare pronuntiat his ver- » sibus :

» Namque ipsos Æther Pelagi detrudit in undas,
» Expuit in Terram Pelagus, Terra objicit igni
» Solis inexhausti, rapidis Sol Ætheris infert
» Turbinibus; quosque accipiunt elementa vicissim,
» Cuncta simul pariterque horrent;

» Donec videlicet justis affecti exercitique suppliciis, con- » venientem naturæ locum ordinemque recipiant. Quibus » affinia plane ac gemina de Typhone commemorant; quip- » pe, hominem invidia malevolentiaque succensum infanda » perpetrasse, magnaque rerum omnium excitata perturba- » tione terram ipsam mareque passim universum exitiis im- » plevisse, ad extremum vero pœnas luisse. » Hæc Plutarchus laudato a nobis opere fusius executus, similia porro, in altero, quod de exhausta oraculorum vi edidit, in hæc verba disputat. « Atque is, cum divinationis artem, *inquit*[1], » Dæmonibus tribuebat, tum Delphicum inprimis oracu- » lum celebrabat : adeoque nihil non vel eorum, quæ apud » nos de Baccho circumferuntur, vel quæ fieri solent sacri- » ficiorum inaudierat. Idem ista quoque, magnas Dæmo- » num fuisse calamitates asserebat, imo nec illa tantum, sed » etiam quæcumque de Pythone traduntur. Itaque nec illum, » a quo interfectus is fuerit, aut totos novem annos, aut » apud Tempe unquam exulasse : verum quod ex nostro » ejectus esset, alterum in orbem commigrasse, unde post » novem magni anni conversiones expiatus, vereque ac re » ipsa Phœbus, hoc est purus sincerusque redierit, atque » oraculum, quod eatenus custoditum abs Themide fuerat,

[1] Plutarch., de Oracul. defectu.

» denuo receperit. Neque absimilem eorum, quæ de Ty- » phone Titanibusque jactantur, esse rationem : quippe, has » Dæmonum inter sese pugnas et contentiones extitisse, » quas partim eorum, qui victi fuerant, exilia, partim iis, » qui sese aliquo scelere obstrinxissent, irrogatæ a Deo pœnæ » consecutæ essent : cujusmodi utique vel Typhonis adver- » sus Osiridem, vel Saturni erga Cœlum maleficia fuerint, » quorum ideo non nisi obscurissima, vel nulla potius apud » nos religionum cultusque vestigia supersint, quod ipsi alium » in orbem aufugissent. Etenim Solymos audio Lyciorum vi- » cinos, Saturno, si qui alii, honores olim tribuisse maxi- » mos, qui tamen postquam Arsalo, Aryto, ac Tosibe illo- » rum ducibus interfectis, quocumque tandem gentium » (neque enim exploratum ipsi locum habent), fugam arri- » puisset, neglectus ab iisdem fuerit : Arsalus autem alii- » que duo Scirorum Deorum nomen acceperint, quorum » etiam per nomina tam privatim Lycii quam publice solem- » nes ac statas imprecationes concipiant. Atque alia poëta- » tarum ex fabulis id genus auferre pleraque liceat. Jam vero » quod solemnibus ac propriis Deorum nominibus quidam a » nobis Dæmones appellentur, non est (inquiebat peregri- » nus ille), quamobrem mirum id videri debeat. Nam quo » quisque Deo, vel ordinis atque loci, vel potestatis socie- » tate conjunctus est, ejus etiam nomen sortiri amat : » quemadmodum ex nobis alium Jovium, alium Miner- » vium, alium vero Apollinium aut Bacchium, aut Mer- » curialem appellari videmus. Ac nonnulli quidem vere ac » merito id nominis casu quodam habuere, plerisque tamen » alienum prorsus, minimeque aptum et cohærens Dei co- » gnomentum adhæsit. » Hæc Plutarchus, in iis ipsis, quæ de exhausta oraculorum vi, magno studio diligentiaque conscripsit, ipsos etiam Dæmones, præter alia, morti subjiciens, id quod a nobis suo quoque tempore proferetur.

Interea vero, quidquid præterea de bonorum (ut ipse vocat) Dæmonum viribus ac facultate tradit Porphyrius, concinnati adversus nostros operis artifex, in iis, quæ de prompta ex oraculis philosophia memoriæ prodidit, congeramus. Illam enim potissimum, uti jam sæpius, ita nunc quoque testem producere, ejusque verbis vulgatum de iis, quos isti pro Diis habent, errorem coarguere statui, ut suis ipsi telis sagittisque confixi erubescant. Ex quo sane id assequemur, ut suscepti argumenti demonstratio ex eorum deprompta sensu, qui Diis cari ac religiosi putabantur, quique solerter et accurate doctrinæ suæ rationes explorarunt, omni ex parte perfecta sit, atque ejusmodi quam nec refellere ipsi, nec defugere aut deprecari possint. Et eo quidem loco Porphyrius omnes obtestatur, ne Deorum arcana prodere, quæque dicturus est, passim atque in vulgus efferre velint, sed potius, ut ea diligenter occultent, interposito etiam jurejurando adigit. Cujusmodi ergo illa sunt? Pana videlicet Bacchi servum fuisse narrat, qui cum ex bonis Dæmonibus unus esset, videndum aliquando sese agricolis quibusdam præbuerit. Quid expectandum aliud a bono fuit, nisi ut quos bonus ille Deus conspectu suo dignaretur, in eos continuo boni aliquid redundaret? Utrum igitur boni Dæmonis spectatoribus boni quidpiam evenit; an potius in malum se Dæmonem incidisse periculo ipsi suo didicerunt? Tradit nimirum testis egregius, quotquot ille felici lætoque spectaculo dignos habuisset, eos ad unum omnes repentino interitu periisse.

CAPUT SEXTUM.

Mortem illos ipsos consciscere, qui boni ab iis Dæmones appellentur.

« Atque ipsi quidem, *inquit ille*, alio rerum in genere »nonnullorum famuli constituti sunt, veluti Pan, quem »Bacchi servum fuisse his versibus in Branchidis Apollo pro-»nuntiat. Nam cum novem simili morte sublatos reperis-»sent, deque rei causa ejusdem agri incolæ oraculum con-»suluissent, hunc in modum Apollo respondit,

»Pan torvi Bacchi famulus, cui cornua fronte
»Aurea consurgunt, densis dum montibus errat,
»Et virgam dextra quatiens, blandosque sinistra
»Et molles inflans calamos, Nymphasque, virosque
»Cædendæ sylvæ intentos modulamine mulcet.
»Attonitis stetit ecce animis, improvida passim
»Præcipitis fera membra Dei dum turba videret.
»Continuoque omnes simul aspera Parca tulisset,
»Ni sævam irato bilem sub pectore versans
»Jamdudum, agrestis rapidum Diana furorem
»Sisteret. Hanc votis igitur placare memento,
»Ut rebus tibi præsidium sponte addat in arctis.»

Audiisti cujusmodi corporis habitum, quasve actiones bono, uti vocat, Dæmoni Apollo in Branchidis attribuat? Vide sis porro res a cæteris præclare ac magnifice gestas, quas illi dum sequerentur, cœlestem ultro cum humana societatem commutarunt. Eos profecto modestiæ ac temperantiæ prin-

cipes ac magistros, utiliumque rerum auctores humano generi esse oportebat, quarum tamen ne vestigium quidem ullum ostenderunt. Ac mihi quidem curiosum illum exploratorem audi, qui abditissima quæque arcana rimatus, eorum etiam intelligentia donatum se esse gloriatur. Nimirum ex optimis Dæmonibus alios in libidinem proclives et effusos inducit, alios tympanorum ac tibiarum sonitu, et incondito muliercularum strepitu, pugnis alios bellisque gaudentes, uti Dianam venationi, ac Cererem terræ frugibus addictam, Isin autem Osiridis casum et interitum hucusque deplorantem, Apollinemque vaticinantem. En tibi opportunitates in hominum vitam a bonis istorum Dæmonibus profectæ. Quorum tu omnium certam exploratamque fidem accipe.

CAPUT SEPTIMUM.

Quam amatoriis voluptatibus Dæmones obnoxii sint, et quibus quisque delectetur.

«Nil Divos inter vacuum terroribus esse,
» Nil non divinis perfectum vatibus usquam
» Sacra Hecate cecinit : sed magna ex mente supremi
» Lapsa Patris, vero semper circumdata fulget.
» Hanc circum meliore manet sapientia vultu,
» Cui fixos immota tenent oracula gressus.
» Nec te ergo me vinclis : tanto tibi numine Diva
» Ducitur, ut valeat superos animare penates. »

Ac vide sis, num id forte in causa fuerit, quamobrem tres animæ veluti formæ partesque statuerentur. Et quidem cum ea vim unam habeat, qua irascitur, tum alteram sortita

præterea est, qua concupiscat, cujus etiam illecebris ad res amatorias excitetur. Atque hæc, mea profecto non est, ne tu id suspicere, sed ejus, quem laudavi, scriptoris oratio, cujus item ea sunt, quæ sequuntur. « Me quidem tum vehe- » menter, *inquit*, angi sentio, ubi mecum ipse reputo, qui » fieri possit, ut quorum veluti augustiorum ac diviniorum » opem imploremus, ii tamen quasi humiliores ac deterio- » res obediant; quique clientes ipsi suos æquitatem colere » velint, eosdem injustis imperiis obsequi non pudeat : adeo- » que cum eorum vota precesque repudient, qui ad sese mi- » nus abs re venerea puri accesserint, illos ipsos tamen, seu » verius obvios quosque, nefandam in venerem agere non » vereantur. » Eadem ille in quadam ad Anebonem Ægyptium epistola persequitur : iterumque citato de oraculorum philosophia volumine, deinceps ita pergit. « Et vero, quæ- » nam singulis, *inquit*, et cujusmodi provincia curaque man- » data sit, ab eorum quoque nonnullis vulgatum est, uti ab » Apolline Didymæo, his versibus (quærebatur autem ex eo, » essetne jusjurandum exigenti dandum) :

» Rhea beatorum mater reginaque Divum.
» Fœmineos cœtus, buxumque et vocalia tractat
» Tympana : bellorum fremitus pugnæque labores
» Pallas amat : rapidis canibus Latonia Virgo
» Præcipites sequitur per summa cacumina cervos.
» At resonans Juno molles e nubibus imbres
» Effundit : lætam segetem et flaventia curat
» Arva Ceres : pinguem evolvit qua Nilus arenam,
» Acta œstro conjunx formosum quærit Osirim. »

Si ergo tibiarum ac tympanorum sonitus, si ergo muliercularum turba Deorum Matri curæ est, his utique rebus abjecta virtutis omnis cogitatione vacandum erit, quod eadem nec temperantiæ, nec alterius cujusquam honestioris

studii curam ullam sollicitudinemque suspiciat. Minerva similiter in pugnis, contentionibus, bellisque tota est, pacem pacisque artes omnes repudiat. Curet etiam, per me licet, Diana Latonæ filia, veloces catulos, quod in agendis per agros canibus, belloque cum feris gerendo assidua sit. Suos denique singuli, prout eos iste persequitur, amores ac delicias habeant. Quid ista porro ad eam vitæ rationem conferant, quæ divino cum amore sit ac felicitate conjuncta? Vide autem præterea, utrum quæ deinceps ille subjungit, divinæ naturæ debeant, an potius vitiosissimæ ac flagitiosissimæ argumenta censeri.

CAPUT OCTAVUM.

Eos confiteri, maleficiis et cantionibus quibusdam, ad hominum voluntati obsequendum invitos licet ac repugnantes Deos adigi.

« Recte hoc quidem, *inquit*, uti cætera, Pythagoras ille » Rhodius statuebat, Deos, quibus evocantur, sacrificiis, » haud libenter, sed quadam sequendi necessitate pertrac- » tos, adeoque sæpius alios, alios rarius interesse. Ac non- » nullos quidem, quod usu quodam et consuetudine id fa- » ciant, clarius sese atque illustrius exhibere, præsertim si » natura boni fuerint : alios contra, tametsi frequenter in- » teresse soleant, ad perniciem inferendam proniores esse, » ubi quis potissimum negligentius in rem incumbere videa- » tur. Hanc enim Pythagoræ sententiam, ex ipsismet ora- » culis, veram esse postea comperi. Dii siquidem omnes sese » necessitate compulsos advenisse profitentur, non quidem

» necessitate simpliciter, sed quæ quodammodo Suadæ vim » ac facultatem consequatur. Ac superius quidem eorum » meminimus, quibus sese Hecate evocari solitam esse tes- » tatur :

» Aëriam lucem, et magni stellantia cœli
» Culmina, divinos linquo, sanctosque penates,
» Telluremque peto, quo me tua dicta vocarunt,
» Visque arcana precum traxit, queis Numina linguæ
» Mortali mulcere placet.

» Atque iterum :

» En adsum, tua vota gradu, vocesque secuta,
» Quas hominum ingenium divino numine prompsit.

» Ac rursus illustrius :

» Cujus inops rerum, volucri me ex æthere ductam
» Huc Hecaten versu Divos cogente vocasti ?

» Et deinceps :

» Ignotis alios summa compellis ab æthra
» Carminibus licet invitos succedere terris,
» At medios mediis vectos sub nubila ventis,
» Divino igne procul, veluti fatalia turbæ
» Somnia mortali pandens, indigna reponis
» Dæmonibus.

» Iterumque :

» Verum sidereæ sublimia numina sedis,
» Cum rapidis simul Harpyiis impulsa feruntur :
» Atque adeo volucri, sub prima exordia lucis,
» Acta gradu, clausisque oculis, victricia Divum
» Carmina quo rapiunt, mortali e pectore ducta,
» In terras delata ruunt.

» Itemque alius eadem necessitate adactus exclamat :

» Me nolentem audi, quem vis illata coegit. »

Quibus omnibus idem Auctor ita subjungit. « Imo se ipsos » etiam, *inquit*, nomenque suum necessitate victi prodidere, » quemadmodum vel hoc Apollinis responsum ab eo de se » ipso per vim extortum manifeste declarabit. Sic enim » habet :

» Vis istæc gravis est, atque imperiosa potestas. »

» Additque :

» Has ad voces rue præcipitans,
» Quas mente ex alta sacris depromo figuris,
» Dum castum ignem mea dextra premit,
» Atque his ortus sine morte tuos
» Dicere, Pæan, ausum ingenium est.

» Rursumque Apollo :

» Phœbæus summo fulgor delapsus ab axe,
» Atque aura tenui, puroque sub aere vectus,
» Vocibus arcanis deductus, et illice cantu,
» Qua tenuis caput in medium membrana capaces
» Intactosque sinus aperit, sese altius ultro
» Implicat, ac tunica porro exundante receptus,
» Æstuat, adversosque ciens per viscera motus,
» Jucundam expirat mortali e gutture vocem. »

Tum Porphyrius hunc in modum prosequitur. « His, *inquit*, » nihil evidentius, nihil aut cum divinitate, aut cum ipsamet » natura conjunctius dici queat. Spiritus enim e loco supe- » riore delapsus, illaque adeo particula, quæ cœlesti ex » virtute in corpus suis instructum facultatibus animatum- » que defluxit, animum veluti basim aliquam sortita, vo- » cem per corpus veluti per quoddam instrumentum edit. » Verum quæ adhuc commemoravimus, ea Diis vim afferri satis superque demonstrant. Jam eosdem, quod suum in

potestate reditum non habeant, missionem precibus flagitare solitos, ex iis, quæ sequuntur, intelliges.

CAPUT NONUM.

Eosdem ne redire quidem per sese posse.

« QUANTO studio, quantaque festinatione reditum urgeant » evocati, ex ipsismet illorum verbis auferre potes; ut cum » aïunt :

» Solvite jam Regem, mortalia pectora Numen
» Haud ultra capiunt.

» Atque iterum :

» Quid male mortalem juvat ultra mulctare precando ?

» Itemque :

» Hunc ubi servaris, volucri licet impete cursum
» Expedias.

» Hos præterea quemadmodum solvere, ac dimittere oport» teat, docebit his versibus :

» Arcanas jam mitte preces, hominemque relaxa :
» Virgultis canam effigiem, tum nexa valenti
» Membra manu solvens, immitibus exue pannis.

» Imo et ipsam quoque missionem aperuit :

» Hinc citus pedum aufer altum,
» Siste verba de specu ; »

et quæ sequuntur. Subditque postea. « Qui si tardiores, *in-*
» *quit*, in dimittendo fuerint, tum is ita pergit :

» Solve mihi pannos; quæ me tenet, excute nubem.

» Idem alibi missionis hanc edit rationem,

» Naiades o, Phœbum cum Musis solvite, Nymphæ ;
» Arcitenens vobis cantu celebretur Apollo.

» Rursumque alibi :

» Tollite jam serta, ac niveo vestigia rore
» Spargite : mox inducta leves mihi linea gressus
» Expediat. Dextræ insertam subducite laurum ;
» Cum geminis geminas oculis abstergite nares,
» Atque hominem, o socii, nunc tandem emittite terris. »

Quibus allatis idem auctor, « Lineæ niminum, *inquit*, quo » abire possit, ut inducantur, flagitat, quod iis constrictus » teneretur : nec iis modo, sed etiam reliqua vestitus confi- » guratione, quod evocatorum numinum speciem atque » imaginem præ se ferret. » Equidem his omnibus plane confectum existimo, nihil prorsus aut Deo dignum, aut excellens, aut vere divinum in spiritibus illis residere, quos tantam ad humilitatem abjectos videas, ut a plebeiis etiam ac sordidis hominibus detrahantur e cœlo, idque ab illis fiat, non quod aliquo virtutis aut sapientiæ studio præstent, sed supervacaneis duntaxat inanibusque præstigiis et cantionibus abutantur. Quare neque Pythagoras ille Rhodius, neque is etiam, qui tali eum testimonio cohonestat, neque alius omnino quisquam nomen iis Deorum jure meritoque tribuerit, imo nec bonorum Dæmonum certe quidem, qui ab hominibus et morti obnoxiis, et præstigiatoribus ac maleficis, non sua ipsi voluntate, sed vi quadam et necessitate pertrahantur, ac ne redeundi quidem jus ex se ipsis aut facultatem habeant. Enimvero, si ejusmodi Numen esse de-

bet, cui nec vis afferri, nec imponi necessitas ulla possit, quodque rebus universis altius et augustius, naturam et ab omni patiendi solutam periculo, et libertate præditam habeat: tu Deos appelles istos, qui vel ejusmodi figurarum, linearum, imaginumque machinis deduci, vel coronarum, et florum ex terræ visceribus existentium illecebris, vel barbaris quibusdam omnique significatione carentibus sonis ac vocibus inescari, adeoque abjectissimorum etiam hominum arbitrium sequi nutumque soleant, ut quibusdam quasi vinculis servorum instar mancipiorumque constricti, ne integram quidem ac liberam solvendi expediendique sui potestatem retineant? Tu bonos etiam Dæmones arbitreris eos, qui vi tantum ac necessitate ducantur? Quid enim causæ est, quamobrem inviti ac repugnantes, non sua ipsi sponte hominibus auxilio suo indigentibus opem ferant? Nam si beneficii conferendi gratia tanquam boni advenirent, aut si ab iis in animum utilitatis aliquid proficisceretur, eos utique bonum illud ultro complecti, beneficiisque suis indigentium occupare vota, non vero dum cogerentur expectare oporteret. Sin autem nihil omnino boni aut utilis totum istuc habet, eoque præter illorum voluntatem sensumque contingit; quis Deos appellet eos, qui quod nec honestum nec utile sit efficiant? aut quis eosdem tanti putet, Deorumve cultu prosequendos, qui et vilibus et profligatissimæ vitæ maleficis servilem in modum obedire, quodque nec deceat, nec quemquam juvet contra mentem ipsi suam præstare cogantur: postremo, non ob modestiam vel temperantiam hominum aliquam, non virtutis aut partis ullius Philosophiæ gratia, sed infandis præstigiatorum artibus et machinis deducantur? Atque illas etiam Porphyrius, in ea, quam ad laudatum Ægyptium scribit, Epistola, veras scilicet atque arcanas apud Vatem movens quæstiones, proposuit, hominem obtestatus, uti sese, quibus ista perfi-

ciant, rationes doceat. Illum igitur hunc in modum anceps animique dubius consulit.

CAPUT DECIMUM.

Quibus artibus egregia Numina præstigiatoribus subjiciantur.

« Me quidem tum vehementer, *inquit*, angi sentio, ubi » mecum ipse reputo, qui fieri possit, ut quorum veluti au» gustiorum ac diviniorum opem imploremus, ii tamen per» inde ut humiliores ac deteriores obediant : quique clientes » ipsi suos æquitatem colere velint, eosdem injustis impe» riis obsequi non pudeat : adeoque cum eorum vota preces» que repudient, qui ad sese minus abs re venerea puri ac» cesserint, obvios quosque tamen nefandam in venerem » agere non erubescant. Porro vates illi quidem interpre» tesque suos rebus animatis abstinere jubent, ne corporeis » exhalationibus inficiantur : sacrificiorum tamen, quæ ex » animantibus fieri solent, vaporibus maxime capiuntur, ac » mortuum quidem ab sacrorum suorum inspectoribus tangi » nefas esse statuunt; cæsis tamen victimis Deorum evoca» tiones partem maximam peraguntur. Quodque omnium » absurdissimum est, non jam vulgari cuipiam Dæmoni, aut » defuncti animæ, sed ipsimet soli siderum principi, lunæ, » reliquisque Diis cœlestibus, homo cuivis e populi fæce ob» noxius minas intentat, atque ut eos ad vera dicenda com» pellat, falsum vanumque terrorem ostendit. Nam futurum » denuntiare, uti vel cœlum ipsum quatiat, vel Isidis ar» cana patefaciat, vel quod Abydi occultum latet, dictuque » nefas est, in lucem proferat, vel Ægyptiacæ navis cursum

»inhibeat, vel in Typhonis gratiam Osiridis membra dis»jiciat : quidnam obsecro, vel summum ad stuporem at»que vecordiam ista, quæ neque novit, neque efficere po»test, comminanti, vel Numinibus quæ fictitius et inanis »iste terror leviculorum pusionum more percellat, sum»mam ad humilitatem reliquum fecit? Et tamen hæc om»nia Chæremon sacer ille scriba, tanquam Ægyptiorum »pridem omnia ore jactata, conscripsit; quæ quidem, uti »ejusdem quoque generis cætera, ad vim Diis afferen»dam potentissima esse dictitant. Jam vero preces atque »vota, quid tandem rationis habent, quibus eumdem so»lem aut limosa ex palude emergere, aut loto insidere, »aut navigio provehi, aut singulis horis formam com»mutare, ac varios per singula Zodiaci signa vultus in»duere commemorant? Quippe talem a nobis eum videri »pronuntiant, neque intelligunt proprium sese illi cogita»tionis suæ vitium et errorem affingere. Qui si ad sym»bolicam orationem confugerint, quasi ejusmodi notis »variæ solis facultates adumbratæ habeantur; notarum »ergo suarum vim illi nobis et significationem aperiant. »Enimvero, si, quemadmodum in defectionibus contingit, »aliquam sol ipse mutationum istarum subiret, idem ab »omnibus, qui oculos in eum intenderent, omnino videre»tur. Jam, quorsum tot significatione carentia nomina? »quorsum ex iisdem barbara pleraque congruentibus ac »singulorum propriis anteponunt? Nam si Numen dum vo»cem exaudit, ejus ad significationem respicit, profecto »cuicuimodi nomen fuerit, si modo eadem sententia man»serit, satis per sese rem illa totam aperiet. Nec enim is, »opinor, quem evocant, Ægyptius erat genere; nec, si erat, »lingua tamen Ægyptiaca, vel omnino humana voce uteba»tur. Quippe, aut enim præstigiatorum artes istæ sunt, et »quædam earum, quas ipsi patimur, quæque tamen ab iis

» Deo tribuuntur, mutationum involucra; aut aliter plane, » quam re ipsa habeat, de Divinitate sentimus. » Hæc ille, quibus iterum, quæ sequuntur, ad Ægyptium eadem cum animi fluctuatione perscribit. « Sin autem, *inquit*, ex Diis » alii nihil omnino patiuntur, alii pati aliquid aliquando pos» sunt; quibus etiam veretra se per istos erigere, obscena» que carmina solemni ritu canere dictitant : inanes utique » Deorum evocationes fuerint, quibus se aut eorum opem » implorare, aut iracundiam placare, aut expiationes insti» tuere profitentur, multoque proinde magis ea, quibus ipsis » necessitatem imponi volunt. Quod enim pati non potest, » idem nec demulceri quoque nec cogi potest. » Idemque deinceps, « Perperam, *inquit*, ab iis sapientia colitur, qui aut » inveniendi fugitivi servi, aut emendi agri, aut nuptiarum » interdum, aut mercaturæ gratia, divinam mentem sollici» tare ac fatigare solent. Sin autem, cum eidem sapientiæ » non remisse negligenterque studeatur, qui tamen ipsi dant » operam, ii cæteris quidem in rebus verissima omnia, de » felicitate vero securi nihil, fideque digni respondeant : se» quitur omnino neque Deos illos, neque bonos etiam Dæmo» nes, sed eum potius fuisse, quem Impostorem vocamus. » Atque hæc ex citata Porphyrii epistola producta sufficiant. Jam vero non alios ab initio maleficæ artis magistros, quam ipsamet egregia Numina fuisse constat. Qui enim isthæc homines aliter nosse potuissent, nisi Dæmones iis res ipsi suas aperuissent, et quibus quique vinculis constringantur, indicassent? Neque vero nostram hanc orationem esse putes; quippe qui nihil istorum a nobis aut intelligi aut expeti fateamur. Tantum ergo partim ad coarguendam istorum vecordiam, partim ad nostram, qui nos eorum communioni ac societati subduximus, defensionem, idem a nobis testis producatur, qui et sapiens a suis habetur, et omnes religionis patriæ rationes accurate non modo novit, sed etiam ex-

posuit. Ille igitur in laudata oraculorum collectione, ad verbum habet, quæ sequuntur.

CAPUT UNDECIMUM.

Dæmones ipsos, qui Deorum loco habeantur, quo superstitionum ritu secum agi vellent, homines docuisse.

« Neque tantum, *inquit*, proprias instituti sui rationes, » aut cætera, quæ superius a nobis commemorata sunt, ve- » rum quibus ipsi rebus aut delectentur, aut vinciantur, » imo quibus etiam cogantur, indicarunt. Quibus item hos- » tiis rem sacram fieri, quos dies caveri, quam in formam » ac speciem simulacra configurari oporteat; quonam ipsi » ore habituque appareant, quibus in locis assidui sint. De- » nique nihil omnino est, quod non ab iis homines ita didi- » cerint, uti ex eorum præceptis doctrinaque duntaxat so- » lemnes postea in iis colendis ritus adhiberent. Quæ cum » argumentis pluribus iisdemque certissimis illustrari possint, » nos tamen e multis pauca modo proferemus, ne omni ora- » tionem hanc testimonio et auctoritate spoliatam reliquisse » videamur. »

CAPUT DUODECIMUM.

Eosdem magicarum artium, quibus simulacra conflarentur doctores fuisse.

« Et quidem ipsa quoque simulacra, quemadmodum quave » ex materia conformari deberent, ab iisdem traditum fuisse » vel ex sequenti Hecates responso intelligetur.

» Purum absolve mihi simulacrum, quale docebo.
» Sylvestri e ruta sacrum mihi perfice corpus :
» Accedat tenuis mediisque penatibus errans
» Stellio, quem styracis, myrrhæ, thurisque Sabæi
» Pulvere, crescentis commisce ad lumina Phœbes :
» Dumque instas operi, simul hæc mihi concipe vota.

» Tum ipsam quoque voti formulam præscribit : simulque » docet, quot ejusmodi animalcula admiscere oporteat.

» Quot mihi sunt formæ, tot misce animalcula dextra
» Sedulus, atque ultro nascentis brachia lauri
» In nostram contexe domum : sic multa precatus
» Effigiem, somni tandem me tempore cernes.

» Eademque alibi simile quoddam simulacri genus indicavit. »

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Ipsas quoque simulacrorum figuras ab iis delineatas fuisse.

«Imo vero, quænam præterea simulacri configurandi ra-
»tio esse debeat, ita tradiderunt, ut eam in statuendis ima-
»ginibus fictores postea diligenter expresserint. Et Sarapis
»quidem ita, cum Pana vidisset, de se ipso loquitur :

» Læta meos lux irradiat complexa penates,
» Venit quippe ingens, subiitque ad limina Numen.
» Invictum robur nostrum, flammaque potentem
» Splendorem aspexit : crinem a cervicibus altis,
» Qui circum flagranti errans lascivit in ore,
» Sacratique pilis menti se advolvere gestit.

»Imo Pan ejusmodi quoque de se ipso hymnum edocuit,

» Oro mortalis satus Pana cognatum Deum,
» Bicornem, bipedem, hircino crure, lascivientem.

»Et quæ sequuntur. Hecate præterea de se ipsa hunc in
»modum cecinit :

» Cuncta mihi molire manu, frugumque potentis
» Effigiem Cereris conflata ostendat imago.
» Candida vestis eat, pedibus sese aureus indat
» Calceus : at zonam sine labe volumina circum
» Plurimus anguis agat, summoque a vertice pendens,
» Ultima producto stringat vestigia lapsu,
» Ac pulchre implicitis circum undique flexibus erret.

» Et materiam ipsa præscribit :

» Aut secto ex ebore, aut pario de marmore surgat. »

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Eosdem ad magicam artem impellere.

Jam ipsi quoque Dii sæpissime, dum quæ pronuntiant, ea quibusdam interim signis, ostentisque portendunt, adeoque singularem cujusque ortus rationem statumque cognoscunt, summos profecto sese magos (si tamen ita loqui fas est), summosque genethliacos esse declarant. Ac rursus Apollinem suis in responsis hunc in modum loqui testatur :

« Mercurium ac Solem simul appellare memento,
» Luce sacra Soli : tum Lunam, ubi venerit ejus
» Nota dies, Saturnum exin, natamque Dione,
» Vocibus arcanis, quas maximus ille Magorum
» Septisonæ Dominus reperit, notissimus idem
» Omnibus.

» Hic vero cum ab iis, qui præsentes intererant, succlama-
» tum esset, Ostanem intelligis, Apollo subjecit :

» Magna quemque Deum, ac septena voce vocabis. »

Idem præterea, quæ sequuntur, addit. « Has quidem, *inquit*,
» proprias Hecate notas habet, ceram triplici ex colore,
» albo, nigro, rubroque constantem, quæque Hecates, fla-
» gellum, lampadem, gladiumque gestantis imaginem præ-
» ferat, quam circum draco volvatur. Cœlum vero marina
» sidera pro foribus affixa repræsentant. Hæc enim ipsi quo-

» que Dii, consequentibus versiculis nota ac testata esse vo-
» luerunt. Sic namque Pan loquitur :

» Hos procul repellite,
» Cera tum coloribus
» In focum ternis eat.
» Albus accedat nigro,
» Igneus simul flagret,
» Qualis e pruna micat,
» Terror inferum canum.
» Tetra sit forma Hecates;
» Lampas in manu ardeat,
» Ultor horreat mucro,
» Hanc draco circum ambiens
» Flexibus nectat vagis,
» Ac ferum implicet caput.
» Clavis adsit mobilis,
» Et potens vis Dæmonum
» Plurimus flagri sonor. »

Hæc illa sunt, iisdemque genuina, quibus oraculorum philosophiam, quasi arcana Deorum responsa continentem, eximius Græcorum philosophus, idemque theologus singularis, ac reconditorum mysteriorum interpres illustravit, seu verius insidias abs scelerata Dæmonum arte ac versutia hominum generi comparatas palam enuntiavit. Enimvero, quid tandem homines ad aliquem hujus vitæ fructum ex maleficis præstigiis auferre possint? quidnam Deo gratum habeat vecors et stolida inanimum simulacrorum superstitio? Cujusnam porro divinæ potestatis imagines censeri debeant, effigies hoc genere configurationis expressæ? An non colendæ philosophiæ potius, quam magicarum ac prohibitarum artium studia consectandi, auctores illos atque hortatores esse oportuit? cum præsertim vitæ ratio ex virtutis ac philosophiæ præceptis instituta, ad bene beateque viven-

dum satis esse possit? Cæterum idem ipse rerum suarum ulterius confutatione producta, superioribus, quæ consequuntur, adjungit.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Eosdem inanima quoque materia delectari.

« Eosdem, *inquit*, præterea characterum etiam notis de» lectari, Hecate, instituta cum iis, quas vulgo homines ex» petunt, comparatione, hunc in modum pronuntiat:

» Cui non mortali jucundus in ære character,
» Argentove nitens, aut fulvo impressus in auro?
» Cui non chara homini, quæ cœlitus ipse gubernans,
» Diversas hominum soleam connectere sortes? »

Neque tantum istos sibi characteres placere, verum etiam iis sese, uti jam diximus, circumscribi, subjectaque imagine, sacro veluti domicilio, contineri declaravit. Nec enim terra, nisi sacra fuerit, Deos ferre ac sustinere queat: sacra autem illa est, quæ divinam capit imaginem: eaque sublata, id, quod in terris numen retinebat, illico dissolvitur. His equidem evidenter confectum existimo, aliud nihil quam terrestres quosdam et cupiditatibus irretitos Dæmones fuisse, quos isti Deorum loco habuerunt: eoque mihi sane videor ab eorum cultu, maturo inprimis sanoque consilio, descivisse. Vides enim ipse, uti eos quibusdam in terræ locis, magicarum figurarum, atque id genus characterum vinculis detineri fateantur: cum, si vere divini quid-

quam haberent, nusquam ipsos alibi, quam in mente non tantum ab omnibus sordibus omnique labe purgata, sed etiam temperantiæ, æquitatis, cæterarumque virtutum ornamentis instructa, sedem utique ac domicilium deligere oporteret. Ubi enim illæ semel hominis animum tanquam aliquod sacrarium occuparint, eodem sese merito divinus ille spiritus insinuabit : nec mentibus iis, quæ jam ad honestam sese ac religiosam vitæ morumque rationem conformarint, præstigiarum maleficiis ad excipiendum numen opus præterea fuerit. Maneat igitur, his omnibus testimoniis certo liquidoque comprobatum, de quibus adhuc a nobis disputatum est, eos non alios esse, quam Dæmones, terræ et cupiditatibus corporumque amoribus illigatos. Nunc vero, cujusmodi ea sint, quæ de oraculorum ipsorum, quæ ab iis usque adeo jactata sunt, defectione idem Porphyrius deinceps attexuit, mecum attende.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De oraculorum defectione Apollinem ipsum cecinisse.

« Pythia quod spectat, Clariique oracula Phœbi,
» Dicam equidem, et sancta verum te voce docebo.
» Sexcenta ex imis scatucre oracula terris,
» Fontesque, et rapida sensus vertigine torquens
» Halitus. Ast eadem vasta dein labe dehiscens
» Hausit terra sinu, pressitque annosa vetustas.
» Nunc tantum Didymis, arvi qua cæca profundi
» Antra jacent, soli Mycaleia lympha superstes,
» Quique ad Pythonis campos, atque alta virentis

»Sub juga Parnassi, nitidas fons egerit undas :
»Et lapidosa Claros, Phœbeæ ora aspera vocis.

»Idem Nicæensibus ita respondit,

»Pythiacæ nequeunt revocari oracula vocis,
»Quæ cani jamdudum ævi longinqua vetustas
»Sustulit, ac muta clausere silentia clavi.
»Vos Phœbi interea notis incumbite sacris. »

His equidem commodum subjecero, quæ in opusculo de eadem oraculorum defectione Plutarchus habet. « Ubi Am»monius finem dicendi fecit [1], Quin tu (inquam) aliquid »nobis, Cleombrote, hoc de oraculo commemora. Ingens »quippe olim fuit residentis ibi Numinis existimatio, quæ »tamen extabuisse nunc paulatim videtur. Hic tacente »Cleombroto, oculosque dejiciente, Nihil vero est, inquit »Demetrius, quamobrem de uno illo sciscitemur, aut de res»ponsorum ejus defectione quæstionem præcipue movea»mus, cum, uno alterove duntaxat exceptis, cætera omnia »defecisse videamus. Itaque communi consilio causam ri»mari præstiterit, cur usque adeo cuncta conciderint. Nam »alia commemorare quid attinet, cum ipsam quoque nunc »Bœotiam oraculis illis, quibus antea tantopere vocalis erat, »sic tanquam defluentibus undis admodum exhaustum esse, »totaque passim regione divinationem exaruisse. Nam si »Lebadiam unam excipias, nusquam alibi consulentibus »ejus hoc tempore Bœotia copiam facit : loca cætera par»tim altum silentium, partim vasta solitudo occupavit. » Idem præterea de Dæmonum suorum interitu hunc in modum loquitur.

[1] Plutarch. de Oracul defectu.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

De interitu Dæmonum, quos Deorum loco venerantur.

«EQUIDEM quod oraculis, *inquit*, non jam Deos, qui a »rebus terrenis secreti esse debeant, sed Dæmones potius »Deorum administros præesse statuat, id mihi perperam »facere non videtur. In eosdem tamen Dæmones, tantum »non impetu quodam arreptis Empedoclis hanc in rem »versibus, lapsus, calamitates, erroresque divinitus im- »missos congerere, postremo eorum etiam perinde atque »hominum interitus commemorare, id vero cum audacius »esse, tum barbariam nimium olere sentio. Cleombrotus »igitur, quis tandem, et cujas esset adolescens, ex Philippo »quærit, simulque nomen ac civitatem ut audivit, Ne ipsi »quidem, mi Heracleo, nos in absurdas incidisse disputa- »tiones ignoramus, inquit: sed fieri profecto non potest, »ut qui rerum in magnarum tractatione, magnis quoque »principiis usus non fuerit, is aliquam ad verisimilitudinem »opinando perveniat. Veruntamen idem abs te dari simul »ac negari non sentis. Nam qui Dæmones esse confiteris, »idem sane cum improbos illos ac mortales esse non vis, ne »Dæmones quidem amplius esse defendis. Si enim eos et ab »interitu natura, et virtus ab omni perturbatione ac pec- »cato vindicat, quid jam ipsos inter ac Deos intererit? Hæc »secum Heracleone silentio reputante, Atqui non Empe- »docles tantum (inquit ad eum Philippus) Dæmonum im- »probitatem, o Heracleo, sed etiam Plato, Xenocrates, et »Chrysippus, testatam reliquere. Quin ipse quoque Demo-

» critus, cum ut æqua sibi contingerent idola precaretur, » palam utique alia se quædam iniqua pariter et improba, » nec non privatis agitata cupiditatibus agnoscere profiteba- » tur. Mortem eorum quod attinet, memini me aliquem » ejusmodi sermonem audire, viri nec insulsi nec arrogantis. » Æmilianus Rhetor, quem nonnulli quoque vestrum audiere, » Epithersem parentem habuit, quo et populari, et in gram- » maticis præceptore sum usus. Is narrabat, cum in Italiam » aliquando navi opibus vectoribusque refertissima naviga- » ret, sub vesperam ad Echinadas Insulas ventum omnem » subito concidisse, jactatamque navis a Paxis non procul » abfuisse. Hic vero vigilantibus plerisque, ac cœna confecta » bibentibus, cujusdam repente vocem ex eadem insula » Thamnum inclamantis exauditam esse : quæ res omnibus » admirationem movit, cum Thamnus ille Ægyptius esset » navis Gubernator, quem pauci navigantium de nomine » noverant. Et illum quidem semel iterumque vocatum si- » luisse, tertio demum vocanti respondisse. Tum alterum » majori quam antea voce, Ubi ad Palodes veneris, ma- » gnum Panem interiisse nuntia. Quo audito cunctos vehe- » menter attonitos hæsisse narrabat, cumque inter sese » quærerent, præstaretne dicto audientes esse, an potius » rem totam negligere, Thamnum ita statuisse, si quidem » aspiraret ventus, locum silentio prætervehi, sin ibidem » malacia contingeret, quæ audierat nuntiare. Ergo cum eo » provectus esset, aura concidente sedatoque mari, Tham- » num ex puppi, conversis ad terram oculis, rem uti audie- » rat inclamasse, Magnum videlicet Panem obiisse. Quam » ejus vocem, ingentem illico eumque admiratione mixtum, » non unius, sed multorum simul gemitum excepisse. Rem » porro, quippe quæ præsentes plurimos testes habuisset, » Romæ brevi admodum tempore vulgatam, adeoque Tham- » num ipsum a Tiberio Cæsare evocatum fuisse : ac Tibe-

»rium quidem eam narranti fidem habuisse, ut ex rerum »antiquarum peritis, qui tum frequentes aderant, ecquem »ipsi Panem illum esse sentirent, diligenter sciscitaretur, »eos autem Mercurii Penelopesque filium suspicatos esse. »Cæterum ex iis, qui disputationi huic intererant, testes »Philippus nonnullos habebat, qui Æmilianum senem au- »dierant. Hic subjecit Demetrius, insularum, quæ Britan- »niæ adjacent, plerasque desertas passim occurrere, qua- »rum nonnullæ Dæmonum, aut Heroum insulæ nominen- »tur. Porro se visendi studio, Regi aliquando in desertarum »proximam naviganti comitem adjunxisse, quam pauci ad- »modum incolerent, sed qui Britannis sacri omnes erant, »et ab omni direptione injuriaque tuti. Ubi primum eo ap- »pulsum esset, fœdam repente coortam in cœlo tempesta- »tem, crebra simul prodigia, ventorum procellas, igneos- »que turbines contigisse. Quorum vis ubi remisisset, dixisse »insulares, aliquem ex Heroibus extinctum esse. Quemad- »modum enim, inquiebant, lucerna dum ardet, nihil de- »trimenti afferre solet, nec tamen sine multorum molestia »extinguitur : sic ingentes animæ benigno quidem et in- »noxio fulgore collucent; at easdem, si quando extingui ac »perire contigerit, tum sæpe ventos ac procellas, uti nunc, »excitare, sæpe auras pestilentiæ veneno inficere consue- »verunt. Illic porro insulam quandam esse, ubi vinctum »Saturnum altoque sommo consopitum Briareus custodiat : »novum enim hoc somni vinculum adversus eum excogita- »tum fuisse. Eidem vero famulos administrosque Dæmones »præsto esse quam plurimos.» Hactenus Plutarchus. Sed operæ pretium fuerit, tempus observare, quo Dæmonis istius interitum contigisse narrat. Id enim imperante Tiberio factum est, quo tempore Dæmones a Servatore nostro inter homines agente jam tum ex humana vita pelli ejicique cœpisse divina scribit historia : cum etiam genu flexo nonnulli

jam eum obsecrarent, uti ne expectantibus sese inferis addiceret. Ergo certum quoque ac definitum tempus habes exterminatorum Dæmonum, quos ante illud nunquam ex omni memoria fugatos esse legimus : quemadmodum nec ante sublatam fuisse ostendimus communem apud Gentiles mactandorum hominum consuetudinem, quam Evangelicæ doctrinæ prædicatio universum orbem complevisset. Atque hæc coarguendæ Dæmonum fraudi ex recentiorum historiis deprompta sufficiant.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

De oraculis priscorum Græcorum prædicatione celebratis.

Nunc vero, quoniam ista non omnibus usque adeo nota sunt, libet inde ad ea progredi, quæ antiquitatis studiosum fugiant neminem, ac vetustissimi ævi oracula diligenter excutere, quæ Græcorum passim omnium ore jactata, iis etiam, qui disciplinæ causa cunctis in urbibus conveniunt, inculcari solent. Tu ergo veteres ab ultimis usque temporibus historias repetens, expende sis cujusmodi Atheniensibus, gravi ab Androgeo interitu pestilentia laborantibus responsum olim Pythius ediderit. Quippe Athenienses hominis ob unius mortem, universi hac lue vexati, Deorum opem votis ac precibus implorabant. Quid igitur iis consilii et Servator et Deus? uti æquitatem videlicet atque humanitatem, cæterasque virtutes in posterum colerent; aut criminis adducti pœnitentia sacri aliquid ac religiosi obirent, quibus rebus Deorum offensio procurari solet. Nihil minus.

Quorsum enim ista præclaris numinibus, vel potius consceleratis Dæmonibus curæ sint? Rem igitur affinem sibi rursus et cognatam, hoc est ab omni misericordiæ sensu alienam, et immanitate teterrimam pestem, peste, mortibus mortem cumulari volunt. Jubet nimirum Apollo, suis e liberis mares ab iis septem quotannis impuberes mitti, fœminasque virgines totidem; pro uno quatuordecim, insontes omnes nulliusque facinoris conscios, idque non semel tantum, sed annis singulis apud Minoëm immolandos. Atque apud Athenienses acerbissimi ac dirissimi tributi memoria, ad ætatem usque Socratis annos deinceps amplius quingentos servabatur. Nam id etiam in causa fuit, quamobrem ad aliquot dies mortem Socrati distulerint. Ejusmodi responsum a recentiore quodam (4), qui longam maleficorum seriem singulari libro texuit, non producitur modo, sed etiam peracri ac robusta disputatione luculente admodum coarguitur. Audi ergo non meam, sed illius orationem adversus oraculi hujus auctorem hunc in modum invehentis.

CAPUT DECIMUM NONUM.

Adversus Apollinem, quod septem adolescentes puellasque totidem in Cretam jugulandos ab Atheniensibus jusserit.

« Quid autem! *inquit*[1]; nonne Athenienses, Androgeo » cædis auctores, ac propter eam pestilentia laborantes, » sese criminis admissi pœnitere fatebantur? aut si ne id » quidem, nonne tamen verius fuit, hanc ut iis pœnitentiam » imperares, quam ut hoc responsi dares?

[1] Œnomaus, in opere deperdito.

»Tum vos dira fames, atque inclementia pestis
»Deseret, ac tristes melior Deus exuet iras :
»Cum vestro e numero, scelerisque piacula vestri,
»Quæ sors cumque petet, seu mas seu fœmina cedat,
»Corpora pontus aget magni Minois ad urbem.

»Mitto enim vos ob unum Androgeo Athenis defunctum »vehementius commoveri, tot aliis et ubique gentium et »quotidie morientibus, obdormiscere. Enimvero, quod »probe scires, Minoëm per id tempus, et maris imperium »tenere, et ingenti potestate præditum esse, et ab universa »Græcia coli, adeoque amantissimum æquitatis ac legisla»torem optimum, quin etiam ab Homero et magni Jovis so»cium, et apud Inferos judicem habitum ac prædicatum »esse : idcirco has tibi pœnas in hominis gratiam exigendas »putasti. Verum ista quoque nihilo minus quam vos ipsi »prætereo : non tantum cædis auctoribus prætermissis, in»nocentes a vobis certum ad exitium ablegatos esse; verum »etiam ad ejusmodi virum ablegatos, quem communem »hominum omnium judicem creare statueratis, qui tamen »ne hac quidem in causa veram sententiam ferre potuisset. »At quot tandem a vobis juvenes Athenas eorum in locum »summitti oporteret, quos ut parentaretis Androgeo, nefa»rie jugulastis? » Porro, quam multis Apollo responsorum ambiguitate necem attulerit, replicata Heraclidarum historia, idem scriptor sequenti oratione coarguit.

CAPUT VIGESIMUM.

Pluribus Apollinem responsorum ambiguitate mortis causam fuisse.

« Et quoniam, *inquit*, hanc semel attigimus disputatio- »nem, age, huc quoque spectantem Heraclidarum histo- »riam persequemur. Iis enim cum aliquando per isthmum »in Peloponnesum irrumpere molientibus, frustra cona- »tus laborque cessisset, Aristomachus Aridæi filius, quod »pater in eadem irruptione occidisset, ad te venit de sus- »cipiendo itinere consulturus : eadem enim, qua pater »ante suus, cupiditate tenebatur. Hoc autem abs te responsi »tulit,

»Per liquidas fauces palmam tibi Numina monstrant.

»Is vero per isthmum similiter irruptione tentata, pugnando »occubuit. Tum infelix Temenus ejusdem filius eo proficis- »citur, ex infortunatorum stirpe tertius, qui tibi eadem quæ »Aristomacho patri spondenti obsecutus, simili quoque, »dum irrumpere nititur, morte perit. Hic tu, Non per ter- »ram, inquis, angustam humidamque dico, sed per late pa- »tens mare. Quoniam molestum erat, per mare nominatim »dicere, idque si diceres, futurum videbas uti maritimum »iter ille susciperet; hanc ei mentem injecisti, ut terrestri »itinere sibi proficiscendum putaret. Itaque nautam inter ac »terrestrem medius, castra metatur, et Carnum equitem »Ætolum genere, Phylandri filium jaculo trajicit. Nec in- »juria, ut mihi quidem videtur. Cum autem repentinus con-

»tinuo morbus ingruisset, eoque sublatus Aristodemus »fuisset, iisque propterea reversis, iterum Temenus de in- »festo casu quereretur, hoc responsum accepit, eas abs sese »ob interemptum Nuntium divinum pœnas expetitas fuisse; »simulque carmen audivit, quo votum Apollini Carnio nun- »cupare conceptis oraculi verbis jubebatur,

»Legati has nostri solvis pro sanguine pœnas.

»Quid ergo rerum, inquit Temenus, fieri abs me oportet? »aut qua vestram offensionem ratione procurabo?

»Carnio supplex Phœbo sacra concipe vota.

»Quid! tu, vates scelestissime atque impudentissime, nes- »ciebas, cum angustæ semitæ nomen audiisset, futurum »ut in ejus delectu aberraret? Tu id tamen probe sciens »hoc responsi dare non desinis, eumque falli postea et aber- »rare sinis. At nimirum, ambigua callis angusti voce hoc »sequebaris, ut si vinceret, victoriæ auctor haberere; sin »vinceretur, causam hujus cladis nullam sustineres, dum »ad late patentis maris interpretationem confugeres. Verum »et istuc quoque late patens mare subiit, nec tamen voti »compos evasit. Hic tu scilicet alterum denuo diverticulum »excogitas, Carni Nuntii cædem. At quomodo tamen, Deo- »rum optime, tu qui Carni salutem usque adeo caram ha- »bebas, aliorum causa divino eum afflari spiritu voluisti, »noluisti sua? quomodo Carnum duntaxat unum servari »cum oporteret, eum interire passus es, ac propter ejus- »dem interitum, et Homericam illam in exercitum pestilen- »tiam immisisti, et certas averruncando morbo preces in- »dixisti? Quibus ille profecto si nihil egisset, alius continuo »sophismati vestro color, alia species inventa esset, finem- »que nullum unquam fecissetis, consulendi quidem illi, tu »vero cavillandi, ut ne seu vincerent, seu vincerentur,

» præstigiarum in te quidquam deprehendi, fraudisque pos» set. Quippe satis omnino virium ad illos in ejusmodi erro» rem inducendos vehementior cupiditatis æstus habuisset, » qui nunquam eos fidem tibi, vel si centies jugulandi fo» rent, non habere pateretur. » His æquum subjungere fuerit, quæ Crœso postea contigerunt. Regnabat is in Lydia, quod a majoribus imperium acceperat, longa jam ac perpetua serie propagatum. Idem in amplioris, quam illi nacti essent, ac secundioris fortunæ spem erectus, præcipua Deos religione colere statuerat. Itaque vi ac numine omnium explorato, Delphicum Apollinem cunctis anteposuit, sicque paulo post aureis cum pateris, tum lateribus, nec non infinita donariorum multitudine templum ejus exornavit, ut opibus ac divitiis, longe quotquot toto passim orbe visebantur, brevissimo tempore superarit, ne omissis quidem iis, usque eo magnificentiæ progressus est, quæ ad sacrificia peragenda cumulate sufficerent. Tot igitur tantisque sumptibus Numinis in gratiam ante factis, Lydus Imperator tam egregiis fretus (nec sane immerito) pietatis suæ monimentis, expeditionem adversus Persas molitur, ea spe, uti summum imperio suo decus auxilio Numinis adjungeret. Quid autem præclarus Vates? Ille ipse qui Delphis colebatur, Pythius ille, ille amicitiæ præses, clientem suum adeo religiosum, quique ad unum se confugerat, non ditione tantum aliena non auget, sed etiam exuit evertitque sua; non prudens opinor ac sciens, sed rerum futurarum ignorantia (nec enim præscius futuri Deus, utpote qui ne Deus quidem esset, nec alia vis ulla homine major, responsum unquam suum veteratorie partem in utramque flexisset): unoque hoc fere versiculo.

«Crœsus Halyn superans, magnam pervertet opum vim,»

tantum illud tamque diuturnum Lydiæ Regnum, quod a

majoribus ad religiosum hominem hæreditario jure devenerat, funditus excindit, cum ejusmodi fructu, Regis Deorum amantissimi eximiam erga se voluntatem pietatemque compensans. Atque id, quam acrem et iracundam a laudato Scriptore (nec injuria) orationem expresserit, accipe.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Eumdem Apollinem responsi ambiguitate causam fuisse, cur imperio suo Crœsus exciderit.

« Tu nimirum (*inquit ille*) qui, quæcumque arena æstimari debent, omnia pervides, boni nosti nihil: nidorem » quippe durioris, coctæque testudinis tuam in mentem subire, notitia est non pluris quam arenæ pretio æstimanda: » et quamquam ne vera quidem illa fuit, tamen et superbo » congruebat, et impudenti, quique cum ob inanes istas cognitiones supercilium tolleret, tum Crœso Lydio illi mancipio, uti ne se parvi penderet, persuadere conaretur. Is » enim hunc in modum explorata responsi tui certitudine, » paulo post ex te quæsiturus erat, num in Persas expeditionem adornaret, teque adeo in furoris cupiditatisque suæ » consiliarium adhibiturus. Te vero nihil puduit, hoc ei responsi dare:

» Crœsus Halyn superans, magnam pervertet opum vim.

» Non perperam id quidem, quod utrumque susque deque » haberes, seu quid inepte moliretur, ad invadendum alienum imperium ambiguo incitatus oraculo: seu contume-

»liosi forte malitiosique nonnulli, cum tibi ob furiosum hominem consilio tuo præcipitem actum, laus ab iis prædicatioque deberetur, hoc insuper crimini tibi darent, quod ne vocem quidem protulisses in utramque significationem æqualiter propendentem, uti Lydus ille justam dubitandi atque amplius quærendi causam haberet : sed tuum illud »καταλῦσαι, hoc est, evertere, uno duntaxat apud Græcos »sensu usurpetur, nec jam de imperio deturbari suo, sed »alienum præterea suam in potestatem redigere significet. »Nam Cyrus ille quidem semimedus aut semipersa, seu »mavis ejusmodi qui, matrem si spectes, Tyrannico, sin »patrem, privato genere satus esset; ille, inquam, hoc in »ænigmate muli nomine adumbratus, non modo stolidum »Musæ tumorem ac fumum indicat, sed etiam divinationem »divinationis expertem, si quidem Vates vim ænigmatis ab »illo capi non posse nesciret. Sin autem, cum id probe sci»ret, ei tamen hunc in modum, quæ sua cum petulantia »est, tum malitia, ludere placuit; papæ! quales Dii ludos »agunt! Denique, si ne id quidem, sed tantum quod ita rem »evenire oportuerit; primum certe, profanum ille admodum »sese probat, qui verbis ad ludificandum compositis abuta»tur : deinde, esto, rem ita evenire oportuerit; quid tu »Delphis tamen, infortunate, sessitas, rebus vanis ac futili»bus occinendis occupatus? Quid porro te nobis opus? quæ »nos intemperiæ tenent, quotquot ad te universo ex orbe »concurrimus? quorsum denique tibi tot sacrificiorum ni»dorem?» Hæc Œnomaus summa libertate adversus istum præstigiatorum afflatum, quæ sane aliquid Cynicæ dicacitatis habent : utpote qui ne Dæmonis quidem, ne dum ut Dei, quæ Græci tantopere suspiciunt, oracula esse velit, sed maleficorum hominum fraudes potius ac versutas argutias, ad vulgus in errorem inducendum malitiose comparatas. Et quoniam semel eorum meminimus, juverit aliorum

insuper confutationes audire, atque illius in primis, quo se ipsum idem Œnomaus ab Apolline Clario deceptum fuisse testatur his verbis.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Quemadmodum eos a quibus consulebantur illudentes, responsis suis in fraudem impellerent.

« Sed nimirum, *inquit*, nos etiam in comœdiæ partem » vocari oportebat, ne nobis ipsi nimium placeremus, quod » nobis communem hanc vesaniam declinare licuisset : eas- » que adeo merces exponere, quas ipsi quoque hac in sa- » pientiæ negotiatione ex Asia tuo, Clarie, beneficio repor- » tavimus. Herculeus quidam in Trachiniæ regione hortus » est, in quo passim omnia germinant, quique, cum omnium » manibus,

» . . . . Nullo non tempore passim
» Carpatur, tamen haud unquam decrescere visus,
» Æternis augetur aquis.

» Ego igitur, ut audivi, continuo stolidus ac vecors, ab » Hercule vana spe inflari ipse quoque, ac propter Trachiniæ » nomen, Hesiodicum aliquem Herculei horti passim germi- » nantis sudorem, facilem vero solutamque vitam, propter » florentis horti mentionem, animo somniare. Deinde, quæ- » renti porro, num opem Superi laturi mihi essent, laturos » unus e vulgo etiam jurejurando confirmavit. Certo enim » se de Callistrato quodam, mercatore Pontico, qui simile

» abs te beneficium accepisset, audiisse. Quod ego postquam » rescivi, quam id me graviter tulisse existimas, cum ab eo » me hac possessione virtutis occupatum ac superatum pu- » tarem? Sed tamen hoc in molestiæ sensu, in mercatorem » istum inquirere cœpi, num ab Hercule blandius aliquanto, » ac suavius ipse quoque habitus fuisset : quem ego nonnullo » etiam labore vexari, et lucri cupiditate ductum, suaviorem » aliquam ex eo lucro vitam sperare deprehendi. Quare, » cum nostris geminas mercatoris istius rationes viderem, et » oraculum et Herculem deinceps valere jussi, indignum » ratus similem istorum subire fortunam, quorum præsentes » quidem labores, mensas vero non nisi spe tenus viderem. » At videlicet, neque latro, neque miles, nec amator, nec » amasia, neque adulator, neque rhetor, neque sycophanta » suum aliquod non habet oraculum. Nam ut cuique cupi- » ditas inest, ita vel sibi laboriosum aliquid existimat, vel » aliquid voluptatis expectat. » Quibus ille commemoratis pergit deinceps ostendere, quemadmodum iterum ac tertio consultos abs sese Vates egregios, nihil omnium nosse, sed tantum orationis ambiguæ tenebris ignorantiam suam occultare compererit. Sic ergo loquitur.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

Eosdem orationis obscuræ tenebris ignorantiam suam occultare solitos.

« Cum jam in cursu, *inquit*, mea mihi mercatura esset, » mihique tantum homo desideraretur, qui velut hospitem ad » sapientiam manu deduceret, nec usquam ejus facilis mihi

» copia fieret; petebam abs te, uti ejusmodi quoque aliquem » indicares. Tu vero, * * * Quid ais rerum? si fictor aut pic- » tor esse vellem, earumque artium magistros quærerem, sa- » tisne mihi tuum istuc * * * audisse foret? num potius, qui » sic mihi responderet, eum furere dicerem? Verum id as- » sequi forte ob nimiam morum humanorum obscuritatem » non poteras : quo me quidem Colophone proficisci satius » esset, in hoc non usque adeo cæcutiebat Deus. *Gyrovaga,* » inquit, *lapides funda excutiens, anseres prudenter interfice,* » *immensos, herbivoros.* Immensos autem illos, atque herbi- » voros anseres, quos isti tandem intelligant, quis edisse- » seret? quis fundam porro ingenti gyro circumactam? » Utrum Amphilochus, an Dodonæus aliquis? an tu ipse » Delphis, si me illic sisterem? Quin tu malum hac tua gy- » rovaga funda gulam tibi frangis, cum tuo isto inexplicabili » carmine? » Sed age jam horum confutatione præmissa, vetustissima Delphorum oracula, quæque Græcis præsertim historiis ad miraculum usque celebrantur, e superiore memoria repetamus, eaque ab eodem quemadmodum redarguantur, videamus. Persarum ingens adversus Athenienses exercitus in armis erat : hi cum nullam sibi spem salutis nisi in uno Deo reliquam viderent, quem ipsi non satis noverant, tutelarem tamen ac patrium defensorem invocabant. Nimirum is Apollo Delphicus erat. Quid ergo hic Numen egregium? An pro suorum salute dimicavit? An libaminum, aut nidoris, an cæterorum meminit, quæ suum in honorem, immolandis more institutoque majorum hecatombis, ab iis fiebant? Nihil minus. Quid ergo jubet? fugere : sed ita fugere, uti ligneo muro (ita nempe classem vocabat), ad fugam uterentur : atque hanc unam, inflammata jam urbe, salutis expediendæ rationem esse dicebat. Præclarum enimvero Numinis auxilium. Deinde non aliorum tantum Urbis ædificiorum, sed eorum quoque scilicet,

quæ sacra Diis erant, pestem se fingit excidiumque prædicere. Atqui satis id vel ex ipsa hostium impressione, citra ullum Oraculum, expectari potuit. Itaque jure profecto noster ille Scriptor hunc rursus Græcorum errorem lepide ac facete his verbis illudit.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

Cum nihil belli temporibus opis ferre possent, suos ab iis clientes fuisse responsorum ambiguitate delusos.

« At ista forte, *inquit*, malitiosi prævaricatoris fuerint, » adeoque præstiterit, quid ab eodem Athenienses responsi » tulerint, in quæstionem ac disceptationem vocare. Age » ergo, cujusmodi tandem illud sit, videamus.

» Quid stolidi hæretis? misera quin ceditis urbe?
» Ut cui non solidum caput ægro in corpore surgat,
» Non palmas, imosve pedes sua robora firment.
» Namque illam flammæ, Syriosque in prælia currus
» Sternet agens Mavors, atque altas funditus arces
» Eruet, ac Superum templis incendia mittet,
» Qui nunc fortassis magno terrore subacti
» Expresso sudore fluunt.

» Ecce tibi quid Atheniensibus oraculi fuderit : num quod » in eo vel tenuissimum est divinationis vestigium? Quippe, » Tu enim (dicat aliquis) id oraculi scilicet, si aliud nihil » fuerit, carpere ac traducere audeas : at si, quæ auxilium » flagitantibus subjunxit, addideris, tum quale demum il» lud sit, intelligetur. Addamus ergo :

»Jam magnum placare Jovem Jove nata Minerva.
»Haud precibus votisque potest.
»Quod tamen indomita cognovi ex Virgine, pandam.
»Ut reliquis victor potiatur,
»Lignea securo consistere mœnia vallo,
»Optatamque tibi sobolique afferre salutem
»Juppiter indulsit natæ. Tu, ne pedes hostis
»Neve eques hic stantem inveniat, dare terga memento:
»Namque infesta tibi trahet obvius agmina Ductor.
»Divina o Salamis, matrum tu pignora perdes,
»Sive Ceres dispersa ierit, seu venerit ipsa.

»Jovem hercle tu nobis Jove dignum, o Jovis fili; dignam »Minerva Minervam fingis, o Minervæ frater: et ista volun- »tatum studiorumque pugna, patrem admodum ac filiam, »imo Deos omnino decet. Quin etiam Olympius iste tuus, »qui nisi adductum Susis infinitum exercitum admoveret, »urbi uni expugnandæ par esse non posset, magni aliquid »est videlicet, atque ejusmodi, penes quem sit orbis potes- »tas universi. Nam illud quidem quam vero simile, ut cui »ad evertendam unicam Europæ urbem vires defuerint, »idem ex Asia vim tantam populorum in Europam agere »concitareque potuerit. Tu autem, o noster audax (dicant »homines illi, quibus Jovem Olympium exorare Minerva »non potest); qui ubi causæ nihil est, usque adeo præceps »in adeundis periculis esse soles, hunc ad casum non inge- »miscis? An vero lapidibus lignisque Jupiter, non homini- »bus succensebat, ut homines quidem pesti subduceres, is »autem ædificia ascititio quadam igne consumeret? nec ful- »men ei tum suppetebat. Nisi tamen audaciores ipsi sumus, »nimiumque sine causa præcipites, qui ne vos quidem li- »bere nugas agere patiamur. At quomodo tamen, bone »Vates, futurum noveras, ut mulierum fœtus divina Sala- »mis perderet, idem utrum id sementis, an messis tempore

» futurum esset, ignorabas? Imo cur ne hoc quidem nove- » ras, fœtus illos mulierum, uti suos ac proprios, sic etiam » hostium liberos, a quolibet, qui ludificationem subodora- » retur, intelligi omnino posse? At exitus nimirum expec- » tandus est; prorsus enim alterutrum eveniat oportet. Nam » ista quidem divina Salamis, utri tandem vincerentur, » semper utique cum oraculo congrueret, quasi ad commi- » serationis sensum ejusmodi carmine vocaretur: Navalis » autem pugna sub sementis messisve tempus futura, specie » verborum plane poetica fingebatur, ne responsi vanitas, » his verborum argutiis tecta deprehendi posset; neve id » omnes continuo viderent, navalem pugnam committi sub » hyemem non solere. Jamvero ne ipsius quidem tragœdiæ » finis, aut invectorum Numinum ratio obscura est. Supplex » alterum, alterum minus exorabile fingitur: utrumque in » futuri casum, et ancipitem bellorum inclinationem op- » portune, alterum quidem, si salvi forent, alterum vero, » si perirent. Nam si ab exitio liberarentur, eo tibi ante Mi- » nervæ preces insinuatæ erant, quæ ad frangendam Jovis » iracundiam satis haberent virium: sin autem, ne id qui- » dem Vati non provisum: Nec enim Jovem, *inquit*, exorare » Minerva potest. Ita suum istuc oraculum in tristis latæque » sortis exitum bonus Artifex temperavit; uti Jupiter et sa- » tis consilio fecisse suo, nec tamen omnino filiæ observan- » tiam repudiasse videretur. Nam arces quidem plurimas » excindendas esse, id si modo ferulis, non autem ferro » ignique armati urbem invaderent, falsum esset fortassis: » tametsi aliquid tanta solis etiam instructa ferulis multitudo » potuisset. At ligneum, *inquit*, murum inveni, qui unus » expugnari non possit. Consilium das Apollo, non divinas: » et consilium quidem alteri huic geminum,

» I, fuge, rumpe moras; nec probro ignavia detur.

»Et vero, qui tuum hoc ænigma solvit, is nihilo sane minus quam tu id videbat, Athenas Persam excivisse, in »eamque urbem utpote omnium principem ac celeberri»mam impetum belli universum incumbere. Nam ego ipse, »qui nihil divinando possum, ubi rem sensissem, non »Lydo tantum, sed etiam Atheniensi, ut tergo verso fuge»ret, omnino auctor essem. Etenim

». . . . Adversum huic etiam sese inferat hostis,
»Quippe ingens equitum ac peditum vis ingruit.

»Mari vero non terra fugam suaderem. Ridiculum enim fo»ret, homines et classe instructos, et mari proximos, non »collectis undiquaque vasis, et quidquid ad manum com»meatus esset in naves comportato, salutem expedire, terra, »quibus ea placeret, libenter relicta.» Ejusmodi ergo sunt, quæ Atheniensibus Apollo respondit : quæ vero Lacedæmoniis, frivola plane risuque digna. Quippe, Civitati universæ aut obsidionem, aut extincti Regis luctum imminere denuntiat. Atqui pronum id ac proclive cuivis erat conjicere, alterutrum prorsus eventurum : nec ob futuri eventus ignorantiam hac ambiguitate verborum illudere, digna erat Numine divinatio. Auxilium ferre videlicet oportuit, ac sese tempori Græcorum assertorem probare, Græcisque potius tanquam domesticis amicis de hostibus ac barbaris victoriam comparare. Sin minus id poterat, uti saltem, ne quid ipsi paterentur, neve hostium in potestatem venirent, efficere. At is ne hoc quidem; imo nec cujusmodi sit iis futurus adversi Martis exitus intelligit. Ergo quemadmodum hoc etiam in oraculum Œnomaus invehatur, accipe.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

Responsum Lacedemoniis editum.

« At ejusdem, inquies, consilii Lacedæmoniis auctorem » esse non decuit. Recte. Nec enim, improbe Sophista, » noras, idem-ne Spartæ quod Atticæ periculum immine» ret. Itaque metuebas, ne cum iis fugam suasisset, fuge» rent illi quidem, Persæ vero nequaquam ingruerent. Et » quoniam respondendum aliquid erat, hoc responsi tamen » Lacedæmoniis dedisti,

» Nobilis o Spartæ cives, aut inclyta vobis
» Urbs Persarum armis penitus subversa jacebit :
» Aut si eadem steterit, magno Regem Hercule natum
» Tristia confectum plagent Lacedæmonis arva.

» En iterum ab omni ratione divinationis aliena conjunctio; » quam tamen omittamus licet, ne si eadem tibi de re insul» tatum a nobis fuerit, non graves tibi solum ac molesti, » sed etiam angusti egentesque videamur. Expendamus ergo » reliqua. Te omnes unum tanto in periculo aspectabant : » unum et futurorum interpretem, et rerum gerendarum » auctorem consulebant. At nimirum, cum illi te fide » maxime dignum putarent, tum eos tu bardos omnes ac » stolidos esse intelligebas; adeoque statum ejusmodi rerum » esse, quo perfacile non in Delphicas modo vel Dodonæas » argutiarum et captionum officinas, verum etiam in augu» ria, in divinationes per farinam expressas, et in eorum, » qui ventriloqui nominantur ineptias, præcipites agi homi-

»nes improvidi stultique possent. Quippe non Dii modo »per id tempus, sed etiam feles, cornices, vanæque adeo »insomniorum imagines fidem impetrant. Neque vero obs- »curum erat, eos nec utrumque potius quam alterutrum, »nec pro leviori gravius subituros esse, simulque levius hoc »demum fore, si Rex pro omnibus unus interiret. Jam vero »id etiam facile occurrebat; in communi totius urbis exci- »dio, effugium Regi patere nullum; idem autem si alio »quopiam amandaretur, aliquid forte præter opinionem even- »turum. Reliquum igitur est, ut Regem, hæc secum ipsi »reputantes, ad bellum gerendum emittant, domi vero »interea residentes, procul a discrimine, rei totius exitum »operiantur. Regi porro infinitam hostium multitudinem »paulo post excipienti, certum interitum imminere, nemo »non videbat, cum induciis quibusdam interim ab omni metu »vacuis Sparta frueretur, seseque inopinati cujusdam even- »tus spe sustentaret. Enimvero, seu eadem caperetur, seu »manus hostium effugeret; tectam manere cavillationis frau- »dem. Cur autem? Nec enim salvam, Hercule, si Rex pe- »riret, civitatem futuram dixerat, sed tantum, aut regem »unum, aut civitatem universam esse perituram. Quod sane »dictum, utrovis exitu, sive solus ipse periret, sive non, »sibi semper constaret.» Atque hic demum est vanitatis stultiæque fructus. At de Lacedæmoniis hactenus. Jam quid tandem ipse Cnidiis opem quoque suam implorantibus responsi dederit, non abs re fuerit attexere.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

Responsum Cnidiis editum.

«Nec sane dissimilis, *inquit ille,* Cnidiorum, Harpago » adversus eos movente, fortuna conditioque fuit. Isthmum » enim illum, qui tum inibi erat, tollere ac rescindere, at- » que urbem insulam efficere aggressi, ubi rem fausto licet » initio, minus postea vidissent ex voto cedere, abjectis » demum animis, oraculum consuluere. Tu vero ad eos, » *Isthmum neu munite, neu suffodite : Juppiter enim si voluis-* » *set, insulam fecisset.* Tibi porro vecordes ac stolidi homi- » nes fidem habuere, seseque Harpago, a suscepto deterriti » consilio, dedidere. Istuc autem quam veteratorie! Nam » quod, ne suffosso quidem isthmo, certum eos receptum » habituros videas, affectum opus inhibes : idemque si- » mul, utpote nequaquam ejus instituendi auctor, effu- » giendi spem ostendis aliquam. Neque tamen, si a suffo- » diendo abstinuerint, lætiorem exitum polliceris : hoc » unum affers, Jovi urbem insulam fieri non placere. Oc- » currebat nimirum, si dehortarere, parem in utramque » partem responsi vim; sin autem hortarere, expressam ni- » mium consecuturæ salutis significationem futuram. Quare, » dehortari modo, tutum imprimis ac securum Sophistæ » visum est. Atque hunc in modum, nihil prorsus ad ea res- » pondens, quorum te ipsi causa convenerant, miseros di- » misisti, qui sese tamen abstulisse aliquid putabant. » His equidem existimo, tam respondentium, quam consulentium imbecillitatem, quamque oracula isthæc omnia divinæ fa-

cultatis vacua sint, abunde coargui. Jam maleficas et fraudulentas artes, seu malorum Dæmonum, seu hominum, qui divinorum larvam induebant, ex eo perfacile intelligas; quod qui pacis et amicitiæ conciliatores atque interpretes esse debuissent, eos illi sæpissime, a quibus consulebantur, in mutua bella concitarent. Et quidem modo Lacedæmonios, quasi domesticos et amicos adversus Messenios Apollo Delphicus extimulat, modo idem adversus Lacedæmonios Messeniis, si modo humana victima Dæmones iterum placaverint, læta omnia pollicetur. Hanc tu in rem, quæ sequuntur, accipe.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

Eos, a quibus consulebantur, in mutua bella vebementius concitasse.

« At hæc omnia videlicet, ea, quæ divinationi præsto est, » sapientia explorabit, nec eam temere, quidquid occurrerit, » effutire sinet, utpote quæ rerum omnium suspensas ex » sese habeat aptasque rationes, ac velut arbitra suum qui» busque pretium ac dignitatis gradum attribuat. Neque vero » Pythium illum, ob ejus vanitatem, aut istis, aut Lacedæ» moniis, et Messeniis eaque regione, quam ipsi Lacedæ» moniis fraude victis occuparant, responsum edere patietur,

» Non te armis solum mandat decernere Phœbus,
» Atque alius tenet arva quidem Messenia fraude,
» Verum quisque dein patitur, quas texuit, artes.

»Pacis eos potius et temperantiæ meminisse, ac sorte sua »contentos esse jubet. Homines enimvero Lycurgi legibus »ad æquitatem institutos, immodicæ cupiditatis et inanis »gloriæ stimulus ad consulendum oraculum impulerat, uti »ne qui sub tolerantiæ magistris legibus educatos se fere»bant, Messeniis pugna cessisse viderentur. Atqui si ex le»gibus tolerantiæ magistris vitam instituebant, decuit eos »profecto paucis contentos, a dimicatione, armis, ac reli»qua ejusmodi vesania abstinere. Cæterum hæc tu Lacedæ»moniis contra Messenios respondisti : at Messeniis contra »Lacedæmonios, quæ sequuntur. Nam utrisque vicissim »adversus utrosque responsa promis.

»Manibus Æpytidem poscunt nigra fata puellam,
»Hanc tu si dederis, caram servabis Ithomen.

»Nam quod affers, non puram ac sinceram ex Æpyti genere »victimam, ac propterea litatum a Messeniis non fuisse; apage »mihi hæc commenta : turbis enim concitandis nemo te ap»tior. » Atque hujusmodi sunt historiæ antiquioris exempla. Cujusmodi sexcenta quoque jam usque a majoribus nostram ad ætatem proferri possent : cum tot subinde Imperatores modo ad inania bella oraculis auctoribus raperentur, modo responsorum obscuritate fallerentur, modo etiam nativa quadam inducti oraculorum fraude aberrarent. Quid enim referre attinet, quoties vel gravissimis, quod infausto cum hostibus marte pugnassent, calamitatibus conflictati, vel morbis periculosissimis laborantes, ab iis, qui vulgo Dii censebantur, opis omnino nihil remediique senserunt? Et quidem ejusmodi semper iis atque constanter ex oraculis responsa prodiere, qualia vetustis passim historiis celebrantur. Sed quoniam ex iis Pythii oraculis, quæ Græcorum omnium vocibus maxime jactantur, unum etiam illud est, quod Lycurgo sese consulenti Pythiam edidisse ferunt, his versibus comprehensum,

« Tu modo nostra subis in pinguia templa, Lycurge,
» Omnibus o Superis, Superum o carissime Patri,
» Te Divumne, hominemne vocent oracula nostra,
» Ambigimus : Divum, ut spes est, dixisse licebit,
» Æqua tuis nos jura rogas ; damus illa libenter. »

Et quæ sequuntur ; Age, quinam de isto quoque Œnomai nostri, dum oraculorum vanitatem argueret, sensus extiterit, videamus. Sic igitur ipse scribit.

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

Quæ de Lycurgo Lacedæmoniorum legislatore memorantur, Deo indigna esse.

« Sed enim Lycurgum, *inquit*, cum ad te aliquando viæ » quasi dux et explorator adiisset, cava Lacedæmone, Jovi » ac reliquæ Superum turbæ carum, venire dicebas; nec » tibi omnino constare, Deumne ipsum an hominem ora- » culo pronuntiare deberes : quin etiam addebas, te malle » Deum, quod æquas abs te leges petiturus venisset. Atqui » si Deus erat, legum idem et æquitatis imperitus esse qui » poterat ? præsertim cum Jovi ac Superis omnibus adeo » carus esset. Sed quoniam, excogitari forte sine Deo non » possent, quæ divino ex ore hominum divinissimus audiit ; » age divinam hanc ipsius quoque vocem, quæque Lycur- » gum docueris, attendamus,

» Æqua tuis nos jura rogas, damus illa libenter.

» Utinam vero, mea quidem causa, dederis : nemini enim » antea donum ejusmodi ullum promisisti.

»Dum vos (quod responsa jubent), promissa, fidemque
»Nomine firmatam Superum, et communia juris
»Civibus externisque simul defendere vincla
»Cura premet, castisque gravem celebrare senectam
»Obsequiis : dum Tyndaridæ, Menelaus, et omnis
»Heroum sacra turba suo gaudebit honore :
»Providus illæsam servabit Juppiter urbem.

»O doctrinam, Apollo, cohortationemque divinam! Non »longam sane præcepta ista tua navigationem postulabant: »nec Delphos ex Peloponneso propterea, imo ne ad Hyper»boreos quidem ipsos confugiendum fuit, unde, alterius »cujusdam vatis Asteriæ jussu et oraculo, profectos olim »memorant,

« Fragrantis Deli cives, sacrosque ministros.

»Lycurgum, hercle, putem, neque nutriculam habuisse, »neque seniorum in consessu versatum unquam fuisse : nam »et ab istis, et ab illa quoque non modo plura, sed etiam »majoris sapientiæ plena didicisset. Quanquam addes, opi»nor, aliquid, si clarius abs te quidpiam Lycurgus flagita»rit. Equidem, si aliis, uti par est, imperantibus, alii vi»cissim, uti par est, obsequentur, id non jam illi seniorum »consessui totum assignabo : proinde Lycurgum obtestabor, »uti bono animo esse velit, si quam abs te Reipublicæ »constituendæ rationem accipere, Spartamque secum re»ferre potuerit.

»Semita se longo duplex discrimine findit,
»Altera honoratas fert Libertatis ad ædes,
»Altera Servitii tectum illætabile pandit :
»Illam vis animi, et sacro concordia gressu
»Trajiciet, quam tu populis monstrare memento :
»Hanc lis dira aperit, tristique ignavia vultu.

»quam diligenter caveri jubes. Tu fortitudinem inprimis

» civibus, commendatam esse vis : id persæpe nobis occi» nere ipsi quoque meticulosi solent. Consensionem addis » animorum : id vero non tantum a sapientibus, sed etiam » ab iis, quos mutuæ dissensiones agunt, inculcatur. Quare » hujus quidem præcepti causa, per nos quiescas licet. Itane » vero? Qui te vatem prædicas, ne id quidem intelligis, » quam sæpe multi nobis istuc ipsum ingesserint, qui tamen » neque laurum comederant? neque Castaliam aquam bibe» rant, neque sapientiæ nomine supercilium adduxerant? » Quin tu autem de fortitudine, de libertate, de concordia » disseris, quemadmodum ista civitatibus præsidia compa» rentur? Desine hoc nobis imponere, uti quam ipsimet » ignoramus, eam populis viam præeamus. Præi tu ipse : » nam recta illa quidem, sed obscura nobis ac formidanda » est. » Quibus deinceps ist asubdit.

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

Seriis honestisque de rebus minime ab iis responderi.

« Enimvero dignus etiam es, quem de nuptiis præcipien» tem audiamus,

» Cœruleum pullum Argos equis tibi nobile mittat.

» Itemque de liberis,

» Ectio, justos nemo tibi reddit honores.
» Labda uterum gestat, fœtum enixura nefandum.

» Tum de coloniis,

» Auratam ad gentem densos transmitte colonos,
» Æs humeris, manibus ferrum importare memento.

» Rursus de vana gloria,

» Nobilitate omnes terra anteit una Pelasgum,
» Thraces equi, clara mulier Lacedæmone nata,
» Virque bibens, Arethusa, tuo de gurgite lymphas.

» Ac mihi quidem nihilo tu, aut iis, quos prodigiorum in- » terpretes vocant, aut reliquorum circulatorum ac sophis- » tarum turba melior videris. Quanquam hoc hominum ge- » nus, alios etiam pretio in errorem ac fraudem præcipites » agere, minus equidem miror : at te, qui Deus es, homi- » nesque cæteros pretio ab iis præcipites agi, id vero vehe- » menter admiror. Cæterum eodem plane modo bonus ille » Socrates, quærenti, uxoremne duceret, neutram in par- » tem respondit; sed tantum, utrumlibet feceris, *inquit*, » te pœnitebit. Alteri liberorum cupido, recte ac prudenter » facturum negavit, dum neglectis rationibus iis, quibus » optime liberos, si quos aliquando susciperet, educare » posset, eaque prorsus cogitatione missa, unum id ageret, » quemadmodum liberos susciperet. Alteri, qui quod male » domi haberetur, alio migrare statuerat, sanum id esse » consilium negavit, quod cum suo patriam loco relinque- » ret, tum suam secum efferret stultitiam, quæ non mino- » rem sibi apud alios, quam apud suos offensionem ac mo- » lestiam crearet. Neque vero tantum ubi consuleretur, sed » etiam ultro ac sponte hoc congressionum genus expetens, » egregia nobis effudit oracula. »

CAPUT TRIGESIMUM.

Communi prorsus humanoque sensu rerum agendarum auctores fuisse.

« Viginti ante dies, totidem postquam extitit ardens
» Sirius, umbrosa medicus sit Bacchus in æde.

» Sic enim Atheniensibus æstu vehementiore laborantibus » cecinit, medicum utique non vatem agens.

» O Presboniadæ Clymeni sate sanguine Princeps,
» Tardius, Ergine, huc sobolem petiturus adisti:
» Sed veteri temone novam conjunge coronam.

» Præclare. Atqui, prolis cupido seni juniorem uxorem esse » ducendam, ne vatis quidem istuc est, sed cujusvis na- » turæ vim non ignorantis. » At nimirum stolidos homines cupiditas transversos agit.

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.

Multa quoque ab iis imperite suaderi.

« Quare ferula quoque, si me audis, vecordes istos exci- » pies, nisi se, putidis hisce quæstionibus abjectis, ad ro- » gandum aliquid divina schola dignum adduci patiantur. » Quid enim Pario Antiocho, ubi civiles in nugas facultates

» effudisset, te vehementi cum ægritudine adeunti respondes,

» I Thason Antioche, hæc tibi sit clara insula sedes?

» Qui majori sane fructu ex te audiisset,

» Antioche ad mentem redeas, nec te improba frangat
» Pauperies.

» Quid porro Cretensium Legatis?

» Qui Phæstum ac Tarrham incolitis, Diumque marinis
» Fluctibus obsessum, Pythoa piacula Phœbi
» Sunt ritu servanda suo, sancteque cavendum,
» Ne Creta in patria, patriis Ditique Jovique
» Legibus antiquos deinceps reddatis honores.

» Quos longe utilius cum hoc responso dimisisses,

» Quos nummi, cæcusque furor, fastusque superbus
» Occupat, insanæ curare piacula mentis,
» Vos jubeo, ut sanctos melior sapientia cives
» Accipiat, nec jam patriæ qua moribus itur.
» Legibus at sacris opibus studeatis et auro

» Ac vide sis, ne tu potius quam Creta lustratione indigeas, » qui Orphicas tibi nescio quas, aut Epimenideas lustra- » tiones fingis. »

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

Eosdem se ad injuriosorum partes adjunxisse.

« Cur autem, o noster sapiens, Charilaum et Archelaum » Lacedæmoniorum Reges,

» Si partem in quæstus ab utroque vocetur Apollo
» Dimidiam, longe sors lætior inde sequetur?

» Quem tu porro alium Apollinem loqueris? nec enim istuc » profecto tibi ipsi emendicas, vates impudentissime, ne » quis tibi nefariam cum latronibus prædæ societatem ex- » probraret. » Sed de his hactenus. Addamus vero, quæ summam in Archilochi commendationem effundit, hominis ejusmodi, qui opera sua omni adversus mulieres obscenitate verborum impleverit, quam ne audire quidem homo verecundus possit : nec non Euripidis, qui cum a Socratis disciplina et institutis excidit, tum in scena passim hodieque tragœdorum ore jactatur. Homeri præterea, quem nobilis ille Plato Reipublicæ suæ finibus ejectum voluit, non modo quod usui esse nulli posset, verum etiam quod ea scripsisset carmina, quibus extrema pernicies adolescentibus crearetur. Itaque fatidicum illum Deum hac iterum Œnomaus oratione traducit.

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM.

Poetas etiam eos, qui nihil ad honestioris vitæ studia contulerint, temere ab iis ex vulgi opinione laudari.

« Immortalis erit tibi filius, o Telesicles,
» Æternumque cani dignus.

» Filius iste Archilochus erat.

» Te Mnesarche manet summo cumulandus honore
» Filius, ac meritæ summa ad fastigia laudis

»Conscendens, lætas sacro ex certamine palmas
»Auferet.

»Euripides autem ille erat. Homerus vero is, quem sic alloquitur,

»Est tibi sors vitæ duplex : geminum altera Solem
»Obscurum dabit, immortalibus altera junget.
»Vivens, extinctusque simul.

»Atque ob eam causam ex eodem audivit,

»Felix, infelixque simul, qui natus utrique es.

»Cæterum non jam homo, sed alius quispiam constanter »asseverat, eum, Deus quod esset, miserorum hominum »curam omnem abjicere oportere. Age vero, o qui te Deum »venditas? ne tu nos quidem aspernere? Nam expetimus »ipsi quoque, modo ne quid peccemus, alii decus eximium, »alii coronas sacras, alii Deorum communionem ac socie- »tatem, alii denique ipsammet immortalitatem. Quid igitur »illud erat, quamobrem Archilochum cœlo dignum puta- »res? Nec cæteris hominibus, o Deorum humanissime, »hoc in cœlum iter invideas. Quid a nobis tandem exigis? »opinor, ut Archilochi vestigiis insistamus, si tuis digni »Penatibus videri cupiamus. Acerbis nempe conviciis lace- »randæ nobis mulieres, quæ conjugium nostrum repudia- »rint : mordendi quoque pueri meritorii, cum longe im- »probos omnes improbitate ac flagitio superent. Verum id »utique versu faciendum erit, quod ea sit uti Deorum, sic »divinorum hominum, qualis Archilochus fuit, propria et »peculiaris oratio. Neque id fortasse mirum. Nam et fa- »miliarum scilicet, privatæque vitæ rationes, et Rerum- »publicarum concordia, optimisque legibus constituta po- »pulorum integritas, hujus potissimum artis excellentia con- »tinetur. Itaque nec illum sine causa pro Musarum cliente

»habuisti, et illius interfectorem vestro, hoc est divino, »congressu et voce prorsus indignum putasti, qui virum »usque adeo vocalem interfecerat. Ergo nec injustæ fuerunt »in Archiam minæ, nec importuna Pythia, quæ et Archi- »lochum pridem licet extinctum ulcisceretur, et templo »excedere impium ac nefarium hominem juberet. Quippe, »Musarum enim clientem occiderat. Ergo neque mihi ab- »surde facere visus es, dum te poetæ vindicem præstitisti. »Nam et alterius mihi poetæ, et sacrarum Euripidis Coro- »narum in mentem venit. Tametsi dubitem interdum, eo- »que libenter, non jam coronatum eum fuisse, sed quamo- »brem sacræ ejus coronæ dicantur, neque partum ab eo »decus esse, sed quorsum eximium decus illud appelletur, »audierim. Homini enimvero turba plaudebat; satis hoc »novi : Tyrannis idem placebat; ne istuc quidem ignoro : »atque ejusmodi artem factitabat, quæ non amatori suo »tantum, sed Athenis etiam ipsis admirationem conciliaret, »utpote quæ tragœdos una omnium tulisset. Si ergo vel »iste plausus, vel instructa in Arce mensa, idonei sunt hoc »in genere arbitri, nihil addo : novi enim et in Arce Euri- »pidem cœnasse, et Atheniensium atque Macedonum plausu »celebratum eumdem fuisse. Sin autem aliquod præterea »Deorum suffragium accesserit, quod utique et fide per sese »dignum, nec Tyrannorum saltem aut multitudinis opi- »nione levius esse debeat : age sis, prome tandem nobis, »ecquid illud fuerit tam præclarum, quod hanc a Numi- »num consessu Euripidis commendationem et prædicatio- »nem expresserit : uti nos quoque magnis in cœlum passibus »per impressa vestris quasi laudibus vestigia, contendamus. »Nec enim ullos amplius hoc tempore vel Sabæos, vel Ly- »cambas habemus, Comœdiæ salibus dicteriisque pungen- »dos. Nec ullus jam nobis ad Tragœdiæ gravitatem, aut »Thyestes occurrit, aut OEdipus, aut ille quondam Phi-

» neus. Quin etiam ne illi quidem, opinor, mortalium ulli » divinam expetenti amicitiam invidissent : imo si quemdam » olim Euripidem futurum suspicari licuisset, qui egregia » divinorum facinorum enarratione Deorum benevolentiam » et amorem impetraret; et suas ipsi calamitates ac scelera » neglexissent, nec ad saniora sese consilia, sed ad scriben- » dos versus contulissent. Ita si quæ forte hominum superio- » ris ævi nomina superbiæ fastusque plena audiissent, iis » quoque celebrandis viam sibi in cœlum munire voluissent; » ut eo demum perducti, cum pugilibus in Olympo, atque » in ipsa Jovis aula considerent. Nam id etiam Delphicus » vates aliquando cecinit. Jam qua de re quoque Homerus » ille beatulus Deum consulat, audiamus. Cœleste profecto » quiddam fuerit, atque ad evocandum alliciendumque Nu- » men idoneum : secus, nunquam vel cum Deus tam facile » beatum prædicasset, vel ei tanquam beato, quod sequi- » tur, responsum edidisset,

» De patria quæris : tibi matria, non patria ulla est :
» Non prope, non itidem procul a Minoide terra :
» Inque solo fatum est te finem imponere vitæ,
» Postquam ænigma novum puerorum audiveris ore,
» Pluribus implexum verbis.

» Indignum enim videbatur, scilicet, o virorum, imo Deo- » rum sapientissime, beatum istum, aut ubi terrarum ma- » ternis e visceribus exiliisset, aut ubi demum clausis morte » oculis jaceret, ignorare. Mihi vero, ut Homerus ea de re » oraculum consulens, scarabæo persimilis, ita Deus Ho- » mero non aliter harum in rerum ignoratione, quam sca- » rabæo cuidam respondere visus est. Perinde nimirum, ut » scarabæus si nequaquam eodem in stercore, unde natus » primum fuerit, aut viveret, aut consenesceret, sed infesti » venti, aut Dæmonis alicujus scarabæorum generi exitialis » impetu, aliam in regionem, atque aliud in stercus subli-

» mis raperetur : isque postea Delphico ex oraculo quære» ret, quodnam paternum sibi stercus fuisset, atque ubi de» nique mortuus conquiesceret. » Ac de poetis hactenus.

CAPUT TRIGESIMUM QUARTUM.

Eosdem auctores illos fuisse, uti Pugiles et Athletæ divinis honoribus colerentur.

Et quoniam non poëtas solum, sed ipsos etiam pugiles atque athletas, Deorum in numero suis oraculis Deus egregius collocavit, præclare quoque meo quidem judicio hoc ejus factum laudatus Scriptor hunc in modum coarguit.

« Qui pelagi fines, numerumque jacentis arenæ,
» Et muti sensus cognosti, audisque silentem.

» Utinam vero ista nescires omnia, hoc unum scires, nihil » pugilatum inter et calcitrationem interesse, uti vel asinos » etiam immortalitate donares, vel ne Cleomedem quidem » ipsum, Astypalæensem pugilem donares hoc disticho,

» Ultimus Heroum Cleomedes Astypalensis,
» Jam sacrum a vobis ferat immortalis honorem.

» Cur enim, o indigena Græcarum religionum interpres (sic » enim te Plato vocat) hominem tu istum consecrasti? An » quod in Olympico certamine adversarium uno ictu non » solum afflixerit, sed etiam patefacto latere pulmonem ejus » immissa manu abstraxerit? Dignum enimvero Deo facinus, » o Apollo! An præterea quod irrogatam sibi ea de causa » quatuor talentorum mulctam concoquere non potuerit,

»sed vi mœroris iracundiæque commotus, stomachum et »bilem universam in puerorum, qui tum in ludo litterario »versabantur, caput eruperit, succussa revulsaque columna, »quæ tectum sustinebat? Tu, inquam, o Deorum Archi-»tecte, Cleomedem propterea divinis honoribus colendum »putasti? An potius alterum hoc adjunges cum ejusdem »roboris, tum divinæ benevolentiæ monumentum: quod »cum sacram in arcam sese immisisset, adducto deinde »operculo, comprehendi ab insequentibus, in eo extrahendo »frustra laborantibus, nulla vi potuerit? Ideone Heroem »tu illum, atque ex mortalium numero eximendum esse »vis? O Cleomedes, quibus tibi artibus immortalitatem »peperisti! Sensere Dii quippe continuo pulchri facinoris »excellentiam, teque illico, ut bona quondam Homeri nu-»mina Ganymedem, in cœlum rapuere: nisi quod ille »forma ac specie, tu robore, usuque roboris egregio pla-»cuisti. Utinam ergo, bone vates, quod ante dicebam, »arena marique prætermissis, quo sit habendus in numero »pugilatus interea didicisses. Nimirum et Deos quoque pu-»giles asinos, et onagros abs te Deorum strenuissimos ha-»beremus. Extaret etiam in demortui onagri verius, quam »in pugilis tui laudem proprium hoc et singulare ora-»culum,

»Maximus hic onager Superum, non jam Cleomedes,
»Divinum a vobis ferat immortalis honorem.

»Neque vero mirum tibi videatur, quod immortalitatem sibi »onager suo quasi jure vindicaret, tam belle rebus opibus-»que divinis instructus: quodque ubi vestro de consilio ali-»quid inaudisset, impatiens injuriæ, futurum minaretur, »uti Cleomedem ipsum in voraginem calcibus contusum »dejiceret, nec illum unquam in cœlum conscendere pa-»teretur: sibi enim justius quam ipsi divina illa munera de-

» beri contenderet; quippe qui non cum eo solum, tametsi » ferreis cæstibus uteretur, verum et cum altero simul pu- » gile Thasio pugnare posset : illo, inquam, Thasio, cujus » ob statuam commoti gravius Superi, uti fidem non homo » nescio quis, sed idem ipse Deus facit, Thasiorum olim » agrum sterilitate damnarunt. Ex quibus nunc demum in- » telligo, divinum plane aliquid esse pugilatum : id quod vi- » dere nunquam, vel eorum, qui se sapientes vulgo prædi- » cabant, plerique potuere. Secus, omissis illi profecto ho- » nesti rectique studiis, ad Thasii pugilis imitationem adhæ- » sissent. Nam ut eum Superi, quemadmodum Cleomedem, » immortalitate non donarint, præcipuo tamen amore pro- » secuti sunt. Usque adeo singulare quiddam, supra cæte- » rorum hominum imagines, æneum ejus simulacrum osten- » dit, cum in caput inimici, a quo tum flagello pulsabatur, » repente cecidit, non sine divino, uti visum est, consilio. » At enimvero vecordes Thasii, et in rebus divinis peregrini, » casum iniquo ferre animo, piaculi simulacrum arcessere, » pœnas repetere, postremo in mare projicere. Frustra, ni- » hil enim egerunt : imo, quam sese gravi scelere obstrinxis- » sent; fame postmodum justitiæ divinæ administra eorum » in regionem immissa Superi docuere. Quanquam vix illi » etiam tum divinam agnoscere voluntatem potuerunt. Ita- » que tu ille Deorum humanissimus opem more tuo consu- » lentibus tulisti, hoc versiculo,

» Redde modo exulibus patriam, Ceres ampla metetur.

» Hic nempe non minus stolidi, revocandos exules non alios » esse quam homines putabant. Insulse vero : quid enim » Diis immanissimis tantum curæ sint homines ab exilio re- » vocandi, quantum imagines restituendæ? Ergo nihilo pos- » tea meliore solo uti, nihil usquam vi morbi remittente : » donec solertior quispiam, acutius de Superum mente con-

» jiciens, exulis nomine demersam illam statuam intelligi » declarasset. Et vere. Nam simul atque suo reposita loco » fuit, germinare terra continuo, Thasiique deinceps agro» rum ubertate gliscere ac luxuriare cœperunt. Quis hæc » porro non pro certissimis argumentis habeat, quam jure » ac merito divini honores divinæ athletarum vi et industriæ » debeantur? Nam et propter alterius quinquertionis sta» tuam alias violatam exarsere Dii, nec minore Locri prop» terea quam Thasii fame laborarunt, donec tu quoque hoc » responso calamitatem levares,

» Redde decus læso; seges ampla sequetur aratrum.

» Nec enim divinum iis consilium subolere ante potuit, quam » ejus te velut interpretem ac sequestrem habuissent. Quippe » Euthyclem illi quinquertionem, quasi munera a patriæ » hostibus accepisset, in vincula conjecerant; nec eo con» tenti in ipsius demortui licet imagines injuriosi quoque » fuerant; donec Superi facinoris indignitate commoti, gra» vissimam iis famem immitterent, qua sane confecti periis» sent, nisi opis aliquid ab responso tuo accepissent, quo alti» lium hominum observantiam iis præcipiebas, qui nempe Diis » non minus placerent, quam ab pultis confectoribus saginati » boves. Et iis quidem cæsis, demulcere vos interdum ho» mines placareque possunt: cæterum nihilominus vos, imo » etiam magis hominum quam boum pinguedine delectari, » vel ex eo constet, quod ubi duo tresve duntaxat hoc altilium » genus læserint, tum integro nonnunquam aut oppido, » aut populo irasci vehementius et succensere soleatis. De» buisses ergo, bone vates, non jam vates, sed unctor esse, » aut certe unctor simul atque vates, ut Delphicum aliquod » uti oraculum, ita gymnasium haberemus. Nec enim a » Pythico certamine alienum erat, uti gymnasium quoque » Pythicum existeret. » Verum ea superioribus opportune

subjunxero, quibus idem Tyrannis etiam ipsis eos, de quibus adhuc loquimur, Deos, adulationibus palpari solitos coarguit. Sic igitur de Cypselo.

CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM.

Deos etiam Tyrannis adulari solitos.

« Felix, qui properat nostras subiturus in ædes,
» Cypselus Æacides, cui serviet alta Corinthi,

» Ergo Tyranni quoque ipsi, non modo Tyrannorum insi- » diatores, felices vobis ac beati,

» Cypselus, exitium quondam pestisque Corinthi,

» Simulque Melanippus ille, qui Geloorum urbem opibus ac » felicitate cumulavit. At quis tandem, scelerate Dæmon, » si felix Cypselus est, felicem quoque Phalaridem moribus » plane geminum fuisse neget? Quare verius utique cane- » retis,

» Et Phalaris felix, et Melanippus erant,
» Quos divina duces olim discordia sensit.

» Et sane, memini me aliquando molle ac solutum abs te de » Phalaride responsum audire, quo hominem celebrabas, » quod insidiatores quosdam suos, ubi aliquamdiu cædi jus- » sisset, eos tandem ob tolerantiæ singularis exemplum ad- » miratus dimisisset. Loxias videlicet, ac Jupiter pater mo- » ras Phalaridi mortis decreverunt, quod lenius Charitonem » et Melanippum habuerit. At tu vitæ mortisque rationes,

» vix licet, præclare tamen expressisti, dum hoc facto vitam » eximium quiddam esse comprobasti. Quibus omnibus hoc » postremum adjungamus. »

CAPUT TRIGESIMUM SEXTUM.

Illos etiam jussisse, ut materia inanima coleretur.

« Res tibi Methymnæ felicius incola cedet,
» Si Bacchi caput ex tereti venerabere ligno.

» Passim quippe civitates, non lignea modo, sed etiam lapi- » dea, ærea, aurea Bacchi capita, sacrificiis ac statis reli- » gionibus venerantur : imo non Bacchi tantum capita, sed » alios etiam plerosque Deos, qui Hesiodi fabulis celebran- » tur. Enimvero triginta plane, non jam immortalium, sed » lapideorum, et ligneorum humani generis dominorum mil- » lia nutrix animantium terra complectitur; qui profecto, » si cognoscendo hominum sceleri, jurique præessent, nun- » quam eo nugarum vanitas excrevisset, uti ad vos usque » malum perveniret, Olympo quoque superato, ubi Divum, » aiunt, *Sedes secura per ævum.* Quæ securitas si vere jacta- » retur, nugas omnes excluderet, nec Olympiorum quisquam » eo vesaniæ devenisset, ut oleagineo caudici divinitatem in- » sereret. Illum etenim sagenæ plagulis irretitum Methym- » nenses extraxerant, idque semel iterumque, si placet, » imo etiam tertio, vel sæpius demissis eumdem in locum » retibus fecerant : inde vero Libycum in mare delati, ne- » quaquam eum in terram excusserant. Id enim si fecissent, » non jam, per Bacchum, easdem ad plagulas adhæsisset. » At enim caudex in capitis speciem a summo stipite confor-

» matus (rem, o Apollo, admodum prodigiosam!) quid re» rum in mari? quærat fortasse quispiam. Quid vero aliud, » nisi ut ibidem jaceret? donec enimvero furiosi homines » (piget enim Deos dicere), in eum incidentes, non a Jove » demissum quidem, sed a Neptuno emissum crederent; » eumdemque postmodum in urbem, quoddam veluti for» tunæ lætioris omen, inveherent, funestam re ipsa, non » fortunam, sed facem urbis futuram. Nec enim satis vide» licet ad exitium iis erat intestina pestis, nisi novis eam in» crementis ac viribus incussæ divinitus plagæ accessio Del» phis, ut ita loquar, arcessita cumularet. » Hactenus Œnomaus. Nunc vero ad eam rursus oraculorum philosophiam animo et cogitatione conversis, quam maledicus ille rerum nostrarum censor conscripsit, lege, sis, ex iis responsis aliqua, quæ de fato Pythium edidisse commemorat. Ac vide, num ejusmodi quoque tibi accidat tota hæc de jactatis pridem oraculis disputatio, ut eam magis etiam quam superiores ab omni divina virtute vacuam haberi putes oportere.

LIBER SEXTUS.

PROOEMIUM.

Oraculorum rationem uti superioribus libris abunde confutavimus, ita divinæ Servatoris nostri potestatis, quæ doctrina ipsius Evangelica sese prodit, et dignam Deo majestatem, et fructum in hominum vitam ab ea profectum satis superque probavimus: cum ejus unius, non alterius cujuscumque vi, humanum genus ab ea fuerit, qua Dæmonum præstigiæ universam ex omni memoria vitam oppresserant, caligine pesteque liberatum. Nunc ergo expendendis iis præterea, quæ falso ab istis de fato constituta sancitaque sunt, affectam hisce de rebus disputationem recta certoque prosequamur: ut non ejus modo rationis, quam in vaticinando tenuerunt, improbitate, sed eorum etiam, quæ ab illis decreta sunt, pravitate ac vanitate, quam impotentes et imbecilli Dæmones ii fuerint, ostendamus, quorum motu impulsuque regi oracula putabantur. Vide porro tu mihi, num ejusmodi quoque tibi accidat tota hæc de illis disputatio, ut eam ab omni similiter divina virtute vacuam haberi putes oportere, cum ex iis, quæ ad convellenda de eorum fato placita subjiciam, tum ex ipsomet ritu, quem ab iisdem suis in divinationibus adhiberi servarique ferunt. Nec enim (ut ipsimet fatentur) ex vi quadam superiore futuri præsensiones ducunt hauriuntque suas, sed tantum de eo, perinde uti homines solent,

observando astrorum motu conjiciunt. Ita nihil ipsi posse dicuntur, juvare nihil, nihil omnino, nisi quod fati necessitate teneatur, efficere. Ac reprehensionis hujus auctor ipse nobis Dæmonum vindex et defensor esto. Is enim, in eo, quod de oraculorum philosophia inscripsit, opere, sic ad verbum loquitur.

CAPUT PRIMUM.

Quæ divinare videantur, ea perinde atque homines, ex astrorum illos motu conjicere.

« Jam vero, *inquit ille*, quæcunque statuunt prænuntiantque Dii, si quando forte quæ vi fatorum eventura » noverint, pronuntient, eadem ab illis ex astrorum motu » et conversione prædici, nemo fere Deorum, quibus veritas » placet, aperte non fatetur. Deinde pergit : Consultus » Apollo, cujusmodi partum enixura mulier esset; Fœminam, inquit; id enim, cognito satus conceptusque tempore, ex astrorum situ et ratione intellexerat. Ergo hunc » in modum cecinit :

» Nascitur ex terra, pluviæ qua sicca liquentis
» Prata siti, potum genitricis funditus omnem
» Exugunt : justo interea cui tempore venter
» Succutitur. Sed fœmineus, non masculus olli
» Fœtus erit : castam observans nam Cyprida Phœbe
» Tum subiit, quæ fœmineam tibi semine prolem
» Urgebat.

» En, ut ex conceptus tempore, quod Luna cum Venere

» concurreret, fœminam natum iri conjecerit. Atqui mor-
» bos etiam eadem ratione prænuntiant. Audi enim :

» Hunc perimet serpens media in præcordia pestis,
» Unde ægro fœdi exundant pulmone dolores.

» Et quæ sequuntur. Subditque deinceps :

» Hunc morbum tibi fata creant : his certa voluntas
» Atque immota manet, liventi absumere tabe,
» Pestiferum nam stella subit Saturnia callem.

» Et quibusdam interjectis :

» Saturni at properans tristi Mars obvius astro ;
» Mars hominum pestis, vitalem abrumpere lucem
» Cogit, et emotæ vertit fundamina mentis.
» Divini te propterea mens sacra Parentis
» Jusserat infesto vitam subducere Marti.

» Ex his profecto intelligis, eos non vi quadam sua eaque divina, sed astrorum observatione mathematicorum ad leges et præceptiones exacta, vaticinari solitos fuisse ; nihil ut prorsus hoc in genere Deos inter et homines interesset, nullumque ipsi vel superius, vel naturæ divinioris proprium opus exercerent. Vide nunc, quemadmodum id etiam, quod in nostra potestate arbitrioque situm est, omnino tollant, dum non res tantum externas, aut quæ nostra ex voluntate non pendent, sed libertatis quoque nostræ consiliique rationes ex astrorum conversione suspendunt. »

CAPUT SECUNDUM.

Id etiam, quod in nobis situm est, abs ipsis tolli, dum arbitrium quoque nostrum Fati necessitate moveri volunt.

Ita nimirum Apollo, qui fieret, uti tanto nescio quis ad militiam impetu et ardore raperetur, edisserens:

« Mars olli natalis adest, stimulatque ruentem;
» Nec premet is tumulo; Jovis est nam certa voluntas,
» Martis ut eximium subito decus auferat armis. »

Itemque de altero:

« Cæsarie densa incubuit, stimulosque cruentos
» In tristem pueri auroram Saturnus adegit. »

Ac fatum sane præclara Numina tantopere pertimescunt, ut se ne fulmen quidem suis a templis arcere posse fateantur. Proinde sperent inter precandum homines de eorum auxilio vehementer, qui ne sibi quidem ipsis opem ferre queant. Quorsum vero pietas deinceps colatur? quorsum Diis honor, veneratio, obsequium debeatur, qui sibi nullam prorsus in rem per se ipsos satis esse possint? Sed oraculum audi.

CAPUT TERTIUM.

Eos, ne templa quidem sibi consecrata a fulmine defendere potuisse

« Sunt enimvero, *inquit Porphyrius*, sua quoque tem-
» plis delubrisque fata : Imo et in fatis erat, ut ipsummet
» Apollinis templum fulmine conflagraret. Id enim hunc in
» modum ille cecinit :

» Huc age Erichthonii soboles divina parentis,
» Quæ nostram expectas quæsito in limine vocem,
» Postquam eversa jacent radiantis culmina templi,
» E tectis lauro specubus diam accipe sortem.
» Cœleste ad flamen, dum contra obmurmurat aër,
» Quassatusque minas adversaque prælia miscet :
» Dum ventorum expers magno stat frigus in orbe,
» Libera nec pressus spiraeula repperit æther ;
» Ignea fax humiles cæco petit impete terras ;
» Hanc pavidæ summis pecudes in montibus horrent,
» Inque altas subeunt foveas, nec cœlitus actam
» Spectare adverso Jovis hastam lumine possunt.
» Hujus templa Deûm, quæque alta vertice surgunt
» Robora, et excelsi prærupta cacumina montis,
» Ac medio naves pelago flagrantibus alis
» Afflatæ pereunt. Quin et Neptunia conjux
» Hoc concussa vagos retro flectit verbere gressus.
» Vos igitur, licet immenso præcordia luctu
» Confecti, Parcarum animis immobile ferte
» Consilium : quibus ætherii Jovis ardua cervix
» Annuit, ut certo quidquid sub pollice fusus

» Volverit, immotum maneat. Nempe hæc quoque templa
» Cœlitus illapsis olim succumbere flammis
» Fatum erat. »

Si ergo, prout Parcarum fusi tulerint, venerandorum quoque Deorum templa, sacræque ipsorum ædes igneorum turbinum vi superantur, quænam deinceps miseris mortalibus declinandi fati spes reliqua esse possit? Quod si opis a Diis præterea nihil ostendetur, sed necesse prorsus erit

« Æquis ferre animis Parcarum immobile fatum : »

Quorsum, dicat aliquis, hæc tam supervacanea Deorum in cultu diligentia? quorsum indignis vel libatio, vel nidor, quæque rebus istis inesse fertur præmii ratio tribuatur, si nulla nos in re juvare possint? Quippe ne bonorum quidem auctores haberi debeant, sed illa potius quam ipsorum quoque malorum causam esse fatebantur. Nam si fatum erit, ut quid hominibus seu boni seu mali eveniat; id necessitate quadam eveniet, adeoque seu volentibus, seu invitis Diis, omnino futurum erit. Itaque una jam supersit colenda Necessitas; Deorum, qui neque nocere, neque prodesse queant, vel exigua, vel nulla prorsus habenda cura. Sin autem Parcis quoque præest rerum omnium moderator Deus, isque summum unus in eas habet imperium,

« His etenim (*inquit*) magni Jovis annuit ardua cervix,
» Ut certo quidquid volvat sub pollice fusus,
» Immotum maneat. »

Quidni ergo quem tu Regem universi, supra rerum omnium gradum et ordinem, ipsiusque adeo fati dominum constituis, eumdem solum quoque Deum, et bonorum Auctorem unum, ac Servatorem esse confiteris? quippe qui solus etiam immutabilia, uti vocas, Parcarum decreta mutare possit :

ut qui semel universi Regi consecratus, unum eum colere cœperit, is neque necessitati deinceps, neque fato serviat, sed tanquam liber, omnique solutus vinculo, divinis tantum ac salutaribus citra ullum impedimentum legibus et institutis obsequatur. At ista quidem veræ rationis docet auctoritas. Tu vero, quibus tandem artibus idem philosophus vim illam fati solvi posse tradat, mecum intuere.

CAPUT QUARTUM.

Fatum, ut ipsimet fatentur, magicis artibus solvi posse.

Nam cum forte quispiam obsecraret, sibi ut numen excipere liceret; Deus, cum huic rei minus idoneum, quod naturæ vinculis constrictus teneretur, illum esse responderet, eoque certos quosdam procurationum expiationumque ritus ipsi præscriberet, ita subjunxit:

«Vis divina tuo pridem magno impete victrix
»Incubuit generi. Magica hanc fugere arte licebit.»

Ex quibus manifeste profecto constat, magicam illam artem, quæ in solvenda fati necessitate versatur, ad eam utcunque declinandam, hominibus divino munere concessam fuisse. Atque hæc oratio, Porphyrii tota est, non mea. Sed, qui auctor homini erat uti magicis artibus fati vim legemque solveret, idem cum Deus esset, quidni prohibere potuit, quo minus fatali suum ipsius templum fulmine deflagraret? Imo vero, qui ad consectanda non philosophiæ, sed magiæ studia cohortatur, ejus mores obscuri esse qui possint? Quid quod ipsos quoque Deos mentiri, his verbis con fitetur?

CAPUT QUINTUM.

Ipsos quoque vates mentiri.

« Sed quoniam, *inquit*, accuratam et exquisitam astrorum motus, ac proinde futurorum ex eo pendentium cognitionem assequi non homines modo, sed ne Dæmonum » quidem plerique possunt; fit ut ii persæpe multis de rebus » consulti mentiantur. Mox ita subdit: Et aerem quidem » circumfusum in causa esse aiunt, quamobrem falsa edantur oracula, non autem præsentes Deos sponte mendacium » attexere. Sæpe itaque falsum dicturos se esse prænuntiant. » Hærent isti nihilominus, atque illos, qua stultitia sunt, » vel invitos respondere cogunt. Apollo sane, cum ejusmodi » aliquando esset, quam ante descripsimus, ambientis cœli » molestior difficiliorque tempestas, hunc in modum cecinit,

» Ne me ultra precibus cogas : nam falsa profabor.

» Ac nihil a nobis affingi, vel oracula ipsa fidem facient. » Sic enim evocatus e Diis quispiam respondit :

» Non hodie licet effari, qui sidera cursus,
» Quæ sedes habeant : vis quippe futura canendi
» Nunc astris constricta manet. »

Tum ita concludit. « Qua nimirum ex causa oraculorum » sæpe vanitas existat, ostendit. »

CAPUT SEXTUM.

Quibus argumentis tota fati ratio convellatur.

Jam, credo, quam ab omni divinitate vacua Deorum oracula fuerint, plane ac citra dubitationem ullam intelligis. Nam qui fieri possit, ut vel Numen, quod natura sua ab omni vanitate sejunctum est, si quidem ejusmodi numen per sese est, aliquando mentiatur? vel bonus Genius mendaciis in fraudem eos, a quibus consulatur, inducat? Quis porro aliquid homine majus id fuisse arbitretur, quod astrorum motu constrictum teneretur? Nam homo quidem, mortalis licet, qui modo virtutis aliquid studio tribuat, nulla vi ad mentiendum adduci unquam poterit, quod semel veritatem omni conditione potiorem habere statuerit: nec jam fati necessitatem astrorumve motum vanitati prætexet suæ; at ignem licet corpori aut ferrum admoveris, quo veraci linguæ vim afferas, stabit ille contra, et libera constantique voce exclamabit:

« Occurat ignis, gladius occurrat: seca,
» Exure corpus: sanguine ardentem sitim
» Restingue nostro: sidera in terram prius
» Labentur, ante siderum tellus plagam
» Invadet, ore quam tibi nostro excidat
» Vox ulla mendax. »

At gentium illusor, et fraudium artifex Dæmon, hoc nimirum callide finxit, quo facilius insanis hominibus impo-

neret; atque ubi res aliter quam prædictum ab eo foret, eveniret, ad fatum continuo perfugium sibi ac receptum pararet. Jam vero, cum ipse omnia suis illis oraculis ex fati necessitate suspendit, atque id etiam, quod pro libertatis nostræ motu ac potestate agitur, funditus sublatum, eadem servitute constrinxit; vide sis obsecro, quam in exitialem dogmatum pestem suos ille sectatores conjecerit. Nam si astris atque fato, non externarum modo rerum, sed earum etiam cupiditatum, quæ mentis et intelligentiæ ductum sequuntur, alligandæ rationes erunt, si humanæ cogitationes atque sententiæ vi quadam inexorabilis necessitatis agentur; nulla jam profecto philosophia est, nulla religio; probis laus ex virtute nulla; nulla Dei benevolentia, nullus denique fructus susceptorum laborum contentione dignus, cum necessitati atque fato rerum causæ omnium assignentur. Enimvero nec improbis deinceps, aut impiis, omniumque adeo scelerum turpitudine laborantibus succensendum erit; nec virtutis amatoribus laudis quidquam honorisque tribuendum. Ex quo profecto sequitur, quod ante dicebam, ingens illud philosophiæ decus periturum, si astrorum ex necessitate, non ex voluntaria meditatione studioque pendebit. Vide ergo quam in exitialium dogmatum voraginem clientes suos egregia Numina conjecerint: atque ut ejusmodi sententia, dum ad nequitiam, injuriarum licentiam, aliorumque malorum vim ac multitudinem infinitam extimulat, vitæ simul universæ perniciem ultimam moliatur. Nam ubi quis semel præclaris Deorum permotus oraculis, in animum induxerit suum, vera pariter falsaque loqui, voluntatem ad militiam adjungere, aut rem ejusmodi aliquam persequi, vel contra fugere, inexorabilis fati esse, non nostræ potestatis: quis non eum continuo videat, quæcunque sine molestiis, atque laboribus, nostraque adeo contentione perfici non poterunt, in iis omnibus languidum

et inertem futurum? Etenim qui certo quodam fato hoc illudve futurum sibi persuaserit, sive aliquid ipsi quoque laboris et industriæ contulerimus, sive non; eum tu facilioribus mollioribusque delectis, non dissolute ac negligenter victurum putas, quasi necessario futurum illud sit, quod agendum fuerit? Et vero plerosque propterea sic loqui audias, Fiet illud omnino, si fatum ita meum tulerit. Quorsum autem frustra molestus ipse mihi sim? Nam qui militiam sectatus est, is si non eo volens ac sua se sponte contulit, sed externa quadam necessitate compulsus, liquet profecto de cæteris idem sentiendum esse, qui vel latrociniis, vel sepulcris effodiendis, vel aliis impietatis atque intemperantiæ generibus, aut etiam honestioribus ac sanioribus institutis se dediderint. Hoc enim ex ista fati ratione consequens plane est. Qui ergo semel in eam inductus opinionem fuerit, nihil istorum sua se voluntate persequi, externæ necessitati tribuenda esse omnia; qui fieri poterit, ut sese, ab iis abstinendum monenti ac præcipienti, dicto audientem præbeat? Referet utique monitori suo, quemadmodum nonnullis, qui superiori memoria vixere, contigit, Ad quid hæc tu mihi monita, bone vir? Nec enim integrum mihi est hanc mentem consiliumque mutare, quando jam fatum occupavit. Quid me porro juvet contendere, ubi ne optandi quidem facultas arbitriumque relinquatur, nisi optare fatum quoque mihi sit? Optabo vero si fatum erit, ut nihil præcipias, ipsamet fati necessitate adactus. Cur ergo frustra molestus ipse tibi es? Urget nimirum eadem te necessitas, atque ut ista mihi suadeas, omnino cogit. At quorsum hac in re tantum studii? cassa quippe et inutilis cohortatio tua est. Nam in rem ipsemet incumbam ultro, si fatum erit: sin autem, inanis est utriusque contentio. Quidni autem, dissoluto potius animo, qui hac semel imbutus opinione sit, hunc in modum loquatur ipse secum? Mihi vero

certum est labori parcere, nullamque mihi frustra molestiam facessere; necessario enim, quidquid in fatis erit, eveniet. At vero qui rei cujuscunque vel studium persequitur, vel præcepta tradit; qui se ipsum aut alium quemlibet adhortatur, uti vel morem gerat vel jussa negligat; peccatum aut admittat aut fugiat; vel arguat improbos, vel probos laude afficiat : is, non palam et aperte libertatis arbitriique nostri facultatem ac potestatem relinquit, fati nomen ei solum ac vocem adjungit? Perinde omnino, ut si quis illam boni naturam, qua, hoc statu rerum, optime animantes reguntur, mali nomine appellaret. Sic enim, cum plane sentiamus, vel ad erudiendos liberos, vel ad plagas improbis mancipiis infligendas, vel ad quidlibet sive amplectendum, sive rejiciendum, non alterius nos causæ necessitate cogi, sed prorsus voluntario nostræ libertatis impetu ad hæc similiave consilia ferri : errare is merito fallique censeatur, qui hæc omnia fato quodam fieri dixerit : quo non contentionem modo studiumque nostrum, sed alios etiam vel cohortandi vel commonendi vim ac voluntatem infringat, qua tamen ratione potissimum res hominum videmus bene feliciterque succedere. Jam ipsas quoque leges ad hominum utilitatem et commodum institutas hæc opinio labefactat. Nam cui tu bono, aut imperes iis quidpiam, aut vetes, qui jam alia constricti necessitate teneantur? Imo nec hominum scelera punire oporteat, quippe qui propter eamdem causam peccarint nihil : nec eos contra, qui præclare se gesserint, honoribus præmiisque donare; quod utrumque tamen cum ad improbitatem coercendam, tum ad excitandum virtutis studium, momenti semper ac virium plurimum habuit. Adde religionem ac pietatem in Deum eadem sententia ruere, si nec Deus ipse, nec vaticiniorum istorum auctores, nobis hac semel fati necessitate obligatis, precibus licet ac religioni operam de-

mus, præsidii quidquam aut emolumenti conferre possint. Nos porro more brutarum animantium, huc illucque trahi, externa vi, quibusdam quasi funibus circumactos, ut alia necessario facere velimus, alia contra sensum mentemque nostram eligamus, cui non indignissimum ac turpissimum jure videatur? maxime cum nos ad alia sponte quadam impetuque nostro ferri sentiamus, alia rursus cum negligimus, nostri tum ipsi quoque domini compotesque maneamus; adeoque in causa simus, quamobrem feliciter quid, aut secus eveniat, cum vis aliunde nulla nobis afferatur, atque hæc uti optamus ultro, sic illa vicissim eadem plane libertate, aut defugiamus omnino, aut ex parte detrectemus. Et vero tam certa nobis explorataque est hæc arbitrii nostri ratio, ut perinde ac dum aut dolemus ipsi, aut lætamur, aut videmus quidpiam, aut audimus, id a nobis re ipsa, non ratiocinatione ulla percipi sentimus, ita nos sponte consilioque nostro duci, ac delectis nonnullis, ab aliis abhorrere sentiamus. Prorsus, ut illam arbitrii potestatem, penes naturam hanc nostram ratione et intelligentia præditam esse, fateri nemo non debeat. Sin autem, quod infinita quoque nobis præter voluntatis consiliique rationem, eveniant, id hominum vulgus perturbat; tum vero et distinguenda secernendaque rerum illarum, in quibus versamur, natura erit, et illa simul ratio consideranda, per quam ea fiant, quæ potestati nostræ subducta sint. Sic enim ejusmodi quoque rerum causam non absurdo fato, sed alteri consilio ex divina res in omnes providentia suspenso tribuendam et assignandam esse constabit. Age ergo, quæstionem istam diligenter excutiamus. Primum quidem divinæ providentiæ nutu, cum esse, tum regi simul universa, veræ religionis decreta sanciunt. Jam vero, quæ fiunt singula, pro sua quæque ac peculiari forma, dum alia quidem habitu, alia natura, rursusque alia impetu atque sensu, alia vero ratio-

cinatione, ac judicio, suaque adeo sponte arbitrioque moventur: dumque similiter alia superiori quadam et prævia ratione fiunt, alia modo superiorum vim ac ductum consequente, variam ac multiplicem hujus universi speciem ornatumque conflarunt; cum auctor omnium molitorque Deus suam cuilibet rerum generi singularemque naturæ conditionem attribuerit. Ac cæterarum quidem vim atque rationem exequi complectique difficile fuerit; arbitrii vero libertatem hunc in modum ostendere, longe facilius. Cum homo non res una quædam sit atque simplex, aut unica natura constans, sed ex duarum ac diversarum, corporis nimirum et animi, societate conflata; et corpus quidem animo, tanquam instrumentum, consequentia quadam alligatum; spiritalis vero intelligensque natura, vi principis illius rationis existat: cumque alterum ratione careat, altera prædita sit; alterum corruptionem patiatur, altera minime; postremo alterum mortale sit, altera immortalis: ac proinde corpus illud brutis animantibus affine ac geminum habeamus, animum contra cum intelligente immortalique natura quadam veluti cognatione conjunctum: mirum profecto non est, si geminum hocce germen, utpote duplicis naturæ communione temperatum, duplici quoque vitam, eaque diversa, ratione conformet: ut modo corporis naturæ serviat, modo libertatem partis divinioris propriam complectatur; adeoque simul in servitute, simul in libertate versetur, hanc a Deo, quas ob causas ipse novit, corporis animique conjunctionem sortitum. Quare, quisquis ea, quæ corporis aut animi naturæ conveniunt, fati abusus nomine, necessitati tanquam causæ subjecerit, is profecto a vera appellatione aberrarit. Nam si nec fati necessitati obviam iri potest, et quæ tam corpori, quam animo naturæ jure debeantur, partem sæpe maximam impediri solent: si rursus infinita prope alia extrinsecus eveniunt, quæ præter naturam

casu quodam animum corpusque consequantur; fatum et naturam idem esse quis putet? Si enim aut fatum ullo modo declinari, aut præter illud fieri quidquam posse negent, quod inexorabilis sit necessitas; et plurima tamen, uti dixi, animo corporique præter naturam eveniunt, perperam sane fecerit, qui unum idemque fato naturæque nomen indiderit. Enimvero, ut eorum, quæ nobis insunt, alia ratione consilioque fiant nostro, cujusmodi sunt, quæcunque cum animi natura conveniunt, alia prout corporis natura postulat; alia demum utrique, animo inquam corporique sic eveniant, ut cum aliarum rerum natura cohæreant: tamen nec ea, quæ animi arbitrium, nec ea, quæ corporis ad naturam pertinent, imo nec ea, quæ casu contingunt extrinsecus, causæ suæ merito subduci queant. Idem enim ille Deus, qui totius universi, eorum quoque simul, quæ seu libertatis nostræ sunt, seu naturæ, seu casus, auctor omnium molitorque celebratur. Nam illud divinæ Scripturæ de nulla re non accipiendum est, « Ipse dixit, et facta sunt; mandavit, et » creata sunt[1]. » Itaque, si quando nobis certa quædam expetentibus, alia præter voluntatem eveniant, admonere tum ipsi nos debemus, illud nimirum esse, duplicis hujus nostræ diversæque naturæ, corporis, inquam, animique commercium; quo fiat, uti et animus, qui natura spiritalis ac ratione præditus est, infantili adhuc per naturam corpore inclusus præter naturam ipse suam, in ratione carentium numero censeatur: et mens, cujus propria prudentia est, aliquo persæpe casu deliret, dum eam graviores præcipue corporis morbi sua de sede movent. Senectus ipsa quoque, postquam naturæ ordine corpus invasit, mentem iis solertiæ facultatisque viribus, quibus per integram adhuc ætatem florentemque præstabat, spoliare solet, et rationis, quæ tota spiritalis animi est, præter naturam, aciem retundere. Quin-

[1] Psalm. CXLIII.

etiam plagæ doloresque corporis, membrorumque debilitationes, quæ præter naturam contingunt, casu ipso plerumque animi libertatem expugnant, dum is corporis societate victus, molestiis quoque doloribusque cedit : prorsus ut certum id exploratumque habeatur, liberam illam animi facultatem, partim natura corporis, partim iis, quæ extrinsecus accidunt, quodam quasi vinculo, quod evitari nequeat, impeditam et constrictam teneri. Quanquam ejusmodi profecto sæpe est arbitrii nostri virtus atque robur, ut in plerisque rebus, et naturæ corporis, et occurrentibus aliunde casibus opponere sese ac reluctari audeat. Quippe hominem enim ad rerum venerearum appetentiam corporis natura trahit : animus vero temperantiæ ductum et consilium secutus, injecto cupiditati fræno, corporis naturam impetumque frangit. Eadem fame, siti, frigore aut cæteris id genus incommodis dum urget ac premit, ad ea, quæ naturæ conveniant, exquirenda remedia, satisque ventri faciendum, hominem excitat. Voluntas contra severioribus adducta rationibus, et religiosis quibusdam cohortationibus sponte susceptis, nativam illam corporis cupiditatem plurium etiam dierum inedia tolerantiaque vincit, ad eam subeundam vi ratiocinationis, ac suopte instinctu consilioque permota. Similiter natura sua corpus omni voluptatum genere, ac lævi mollique corporum commotione delectatur. At voluntas studio virtutis impulsa difficile atque asperum vitæ genus arripit. Jam vero existunt etiam aliquando nonnulli, qui in pejus deteriusque prolapsi, naturalem usum cum eo, quem horreat natura, commutent, mares cum maribus libidini fœdissimæ indulgentes. Ita ratio non semper naturæ cedit, sed in plerisque vincit, interdumque vincitur, ac modo trahit, modo vicissim trahitur : adeo ut si quando perniciosam fore vitam duxerit, homines ipsa nonnunquam manibus corporis sese vinculis ante tempus

expedire conetur. Quanquam, si cum propria duntaxat corporis natura luctandum ipsi foret, modica certe quidem esset ista contentio. Nunc autem, cum Deus humanæ vitæ rationes, cum aliis plerisque, uti cum feris venenatisque serpentibus, conjunctas ei ac permixtas esse voluerit; cum inter ignem, aquam, et circumfusum aërem, illasque naturas omnes, tam varias tamque multiplices, quæ iisdem elementis continentur, sedem ipsi domiciliumque statuerit: mirum profecto non est, si non modo cum propria conjunctaque secum ejusdem corporis natura, quæ suis legibus ipsa vivit, grave ac difficile certamen instet, verum etiam cum sexcentis aliis extrinsecus ingruentibus, inter quæ mortalis homo vivere, summaque tolerantia vim eorum sustinere cogatur. Enimvero certa quoque tum ciborum quorumdam natura, tum cœli temperatio; vis item frigorum æstusque flagrantior, aliaque permulta, ut peculiares quasdam naturæque suæ proprias habeant motus sui rationes, dum tamen casu nos invadunt, perturbationem libertati nostræ non vulgarem afferre solent, propter initam sibi cum corpore societatem, cujus natura rerum externarum impetus ferre non potest, sed ab iis sæpe, tametsi naturæ suæ vi fiant, omnino superatur. Præterea, quoniam degere nos oportet versarique cum plurimis, iique similem nostræ sortiti naturam, quod nostræ facultatis est, sua ipsi auferunt potestate, arbitrii sui libertate usi: fit etiam, ut alienæ simul voluntati succumbamus, dum ipsa nobis hunc in modum vel corpore vel animo tenus abutitur. Quemadmodum enim ab iis, quæ extrinsecus eveniunt, corporis sæpe nostri natura vincitur: ita voluntas ipsa nonnunquam sexcentis aliorum opinionibus sententiisque jactata, sponte licet arbitrioque suo, voluntati tamen obsecundat alienæ. Ita melior ipsa modo, modo deterior efficitur. Improborum enim consuetudine vitium contrahimus, quemadmodum effici-

mur proborum usu ac societate meliores. « Corrumpunt » enim mores bonos colloquia mala[1] : » perinde nimirum, uti virorum bonorum congressus virtutem nobis pariter salutemque conciliat. Verum, ut animi facultas illa rationis compos, alienis sæpe verbis atque rationibus huc illucque versetur : vincit tamen sua virtute nonnunquam, vimque plane divinam ostendit; quoties adversus externos assultus omnes obfirmata, cunctorumque libera quadam ingenuaque constantia victrix, nihil usquam virium remittens suarum, ad strenue philosophandum sese comparat. Quod studium dum ipsa negligit, a deterioribus pessime haberi afficique solet; quemadmodum exteriore cultu perpolita, majoris in dies probitatis accessione cumulatur. Quid porro commemorare attinet, ut certorum quorumdam et animorum et corporum aut proventus, aut penuria, tametsi casu quodam ad universi gubernationem proprie conferat, ejusque ordini præclare omnino conveniat, tamen cum singulis partibus, tum iis quoque rebus, quæ facultatis ac potestatis nostræ sunt, incredibilem sæpe affert mutationis æstum. Cæterum cunctis omnino rebus, seu consilio fiant impulsuque nostro, seu fortuito aliunde contingant, seu denique naturalem habeant ortus sui rationem, summa una præpotensque Dei providentia moderatur, quæ cum omnia permeet, tum plurima divinioribus quibusdam rationibus, captumque nostrum fugientibus administrat : cumque suis veluti habenis obsecundans hoc universum ac flexibile habeat, tum res etiam plerasque naturales ad varias temporum occasiones fingit ac mutat, itaque potestati arbitrioque nostro subditas auxilio promovet suo, ut iis, quæ extrinsecus eveniunt, suum quoque locum et consentaneum ordinem attribuat. Cum ergo tria hæc rerum genera statuantur, ut aliæ nostra ex voluntate pendeant, aliæ prout

[1] I Cor. xv, 33.

natura postulat, aliæ denique fortuito eveniant, eademque simul ad unam divini consilii rationem universæ revocentur; locus plane nullus fato relinquatur necesse est. Quinetiam fontem jam illum improbitatis noverimus, a plerisque omnibus ignoratum, qui cum nec in corporum, nec in spiritalium substantiarum natura, multo minus in iis, quæ extrinsecus accidunt, positus sit; reliquum est, ut in libero tantum animi sensu motuque reperiatur: nec tamen, dum naturam secutus, rectam insistit viam, sed tum duntaxat, cum a regio deflectens itinere, suopte arbitratu, uti juris ille sui suæque potestatis est, in alienam a natura semitam deerrat. Enimvero, cum eximium hoc a Deo et singulare munus acceperit, ut libertatem ac summum in se ipsam imperium obtineret; motuum quidem suorum rationes habet suo ex arbitrio judicioque pendentes: sed tamen divina lex cum eodem, naturali quadam societate, lampadis instar facisque conjuncta, inclamat subinde ac monet interius, uti regia incedat via, nec ad sinistram aut dexteram ullatenus declinet, viam hanc regiam, congruentem et consentaneam rectæ rationi viam esse docens. Quippe naturalem hancce legem, qua suis in actionibus uteretur, animæ cuilibet tanquam auxiliatricem, universi molitor impressit: atque ita, quemadmodum hujus vi legis, rectam ipsi viam commonstravit, sic plena illa, quam eidem concessit, integraque libertate perfecit, uti rerum meliorum delectus non laude tantum et approbatione, sed amplioribus etiam, ubi res præclare cessisset, præmiis dignus esset; quod citra vim ullam, pro arbitratu consilioque suo recte agere statuisset, cum tamen contrarium optare potuisset: contraque deteriorum electioni vituperatio suppliciumque deberetur, quod in eam suopte nutu spreta naturæ lege ferretur, ac sese perperam abusa, nulla extrinsecus necessitate cogente, sed libero plane sensu atque judicio, improbitatis ipsa caput

fontemque aperiret. Tota ergo culpa deligentis est, nulla Dei. Neque enim pravam Deus, aut naturam, aut animi substantiam procreavit. Nam bonus ipse cum sit, ullius eum rei, nisi bona quoque fuerit, auctorem esse nefas est. Bonum id omne porro est, quidquid a natura est : cuilibet autem animo ratione prædito libertatis et arbitrii bonum a natura inest, nec alium ad finem, quam ad boni electionem inditum. Neque vero, prava cum sequitur, naturæ assignandum id est; cum ipsi pravum non a natura, sed præter naturam contingat, utpote quod voluntatis opus sit, non naturæ. Cui enim optandi boni vis et facultas insit, is si minime optaverit, si repudiatis sponte melioribus, deteriora sectatus fuerit, quem ipse tandem reliquum habeat effugiendi locum, qui et intestinum sibi morbum crearit, et innatam sibi legem, perinde ac servatorem quemdam medicumque neglexerit? Quisquis ergo, nulla horum omnium habita ratione, ex necessitate potius ac siderum conversione cuncta suspendit, quique eorum, quæ ab hominibus peccantur, pravitatem, non jam nobis, sed vi cuidam ac potestati, qua moventur omnia, tribuendam esse docet; quis non flagitiosam ab eo impiamque sententiam invehi arbitretur? Nam sive casu ac temere hoc universum moveri statuet, præterquam quod in exquisitissimo illo concentu, ac rerum universarum ordine, qui motum ipse suum ex omni ævo summa cum æquabilitate convertit, omnino cæcutiet; divinam hoc ipso naturam plane sustulerit. Sive divina providentia flecti regique orbem, eamque non cunctis modo præesse rebus, sed ipsas quoque sapientissimo consilio moderari fatebitur : ne sic quidem impietatis crimen effugerit, cum et ab iis sceleribus, quæ inter homines vulgo committuntur, auctores ipsos, quasi nihil ab iis suapte voluntate peccetur, immunes ac liberos esse velit; et malorum causam in communem illam universalemque providentiam

conferat, necessitatis eam fatique nomine, obscenitatis omnis atque flagitii, quod ab hominibus suscipiatur, crudelitatis idem ac parricidii fontem esse defendens. Cujus vero major impietas esse possit, quam ejus, qui rerum omnium præpotentem Deum, ipsum, inquam, Universi Conditorem et Architectum inducat, alteri quidem impietatem aversanti, ut impius, atque in se ipsum, omni religione sublata, contumeliosus sit, necessitatem afferentem; alterum, quem ipse natura marem procrearit, ad muliebria præter naturam, non voluntarie, sed illata vi, subeunda cogentem: alterum denique, ad hominum cædes, invitum licet, divinitus impellentem? Ex eo quippe consequens omnino fuerit, nemo ut illos, qui ejusmodi sese maleficiis obstrinxerint, accusare merito possit; sed potius, ut vel ista non jam peccatorum in loco habeantur, vel Deus ipse malorum omnium auctor censeatur. Nam sive præsens ipse rebus intersit omnibus, omnia videat, audiat omnia, simulque ad ea scelera mortales adigat: sive conversionem universi, astrorumque motum ipsemet ejusmodi constituerit, cui tot maleficiorum necessitas debeatur: qui tale conflaverit instrumentum, et capiendis inducendisque hominibus laqueum machinatus sit, is profecto cur iidem irretiantur, causa sit, necesse est. Itaque seu per sese Deus, seu alia quavis, quam molitus ipse fuerit, necessitate, his malis invitos constringat; unus ipse plane, alius nemo, cunctorum malorum architectus habeatur: nec jam sceleratus homo jure, sed ejus procreator dicatur Deus. Quo quidem orationis genere quodnam aliud impium magis esse queat? Maneat igitur, qui fatum invexerit, ab eo Deum continuo Deique providentiam funditus exterminari: perinde, ut qui Deum rebus præficit universis, omnem is una tollit fati rationem. Enimvero, aut Deus et fatum idem erunt, aut alterum ab altero distinguetur. Jam

ut idem sint, fieri nullo modo potest. Nam si fatum seriem quamdam esse volunt, nexumque causarum, certo atque constanter ex cœlestium astrorum conversione pendentem: quis non priora fato ipso elementa esse intelligat, ex quibus cœlestia corpora conflata sint? quorum sane fortuitum quemdam casum esse fatum, quivis opinor merito dixerit. Quod autem elementis fortuitum est, idem illud ac præpotentem universi Deum esse, quis putet? Elementa quippe, natura sua, cum anima tum ratione carent: at Deus et ab omni corporis concretione sejunctus, et vita per sese quædam ac sapientia est, idemque non singulis tantum elementis, sed totius etiam universitatis pulchritudini, vis in procreando suæ copiam facit. Non idem ergo sunt fatum atque Deus. Sin autem diversum aliquid a Deo fatum est: utrum melius quidpiam? At Deo, nec melius quidquam, nec potentius est. Aut igitur vincet ille superabitque, quod humilius est, aut si fato malorum architecto cesserit, culpam ipse totam sustinebit, qui cum artificem mali necessitatem inhibere posset, non fecerit tamen, sed eam potius in omnium pestem atque perniciem libere grassari permiserit, seu verius id ipsemet fecerit, si quidem is et rerum omnium, et ipsius quoque fati auctor ac molitor habeatur. Nam si de universi administratione, Deo susque deque, vox denuo impiorum existat, cui tamen occludendæ aures illico sunt; cum sese divina vis ac providentia clare spectandam exhibeat, et universe operibus admirabili plane consilio solertiaque perfectis, et iis proprie, quæ nobis conjuncta cum sint, tum liberam suoque gaudentem jure animi ratione præditi facultatem evidenter ostendunt. Qua quidem fieri solet, ut infinita licet extrinsecus, aut naturæ corporis, aut susceptis ultro motibus impedimenta fortuito sese objiciant, omnibus tamen libera virtus animi constanter obsistat, voluntariam boni electionem, nostræ cujusdam potestatis esse, quæ vinci expugnari-

que non possit, ostendens. Atque id profecto, vel hoc ipsum Evangelicæ Servatoris nostri doctrinæ tempus re ipsa maxime comprobavit. Quippe, ne tu ista forte verborum inanem sonitum existimes, uno aspectu sanctissimorum Martyrum dimicationem, eorumque seriem intueri potes, qui suopte arbitrio susceptorum pro pietate certaminum labores maximos subire: quos quidem innumerabilis toto passim orbe, tam Barbarorum, quam Græcorum multitudo sustinuit; quæ cum alacriter omnes corporis cruciatus tolerasset, ac genera tormentorum omnia hilari vultu exhausisset, tum variam denique, ac specie formaque multiplicem animi corporisque dissolutionem perlibenter excepit. Quo quidem in genere, fato causam assignare ratio nulla patiatur. Nam ubi tandem, ut ex longissima memoria repetas, ejusmodi pietatis athletas siderum conversio protulit? Ecquando priusquam cunctas late nationes Servatoris nostri doctrina pervasisset, ejusmodi vita hominum universa toto passim orbe certamen exhibuit? Ecquando disciplinarum ejusmodi scholam ullam, quæ cum superstitiosum errorem convelleret, tum unius præpotentis Dei cognitionem doceret, universis hominibus, Græcisque pariter ac Barbaris, superius retro ævum aperuit? Ecquis porro clarissimorum olim ex omni ætatum memoria sapientium, seu Barbarus ille; seu Græcus fuerit, ejusmodi unquam fatum sortitus est, ut profectæ abs sese doctrinæ lucem ad extremos usque orbis universi fines propagaret, Deique apud eos, qui sacris initiati suis essent, nomen sibi et opinionem compararet? Quod si tot ac tanta nullo unquam tempore, vel fieri quisquam vidit, vel facta audivit; eorum ergo causa nexus ille causarum necessitasque non fuit. Quod enim eamdem jam olim, eadem recurrente siderum conversione, ortus plerisque fatique rationem invideret, prorsus erat nihil. Sed quo tamen fato, Servator noster Deus post adventum suum orbe

toto consecratus est; quos Græci pridem ac Barbari Deos habuerant, sublati sunt? Nec aliter quam novi Numinis doctrina sublati? Quodnam porro fatum, cunctos homines Deum rerum esse molitorem omnium docuit, fatum esse nullum profiteri coëgit? Qui fieri potuit, ut ex hominum ore simul et cogitatione fatum fati vi tolleretur? Quid eorum multitudo tanta, qui genera certaminum omnia, pro Christianæ pietatis doctrinæque defensione, cum superioribus retro seculis subiere, tum ætate quoque nostra subeunt? Uno videlicet omnes eodemque fato nati sunt, quod et illos eidem instituto doctrinæque manciparit, et eamdem ab illis sententiam ac voluntatem expresserit; illos denique non ad amplectendam solum eamdem vitæ morumque rationem, sed etiam ad eosdem omnino cruciatus religionis propugnandæ gratia sustinendos impulerit. Ecquæ tandem, si recta modo sit, ratio ferat, uti juvenes simul atque senes, nullamque adeo non ætatem, mares item pariter ac fœminas, tot barbarorum genera, servos æque ac liberos, eruditos simul et ab omni doctrina imparatos, non in aliquo terrarum angulo, non certis quibusdam sub astris sideribusque natos, sed orbe passim universo, coactos esse dicas recentem quemdam ritum patriis omnibus anteferre, mortem præpotentis unius Dei causa libenter sustinere, rectissimis de animorum immortalitate dogmatis informari, et philosophiam expressam operibus, non verbis adumbratam profiteri? Vel cæcus profecto videat, disciplinæ hæc et institutionis esse, non ullius necessitatis, adeoque manifesta voluntatis jure utentis suo, liberæque facultatis argumenta. Possem equidem sexcentis aliis hancce quæstionem rationibus illustrare, plerisque tamen hoc loco prætermissis, hactenus allatis contentus ero. Quod superest, juvat nonnulla tibi, utpote propria, et tuis illis sapientibus philosophis legenda contemplandaque relinquere, ut intelligas,

quantum Numinibus tuis Oraculorum cantoribus homo non sapientia tantum, sed etiam integritate præstiterit, qui cum egregia vaticinia mendacii et vanitatis argueret, tum ipsum quoque Pythium ob ea, quæ de fato edidit, responsa vellicaret. Audi ergo, quemadmodum philosophus ille, qui suum ipse opus, Maleficorum Impetum inscripsit, quamque acriter ac strenue, cum vulgi, tum ipsius quoque Apollinis fabulas ineptiasque castiget. Sic enim ad verbum scribit.

CAPUT SEPTIMUM.

Quemadmodum ipsi quoque Græcorum philosophi, Deorum ipsorum de fato sententias sanioribus argumentis confutarint, ex OEnomai scriptis.

« Te igitur[1] Delphis considere, ac ne si velis quidem, silere » tamen posse. Nunc enimvero vult aliquid Apollo Jovis filius, » non quod ita velit, sed quod uti velit, necessitate adiga- » tur. Placet vero, cæteris omnibus prætermissis, quando se- » mel, nescio quo pacto, hanc in orationem incidi, quæstio- » nem cum hujus loci propriam, tum scitu dignissimam » excutere. Sublata nimirum funditus, quantum est in nos- » tris sapientibus, ex humana vita, est sublata, inquam, fa- » cultas illa, quam ejusdem vitæ seu gubernaculum, seu » columen mavis, seu denique fundamentum appelles licet: » nos summæ quoque necessitatis dominam pronuntiamus. » Democritus certe quidem, et Chrysippus, nisi memoria

[1] OEnomaus, in opere deperdito.

»fallit, justam alter esse, alter dimidiam, humanæ naturæ »dotis unius omnium longe pulcherrimæ, servitutem, cer»tis abs sese rationibus confectum arbitrantur. Verum is»torum eatenus sane ratio valeat, quatenus humanis tan»tum homines utentur armis. Sin autem nos ipsum quoque »Numen oppugnabit, quinam, Dii boni! calamitatis nostræ »modus est futurus? At id neque consentaneum profecto, »neque verum fuerit, si ex iis, quæ sequuntur, conjecturæ »aliquid capere liceat.

»Finitimas exose plagas, carissime Divis,
»Hastam intus cohibens, tectusque sedere memento.

»Quid enim, dicat Argivus, licet ne, si voluero? sedere »possum, et cavere, si libeat? Tu vero licere omnino ac »posse respondebis : alioqui hoc te imperaturum nunquam »fuisse.

»Chironis magni soboles germana, Cariste,
»Desere Peliacum montem, Eubœæque tumentis
»Alta subi : sacram hic fatum est tibi ponere sedem.
»Ergo age, rumpe moras.

»Ain' tu serio? Aliquid, o Apollo, vere hominis in potestate »est? licet mihi pro arbitrio velle Pelium relinquere? Atqui »ex multis sapientibus audieram, si mihi fatum esset, in »Eubœæ promontorium venire, et sacrum ibi domicilium »excitare, me prorsus et venturum, et excitaturum esse, »seu dixeris, seu non, imo velim, nolim. Sin autem id me »quoque velle oporteat, quod abs me necessitas uti vel in»vitus velim, extorqueat : tu fide nimirum, Apollo, di»gnior es. Tibi ergo me dicto audientem esse præstat.

»I, Pariosque mone, Telesicles, Numine nostro,
»Insula in Aeria sublimem a sedibus urbem
»Condere te jussum.

»Faciam vero (dicet fortasse protervior quispiam, aut »quisquis suggillare te volet), ut jubeas nihil : id enim fa-»tum mihi est. Cæterum Aeria illa insula Thasus est, in »quam auctore Archilocho filio meo Parii commeabunt; »hæc enim insula prius Aeria vocabatur. Tu autem ut in »ulciscendo gravis et acerbus es, nunquam, opinor, ho-»minem tam ingratum atque audacem feras : qui nisi eum »rei admonere voluisses, nec id unquam ipse nuntiasset, »nec Archilochus ejusdem filius Pariorum coloniam eo de-»duxisset, nec Parii Thasum habuissent. Equidem, istuc »ne dicas, nec tamen, quod dicis, intelligas, nescio : sed »tamen quoniam et longiorem sermonem otium nostrum »patitur, nec is alienus est futurus; dic, amabo (satis enim »forte pauca de multis attigisse fuerit) : Num aliquid ego »tuque sumus? sumus, inquies. Hoc autem qui scimus? »aut quo nobis argumento nos id scire persuasimus? non »fateris, alio nullo perinde hoc effici, ac sensu quodam »perceptioneque nostra? Jam animantes quoque nos esse, »quemadmodum nobis constitit? quemadmodum ex ani-»mantibus, ut mihi quidem loquendum videtur, homines; »ex hominibus circulatorem alterum, alterum circulatoris »exagitatorem : ut vero loqueris, Deum alterum, alterum »hominem? itemque vatem alterum, alterum sycophantam? »Et habeas id tu quidem per me licet, victus fuero. A no-»bis vero hanc in præsentiarum disputationem haberi, qua »tandem ratione cognoscimus? Quid ais? Nunquid præclare »de nostra percipiendi vi, ex hoc ipso potissimum, quod »in manibus est, negotio statuimus? Omnino. Nec enim »aliud eo vel superius, vel antiquius, vel fide dignius esse »queat. Secus enim, desinat in posterum Alcmæon te nes-»cio quis, interfecta matre, domo pulsus, ejusque tamen »cupidus, Delphis convenire. Quippe, nec utrum aliquid »ipse omnino sit, nec utrum domo pellatur, nec utrum

»ejusdem cupidus sit, intelligit. At enim furat Alcmæon »licet, quæque nulla sunt, animo sibi fingat; non furit qui- »dem Pythius. Imo cave tu quoque id ei occinas,

»Tu reditum in patriam votis flagrantibus urges,
»Versus Arcadiam.

»Nam ne ipse quidem intelligis, tene quisquam de Arcadia »consulat, is ne porro sis, qui consulitur, habeasne, quod »eam in rem, qua de alius consulit, respondeas. Desinat »etiam Chrysippus, is qui dimidiatam invehit servitutem, »cum id ipsum prorsus ignoret, in Porticum ventitare, nec »eodem blennos illos bardosque venturos putet, Neminis »audiendi causa : nec jam fixo gradu, aut præsente cum »Arcesila, vel cum Epicuro absente luctetur : quando is, »quid aut Arcesilas, aut Epicurus, imo quid aut Porticus, »quid Adolescentes, quid Nemo ipse sit, nec intelligit, nec »intelligere omnino potest; nam quod multo prius est, sit »ne ipsemet aliquid, ne hoc quidem novit. At orationem »istam neque vos scilicet, neque Democritus ferat : quod »alia certior, ea quam protuli, hujus æstimandæ rei ratio »nulla esse possit; aut si aliæ præterea sint, cum illa tamen »æquari nequeant; aut si etiam æquari possint, eam certe »quidem superare non possint. Jam vero, dicat aliquis, o »Democrite, tuque o Chrysippe, tuque adeo bone vates, »si quis communem illum vobis sensum ac notionem eripere »conaretur, indignaremini, nec enim id jam esset, ingen- »tem istam nescio quam librorum supellectilem eripere. »Indignemur igitur etiam nos. Quid enim? ubi vobis ita »visum erat, certissimum hoc videlicet idemque antiquissi- »mum argumentum erit; ubi autem secus existimabitis, »tum eo potentius erit occultum nescio quid, fatalis, in- »quam, illa necessitas, qua de ne vobis quidem inter vos »ipsos convenit; cum alius eam ex divino numine, alius ex

»minimis illis corpusculis pendere velit, quæ modo deor-»sum ferantur, modo contra vibrentur sursum, atque ejus-»modi sint, ut inter sese paulo ante commissa, paulo post »dirimantur; ac vicissim disjuncta prius cum essent, ne-»cessario post modum conjungantur? Etenim quo nos ipsi »modo sentimus atque cognoscimus, eodem plane de rebus »iis, quæ aut volentibus nobis aut invitis eveniunt, statui-»mus. Neque nos profecto latet, quantum inter eum, qui »sponte incedat, et eum, qui agatur, quantum inter eum, »qui optet ac deligat, et eum, qui cogatur, intersit. Quor-»sum autem hæc oratio pertinet? Fugit te nimirum, bone »vates, quænam arbitrii nostri potestatisque sint, tuque »ille, qui cuncta nosti, ne illa quidem nosti, quæ nostra ex »voluntate sunt quibusdam quasi funibus catenisque sus-»pensa. Atqui rerum illam caput ac principium esse cons-»tat, sane non paucarum: quem autem eorum, quæ postea »consequantur, principium et causa lateat, is videlicet, »quæ ex eodem fonte oriuntur, intelligat. Impudens ergo »fuit, quisquis Laio prædixit, eum a filio interfectum iri. »Dominus enim voluntatis suæ filius iste futurus erat; nec »ullus aut Apollo, aut Apolline superior, res eas vi ulla ri-»mari scrutarique potest, quæ nec sint ipsæ, nec ullam »ortus sui necessitatem habeant. Nam illud quidem om-»nium maxime ridiculum est, quod iidem et aliquid in »hominum esse potestate, et seriem tamen nexumque cau-»sarum esse defendant. Quippe hunc enim (ut eorum sa-»pientissimi dictitant) cum Euripidis narratione congruere. »Nam ut Laius prolem suscipere vellet, id quidem in Laii »potestate situm fuisse, quod tamen Apollo non viderit: »si vero susciperet, tum ejus, qui nasceretur, manibus ip-»sum inexorabili necessitate periturum: itaque vatem ex »futuri necessitate, ejus presentiendi vim ac facultatem »hausisse. Atqui non minus sane filius voluntatis suæ do-

» minus, quam pater, erat : adeoque tam integra parentis ei » liberaque cædes, quam filii procreatio parenti fuit. Atque » hujusmodi sunt divinationes vestræ omnes. Nec melioris » notæ fuit, quod hunc in modum Euripideus Apollo res- » pondit,

» Tua omnis alto sanguine natabit domus.

» Quippe oculos sibi videlicet filius suis ipse manibus effos- » surus erat, partim maternarum nuptiarum, partim ejus » quam sibi ænigmatis solutione peperisset tyrannidis in- » dignitate stimulatus : deinde mutuæ liberorum ejusdem » cædes, ob alterius regno pulsi exilium, alterius regnandi » cupiditatem, simulque ob exulis nuptias Argis contractas, » septemque Ducum ridiculorum classem ac dimicationem, » consecuturæ. Enimvero, cum in varia imperia, diver- » sasque provincias disjuncti ac divisi essent, qui tandem » vel ea nosse potuisti, vel series illa nexusque causarum » eadem inter sese colligare? Nam si Œdipus sui quoque » juris cum esset, regnum occupare noluisset; aut si vo- » luisset quidem ac simul occupasset, idem tamen Jocastam » uxorem non optasset; aut si ea insuper uxore ducta, ne- » quaquam tamen ægritudinis molestiæque vi actus in furo- » rem atque insaniam fuisset; quomodo reliqua deinceps » consecuta essent? quomodo aut oculos sibi eruisset, aut » illas Euripidis tuasque diras suis ipse liberis imprecatus » fuisset? cætera denique, ubi priores deessent causæ, qua » tandem ratione fieri potuissent? quid tu ipse, quod de fu- » turo pronuntiares, habuisses? Præterea, si Œdipi liberis, » aut simul conjunctis animis regnare; aut initio de mutua » vicissim in regnum successione pacto, stare placuisset : » itemque si pulsus alter, non jam Argos, sed vel in Li- » byam, vel ad Perrhæbæos migrare statuisset; aut si Argos » appulsus, salsamentarium agere decrevisset, adeoque non

» locupletem aliquam et opulentam uxorem, sed paupercu-» lam quamdam, et victum manuum labore quæritantem, vel » addictam cauponariæ ducere voluisset : aut si filiam Adras-» tus suam ei negasset, aut si dedisset ille quidem, alius » tamen vel patriæ desiderium abjecisset, vel eo commotus » licet, se ipsum animumque vicisset : aut si vel auxilium » implorantem Adrastus repulisset, vel Adrasto se comitem » ac socium, neque Amphiaraus, neque Tydeus, neque » Ducum aliorum quisquam adjungere voluisset : aut si » eorum societate impetrata, reversus in patriam, manus » cum fratre non conseruisset, sed potius vel facta pace in » regni cum eo societatem venisset, vel eidem repugnanti » ultro cessisset, Euripidi obsecutus hunc in modum præ-» cipienti,

» Vesanus etiam patriæ oppressor venis :

» aut si non ille quidem, sed frater potius regno se abdicas-» set, aliis hisce ejusdem poetæ præstigiis fascinatus,

» Hominibus ergo solque noxque serviant,
» Parem ipse quemquam ferre non possis domi ?

» quomodo tandem aut prælium inter se ambo commisissent, » aut sanguine obruta Laii domus universa periisset ? Verum-» tamen hæc, inquis, omnia re ipsa contigere. Omnino. » Sed quæro nunc, qua tu ad rerum istarum præsensionem » aspirare via potueris. Non vides, quam sæpe totam fabu-» lam interceperit ea, quæ vere fabulam in nobis potestas » implet ? Ego vero, quodcunque tu argumentum delege-» ris, eadem facilitate nexum hunc vestrum incidam, nec » ullo modo stare posse convincam. Dices argumenti novis-» sima explorata tibi ac perspecta esse ; Atqui ex hujus quo-» que nexus interrupta vi argumentum illud universum ap-» tum est. An forte, quid dicam, non intelligis ? Existunt » nimirum, bone vates, ab ipsis animantibus in quovis ar-

»gumento initia quædam, pauciora nonnunquam, interdumque plura. Ubi autem ea rerum ad sese pertinentium »connexionem ac seriem interciderint, ipsarum quoque »rationes naturamque mutant. Eædem porro eatenus dun»taxat progredi poterunt, dum principium aliud aliunde »nullum ingruet, quod secum, non autem cum superiori»bus sequentia cohærere jubeat. Fingamus ergo aliquod »ejusmodi principium esse asinum, canem, pulicem; ne»que enim, per Apollinem, suam vel pulici facultatem et »instinctum eripias: suo ipse quoque ac proprio feretur im»petu, adeoque rebus nonnunquam humanis implicitus, »cujusdam sese viæ ducem principiumque constituet. Tu »autem hoc abs te quoque animalium genere consuli non »intelligis.

»O Locre, Herculeam ferro Trichina ruisti:
»Juppiter ipse graves ultra pro crimine pœnas
»Exiget.

»Quid ais? non decretum id fati a vobis erat, uti everte»tur? num hujus auctores excidii fuimus, ac non potius »vestra illa necessitas? Injuriosus es, o Apollo, nec verum »est pœnas abs te nobis, qui nihil peccavimus, irrogari. »Nam vester quidem ille Jupiter (illa inquam necessitatis »vestræ necessitas), quorsum in nos, ac non potius, quando »pœnas libet exigere, in se ipsum animadvertat, qui ejus»modi esse necessitatem ostenderit? Quorsum vero nobis »minatur? quorsum ipsi, quasi ea res potestatis nostræ »fuerit, fame contabescimus? Cæterum ejusdem civitatis »aliquid aut a nobis instaurabitur, aut non: utrum autem »eveniat, in fatis jam est. Desine ergo, Jupiter famis archi»tecte, gravius irasci. Est enim id, quod ut esset, fatum »fuit, atque id tuus iste nexus perficere jussus est, nos vero, »si cum eo committamur, nulli sumus. Tu quoque, Apollo,

» frustra vaticinari desine. Erit enim id profecto, quod futu-
» rum est, ut maxime tacueris. Nos autem, Jupiter, tuque
» Apollo, quid agamus, qui nullo modo impositæ a vobis
» non tam legis, quam necessitatis causa simus? Quid nobis
» cum vestris illis pœnis ac furiis, quas ipsi profecto, ob
» ea, quibus per vim obstricti sumus, ferre merito ac sus-
» tinere debeatis?

» Ne vos, Œtæi, cæco mens improba motu
» Abripiat.

» Atqui non festinamus, Apollo, sed agimur; nec amentia,
» sed necessitate vestra. Jam vero, Lycurgum, Apollo, quid
» est, quamobrem ita prædices, qui non sponte sua, vel
» inductione animi probus erat, sed plane invitus? si tamen
» probus quisquam invitus esse potest: perinde omnino
» agitis, ac si quis elegantes ac formosos laudaret præmiis-
» que afficeret, turpes vituperaret ac puniret. Merito quippe
» vobis improbi objiciant, virtutem sibi per vos minime co-
» lere licuisse, imo vobis cogentibus sese improbos fuisse.
» Probos vero, si nimium sibi placuerint, nemo ferat: imo
» non jure succlamet nemo: Audi, sis, Chrysippe, tuque o
» Cleanthes, vosque circuli ejusdem cæteri (vobis enim pro-
» bitatem attribuitis); equidem virtutem laudo, vos tamen
» etiam virtute præditos non laudo. Quin Epicurum illum,
» quem tu, Chrysippe, adeo vehementer insectaris, si rem
» tuis ex decretis definio, ab omni crimine liberum pronun-
» tiem. Quid enim ageret, qui non sponte sua vel ad vitæ
» mollitiem, vel ad improbitatem adhæresceret? quo tu eum
» nomine criminari soles.

» In placidos hominum inclinant pia Numina mores,
» Horum etiam cultu, et sacro lætantur honore.

» Mihi quidem plane persuadeo, nunquam vos ita locutu-
» ros esse, nisi homines ad ea, quæ sequuntur, non vi ulla,

» sed voluntate sua duci crederetis. Quæ porro voluntatis » nostræ sint, nemo unquam, neque Deus, neque homo » necessitati assignare audeat. Aut si quis tamen erit ejus- » modi, non jam verbis cum eo contendamus, sed arrepta » (ut in contumaces pueros fieri solet), duriore scutica, » plagis ei latera egregie concidamus. » Atque illa sunt, quibus in bonum vatem Œnomaus invehitur. Qui si tibi satis non est, perlege, quæ a cæteris philosophis de fato dicuntur, quæque non producta modo superius oracula, sed etiam quidquid usquam huic dogmati statuendo excogitari solet, funditus evertunt. Nam cum non rndes solum et imperiti, sed etiam qui doctrinarum ac sapientiæ studio maxime gloriantur, hac simul opinione trahi jam soleant, mutuas philosophorum ipsorum pugnas, quo propositæ quæstionis veritas accurate dispiciatur, oculis subjicere necessarium arbitror. Primum igitur, ex Diogeniani operibus, quæ ab eo contra Chrysippum de fato disputantur, recitabo. Ita habent.

CAPUT OCTAVUM.

De eodem ex Diogeniano Peripatetico adversus Chrysippum, qui simul et causam nobis rerum vindicare conabatur, et fato tamen omnia fieri contendebat: quodque non ceperit, quæ ab Homero de fato dicuntur.

« VERUM operæ pretium fuerit, *inquit*, superioribus om- » nibus Chrysippi quoque hominis Stoici hoc loco senten- » tiam adjungere. Ille enim primo libro de fato, cum neces- » sitatis omnia fatique legibus teneri probare vellet, cum

» aliis quibusdam, tum sequentibus Homeri poetæ testimo-» niis usus est :

» . . . . Me fatum absorbuit atrox
» Quod me vitales nascentem eduxit in auras [1].

» Itemque :

» . . . . Exin cuncta feret, quæ neverit olim
» Parca sibi, matris cum primum exiret ab alvo [2].

» Et rursus :

» Nemo hominum sese fato subduxerit unquam [3].

» Quo in genere non vidit, alia pleraque apud eumdem » poetam extare loca, quæ cum istis omnino pugnent. Qui-» bus tamen, sequente libro, ad probandam in plurimis » voluntatis nostræ vim ac potestatem, ipsemet abutitur. » Cujusmodi illud est :

» Illos quippe animi pravus male perdidit error [4].

» Itemque quod sequitur :

» Proh ! quanta in Superos mortales crimina fingunt !
» Nos illi causasque vocant, fontesque malorum :
» Cum mentis vitio, sibi præter fata dolores
» Sponte creent [5].

» His enim profecto atque similibus, non omnia fato fieri » docetur. Imo ne hoc quidem videre potuit, Homerum » dogmati suo, nequaquam superioribus illis versibus suf-» fragari. Nec enim is omnia, sed aliqua tantum fato assig-» nanda esse ponit. Nam illud quidem,

» . . . . . Me fatum absorbuit atrox,
» Quod me vitales nascentem eduxit in auras,

[1] Homer., Iliad. XXIII, 19. — [2] Ibid., XX, 28. — [3] Ibid., VI, 488. — [4] Ibid., IV, 409. — [5] Id., Odyss. I, 32.

» mortem solum, non omnia fato contingere significat: » recte id quidem, omni enim animanti, ex quo nascitur, » continuo mori fatum est. Quod sequitur,

» . . . Exin cuncta feret, quæ neverit olim
» Parca sibi, matris cum primum exiret ab alvo,

» eumdem plane sensum habet. Nec enim quæcunque dein» ceps futura essent, ea fato futura pronuntiat omnia, sed » eorum nonnulla duntaxat necessitati tribuit. Nam illa vocis » hujus, *Quæcunque*, distinctio, quid tandem aliud, nisi » hoc ipsum, indicat? Nobis porro, uti non omnia, sic ple» raque vi necessitatis ingruere certum est. Illud etiam,

» Nemo hominum sese fato subduxerit unquam,

» optime dictum est. Quis enim ea, quæ animantibus omni» bus necessario eveniunt, declinare possit? Tantum igitur » abest, ut Homerus Chrysippo, rerum omnium rationes » in fato collocanti, suffragetur, ut etiam cum eo pugnet; » cum ille multa sæpe ac diserte juris arbitriique nostri » fecerit, nusquam vero necessitati omnia conceptis verbis » assignarit. Cæterum poetæ fortassis, qui non jam rerum » nobis earumque naturæ veritatem pollicetur, sed mul» tiplices ac varias hominum perturbationes, morumque » ac sententiarum rationes congerit, pugnantia sæpe loqui » liceat: philosophum quidem neque pugnantia loqui, ne» que poetarum in eum finem testimoniis abuti deceat. » Et nonnullis interjectis. « Aliud, *inquit*, fato rebus in omni» bus statuendo, potens in primis ac solidum argumentum » esse Chrysippus arbitratur ipsam nominum ejusmodi ratio» nem. Nam πεπρωμένην quidem, perinde ac πεπερασμένην quam» dam, hoc est omni ex parte cumulatam perfectamque ad» ministrationem, appellatam esse vult: εἱμαρμένην vero quasi » εἰρημένην, hoc est, omni ex divina voluntate, aut alia quavis

» ex causa nexam atque aptam. Quin etiam Μοίρας (Parcas), » ex eo dictas opinatur, quod unicuique nostrum una earum » aliqua μεμέρισθαι, attributa sit. Imo nec aliunde τὸ χρεὼν ap- » pellatum esse, quam quod fato ipso debeatur. Jam Par- » carum numerum, tribus illis temporibus, quibus omnia » volvuntur ac perficiuntur, accommodat. Et Lachesin qui- » dem ita nominatam esse, quod suam cuique sortem λαγχάνῃ » attribuat: Atropon vero, κατὰ τὸ ἄτρεπτον, quod ea sors nec » mutari nec declinari possit: Clotho denique, παρὰ τὸ συγκε- » κλῶσθαι, quod uno veluti communique stamine ducta con- » nexaque omnia sint, et unum aliquem proprium ac singu- » larem cursum et exitum habeant. Atque his similibusque » nugis, eam se fati necessitatem, quæ rebus omnibus do- » minetur, confecisse putat. Mihi vero plane mirari subit, » quemadmodum ipse, dum ista diceret, quam inania » quamque frivola diceret, non senserit. Esto enim, demus » eos tum, quos in eruendis notationibus illis sequitur, ho- » minum sensus et cogitationes fuisse, cum ejusmodi no- » minibus uterentur, quod fato teneri omnia, et immutabi- » les ex omni ævo rerum earum, quæque sunt, quæque » fiunt, positas ante ac defininitas esse causas putarent. » Quorsum ergo, Chrysippe, omnes tibi hominum opinio- » nes probantur? cur falsa ullo in genere videtur nulla? » Num verum arbitraris non pervidere neminem? Cur ergo, » præter unum sapientem, mortalium neminem non perinde » ut Orestem aut Alcmæonem furere existimas? sapien- » tem vero nonnisi unum aut alterum extitisse, reliquos om- » nes, non minore quam ambos illos insania teneri ac labo- » rare vis? Deinde, quemadmodum opiniones illas tanquam » falsas evertis, quas de opibus, de gloria, de imperio, de- » que omni voluptatis genere imbiberunt, quas res in bonis » plerique ducunt? quorsum leges omnes, omniaque rerum- » publicarum genera perperam instituta esse defendis? aut

»si nulla in re secus homines illi sentiebant, quorsum tot »volumina conscripsisti? Neque enim, opinor, sapere tum »demum eos dixerimus, cum ad opinionem sese tuam ad- »junxerint, ubi autem ab ea discesserint, furere. Primum »enim, sapientem ne tu quidem ipsum te pronuntias, ne- »dum pronuntiemus ipsi, ut ex eo recte illos interdum sen- »tire judicemus, quod sese aliquando ad tuam sententiam »aggregent. Deinde, ut id quoque verum sit, quid necesse »fuit insanos pariter ac simpliciter omnes appellare? quin »tu eos potius, quatenus in eadem, qua tu, sententia ver- »sabantur, laudabas tanquam recti ac veri aliquid secutos: »quatenus vero ab ea discrepabant, erroris eos ac stultitiæ, »si ita videbatur, arguebas? Testimonium quidem veritatis »idoneum et exploratum id habere, quod ita sentirent, id »vero si non insanire, quod tu de illis existimas, saltem ab »omni sapientia prorsus alienum esse nemo non jure fatea- »tur. Ridiculus ergo es, dum testes eos ab ejusmodi nomi- »num impositione laudas, quibus tamen nihil unquam ju- »dicio saltem prudentiaque concedas: nisi vero, qui ab ini- »tio genus hoc nominum rebus istis indidere, sapientes »iidem casu aliquo fuerint; id quod tu nunquam ostenderis. »Verum detur etiam hoc, quamque defendis, ea nominibus »illis significatio tribuatur, nec errore opinionis ullo factum »istud fuerit. Quomodo tamen omnia prorsus fato fieri si- »gnificant, ac non potius (si qua nominum istorum vis »est), ea tantummodo, quæ fati lege teneantur? Nam et »Parcarum numerus, ipsarumque nomina, et Clothonis »fusus, et glomeratum in eo filum, ductique ex eo stami- »nis necessitas, et quæcunque adduntur præterea, certum »forte quemdam atque ex omni æternitate aptum causarum »inter se nexum iis in rebus ostendant, quæ necessario vel »ita fiant, vel aliter habere non possint. Cujusmodi ut esse »plerasque fateamur; quæcunque tamen ejus conditionis

»non sunt, iis homines partim moderatores auctoresque »Deos attribuerunt, partim nos ipsos, partim naturam, at- »que Fortunam causas earum proprias esse voluerunt. Ac »fortunæ quidem ut instabilem volubilemque motum, per- »petua mutatione conjunctum ostenderent, eaque rerum »inconstantiam simulacro quodam adumbrarent, insiden- »tem globo Fortunam expressere. Quid si ne ista quidem »apud homines fixa omnino rataque videntur esse? ut enim »causas interdum principiaque conturbent, quæque vel »fato, vel casu fiunt, ea divino numine fieri arbitrentur; »quæ vero arbitrii nostri viribus efficiuntur, eadem fato »assignanda putent: quin principia tamen omnia rebus ip- »sis inesse opinentur, nemo non videt. Quare ne com- »munis illa quidem hominum existimatio, vel ejusmodi »nominum impositio Chrysippi sententiæ suffragatur.» Qui- bus deinceps ita subdit. « Ac primo quidem, *inquit*, de »fati necessitate libro, id genus demonstrationibus uti- »tur: secundo autem absurda illa diluere conatur, quæ ex »ea opinione, quæ omnia necessitate constringit, conse- »quentia videantur, quæ nos quoque sub disputationis hu- »jus initium posuimus: exempli causa tolli funditus eum, »qui e nobis ipsis existit, impetum, seu vituperet quispiam, »seu laudet, seu cohortetur, seu quid aliud eorum fiat, »quorum causa esse consuevimus. Itaque libro secundo, »multa quidem nobis auctoribus fieri! atque id perspicuum »esse, ultro fatetur: eadem tamen communi fato ex uni- »versi administratione apta esse nexaque contendit. Atque »is hoc in genere, hujusmodi quibusdam exemplis utitur. »Nam ut quis vestem non amittat, inquit, simpliciter in »fato non est, sed ea demum conditione, si diligenter eam »conservet: sic, ut unus aliquis ex hostium manibus libere- »tur, si modo ab iis sibi caveat: sic, ut quis liberos susci- »piat, si versari tamen cum uxore voluerit. Quemadmodum

» enim, inquit, absurde faceret, qui Hegesarchum pugilem, » quod eum prorsus illæsum e certamine discessurum au- » diisset, demissis abjectisque manibus pugnare vellet, quan- » doquidem fatum ab omni eum plaga securum præstaret : » cum is, cujus ea vox esset, id tantum ob insignem atque » singularem hominis in declinandis ictibus cautionem, fu- » turum dixisset. Ita cæteris in rebus eodem plane modo » philosophandum esse. Quippe, multa plane, nisi et ea ve- » limus, et in eadem acerrima simul contentione ac vehe- » mentissimo studio incumbamus, fieri nullo modo posse, » utpote quæ fatum sit cum ea tantum conditione fieri. Hic » vero quis non iterum inconsultam et ineptam hominis phi- » losophiam, vel ob novitatem probationum, vel ob argu- » mentorum discidium jure miretur? Equidem sic existimo, » nihilo magis rebus iis, quæ fato fiunt, cum iis quæ nostra » ex voluntate pendent, quam dulci cum acerbo, vel nigro » cum albo, vel calido cum frigido convenire. Nam ut ea » fato assignari vulgata notione solent, quæ velimus noli- » musve fiant; sic potestatis ea nostræ censentur, quæ vel » studio laboreque nostro perducantur ad finem, vel negli- » gentia nostra imperfecta remaneant. Si ergo vestem, quod » diligens in ea conservanda fuerim, non amisi : si abs me » liberi suscipiuntur, quod rem habere cum uxore voluerim : » si quod mihi ab hostibus caverim, eorum manibus non » interii : si quod fortiter ac strenue cum adversario certa- » verim, ejusque petitiones omnes diligenti cautione eluse- » rim, eodem certamine sine plaga defunctus sum : qui locus » in his rebus fato relinquitur? Enimvero si fato hæc omnia » contingunt, eadem vi nostra contigisse nemo jure dixerit : » sin autem vi nostra, fatum profecto simul excludatur, » quod nullum inter sese duo ista commercium habere pos- » sint. Imo, inquit, vi simul voluntatis nostræ fient. quod » ea vis facultasque nostra ipso quoque fato clausa teneatur.

» Ain tu? teneatur! Qui fieri possit? nam si vestem et con-
» servare, et non conservare, libertatis arbitriique mei est:
» certe ut eadem conservetur, in mea quoque potestate si-
» tum est. Sed enim manifeste vel ex ipsa Chrysippi distinc-
» tione sequitur, antecedentem in nobis causam ab omni fato
» liberam ac solutam esse. Quippe, vestem enim, inquit, con-
» servari fatum est, si eam servaveris; suscipi abs te liberos, si
» volueris: secus, neutrum fieri. At in iis, quæ fati necessitas
» occupasset, conditionibus istis nunquam uteremur. Nec
» enim moriturum quemlibet hominem dicimus, si quid fac-
» tum erit; non moriturum, si factum non erit: sed plane ac
» simpliciter moriturum, quidquid demum ad mortem devi-
» tandam factum erit. Nec certum aliquem, si hoc illudve fece-
» rit, ab omni dolore immunem futurum; aut simpliciter, ho-
» minem quemlibet, velit nolit, dolori esse obnoxium. Atque
» ita de cæteris omnibus, quæ hoc modo, non aliter, habere sese
» fatum est. Quare si aliquid fieri necesse est, modo id ve-
» limus; secus autem, minime: liquet omnino, ut illud ip-
» sum aut vellemus aut nollemus, causam aliam antece-
» dentem fuisse nullam; sed utrumque prorsus in nostra po-
» testate situm. Quod si nulla id necessitate constrictum
» est; ut certi etiam aliquid fiat, antegressam ex æternitate
» causam nullam esse constat: nisi forte, quod vestem con-
» servare aut voluerimus aut noluerimus, hoc ipsum fato
» quodam, et causæ alicujus extrinsecus antegressæ neces-
» sitate factum dicatur. Atqui, funditus hoc modo facultatis
» et arbitrii nostri ratio tolleretur: nec jam in me vestis aut
» conservandæ, aut amittendæ causa antecederet: adeoque
» ut omni, vel ea perdita, reprehensione merito carerem
» (alia enim extrinsecus jacturæ causa præfuisset): sic ea-
» dem conservata, laude nulla dignus essem, quod per me
» conservata non fuisset. Tu vero, perinde ut si hæc omnia
» defendere una posses, ita oratione contendisti. » Hæc Dio-

genianus. Jam vero superioribus illis Alexandrum Aphrodiseum adjungamus, qui et ipse libris iis, quos de Fato edidit, hunc in modum sententiam istam confutavit.

CAPUT NONUM.

De eodem, ex Alexandri Aphrodisei scriptis.

« Eorum, *inquit*, omnium, quæ fiunt, principia, in quatuor (ut divinus Aristoteles docuit) causarum genera dividuntur. Principiorum enim alia vim efficiendi, alia materiæ rationem habent. His accedit causa formalis, ac præter illas tres, quartum quoque principium, finis inquam, cujus gratia fit, quod efficitur, numerari debet. » Ac tot quidem principiorum discrimina recte statuuntur. » Quidquid enim rei cujuscunque principium est, idem ad » causarum istarum aliquam pertinere reperies. Nam, ut » quæ fiunt, tot causis non indigeant omnia; quæ tamen » pluribus indigent, ea nunquam assignatum numerum superant. Verum illustrior futura est earum diversitatis ratio, » si in certo quodam eorum, quæ fiunt, exemplo cernetur. » Existat ergo a nobis in statua, principiorum allata distinctio. Statuæ igitur efficiens principium artifex ipse est, » quem propterea statuarium appellamus: ejusdem materia', » æs, quod arti subjicitur, aut lapis, aut aliud ejusmodi aliquid, quod artis ex præceptionibus conformetur: nam id » quoque statuæ existendi principium est. Accedit utrique » forma, quæ ab artifice subjectam in materiam inducitur, » quæque pariter statuæ principium est. Quare vel discum

» jacientis, vel jaculantis in morem, si formam spectes, vel » alia qualibet peculiari singularique figura simulacrum ex» pressum est. Nec ista solum conflandæ statuæ principia » sunt; nulli siquidem eorum, hoc in genere, finis ille ce» dit, cujus gratia elaboratur; cujusmodi vel cujusdam ho» nor, vel erga Deum religio est. Hæc enim causa si deesset, » ne affecta quidem et inchoata statua fuisset. Tot ergo cum » sint principiorum genera, quorum discrimen nemini non » perspicuum est, fatum inter efficientia jure censebimus, » cum in rebus iis, quæ fato fiunt, cum arte statuarii pro» portione comparetur. Hoc autem cum ita se habeat, con» sentaneum fuerit de principiis efficientibus disputationem » instituere. Sic enim facilius intelligetur, omniumne, quæ » fiunt, assignanda fato causa sit, an aliis præterea non» nullis concedendum, ut efficientia rerum quarumdam prin» cipia censeantur. Aristoteles igitur, cum omnium, quæ » fiunt, partitionem institueret, nonnulla quidem alicujus » rei gratia fieri docuit, cum ipsorum artifici scopus operis » quidam est finisque propositus: alia vero nullius, cujus» modi sunt, quæcunque auctor nullo consilio fecerit, nul» lumque proinde certum ad finem propriumque retulerit. » Exempli causa paleas modo retinere, modo versare; ca» pillos vel attrectare vel extendere, quæque sunt generis » ejusdem. Nam ista quoque fieri perspicuum est, finem ta» men ea, causamve, cujus gratia fiant, nullam habent. » Verum hoc rerum genus, quod inconsiderate ac temere » fiat, causæ nihil est, cur de statuenda peculiari ejus nota » et ratione laboremus. Quæ vero ad certi quidpiam refe» runtur, et alicujus gratia fiunt, horum alia naturæ ductu » fiunt, alia rationis. Nam et quæ naturalem ortus sui cau» sam habent, ea certis quibusdam numeris, statoque ac » definito ordine singularem ad finem perveniunt, quem » ubi assecuta sunt, tum demum fieri desinunt; nisi quid

»iis occurrat, quod naturalem ipsorum ad id, quod sibi »propositum est, cursum impediat. Similiter quæ ratione »fiunt, aliquem ad finem spectant. Nihil enim, quod ra- »tione fiat, temere fieri potest. Quidquid ejusmodi est, »scopum ad aliquem referatur necesse est. Jam ea ratione »fieri dicuntur, quæ suis ab auctoribus, quemadmodum »quidque fieri debeat, accurate secum matureque cogitanti- »bus, efficiuntur. Atque hujusmodi sunt, cum ea, quæ »artis præceptionibus, tum quæ voluntate consilioque fiunt. »Cæterum hæc inter et ea, quæ naturam sequuntur, hoc »interest; quod illa principium in seipsis ortus sui cau- »sasque proprias habeant (talis enim ex sese natura est); »cumque certo quodam ordine fieri soleant, eorum tamen »effectrix natura, non jam ratiocinatione, ut fit in artibus, »in iisdem efficiendis utatur: at quæ vel arte vel consilio »fiunt, iis nec in seipsis, sed extrinsecus et motus prin- »cipium, et causa efficiens antecedat, et eorum effectioni »auctoris deliberatio præeat. Jam rerum istarum, quæ ali- »cujus gratia fiunt, tertium quoddam genus ex iis consti- »tuit, quæ casu ac temere fieri creduntur: hoc tamen ab »illis discrimine, quæ, nonnisi causis, ob quas fiant, an- »tegressis, existunt, quod in illis, quæ finem antecedunt, »ea quoque finis gratia fiant: in istis, quæ finem antegre- »diuntur, ea cum alterius causa fiant, tum iisdem vero »dum ita fiunt, sic tanquam finis quidam id occurrat, quod »temere casuque fieri dicitur. Quibus hunc in modum con- »stitutis, atque omnibus, quæ fiunt, hos in ordines ac ge- »nera distributis, sequitur deinceps, uti quam ad princi- »piorum efficientium classem revocari fatum debeat videa- »mus. Utrum igitur ad eorum, quæ nullius rei causa fiunt? »an potius id plane absurdum videatur, cum et fati no- »mine ad finem aliquem designandum constanter uti solea- »mus, et finem ipsum fato contigisse dicamus? Itaque su-

»perest, ut in iis fatum numeretur, quæ alicujus gratia »fiunt.» Hæc totidem verbis Alexander, quibus explicatis, confirmat deinde pluribus, fatum aliud esse nihil, quam quæ natura fiunt, quod in iis, quæ provisione nostra consilioque perficimus, nusquam ea, quæ fati propria est, necessitas appareat. Addit præterea, eorum quamplurima, quæ naturam sequuntur, obicibus quibusdam inhiberi, quæ præter naturam vocari soleant, quemadmodum in iis, quæ arte fiunt, præter artem pleraque dicuntur. Quod si semel præter naturam fieri nonnulla dabitur, detur etiam præter fatum eadem fieri necesse est, si quidquid naturæ tribuitur, illud ipsum est, quod fato fieri dicitur. «Et corpus quidem »videmus, *inquit*, quod hoc illove modo a natura sese ha»beat, morbis etiam atque morti pro naturali temperatione »obnoxium fieri. Quanquam ne id quidem in omnibus ex »æquo, vel necessario locum habet: quod ejusmodi habi»tus partim cura et studio, partim mutatione victus, partim »medicorum præceptionibus, partim denique divino consi»lio superari queat. Idem etiam in animo usu venire solet, »ut præter singularem naturæ vim et conditionem, variæ »singulorum agendi vivendique rationes, partim exercita»tione atque doctrina, partim sapientioribus consiliis me»liores fiant. Itaque cum de Socrate philosopho Zopyrus »Physiognomon aliena quædam et plurimum a Socratis ins»tituto vitæque genere discrepantia conjecisset, eaque de »causa, risu ab iis, qui cum Socrate erant, exceptus es»set; negavit Socrates Zopyrum falli; talem enim sese na»turæ vi futurum esse, nisi philosophiæ studiis naturæ vitia »superasset.» Atque hujusmodi ea sunt, quæ naturam sequuntur, quæque nihil ab iis, quæ fato fiunt, differre contendit. Quæ vero casu fieri dicuntur, de iis ita statuit: ut si, cum quid alterius rei gratia fieret, minus id ipsi, cujus gratia fiebat, occurrerit, sed aliud quidpiam, quod eventu-

rum initio nemo cogitaret. Sic ab eo inventum casu thesaurum esse pronuntiat, qui cum alio prorsus quam inveniendi thesauri animo fodere cœpisset, in thesaurum inciderit. Similiter casu receptam ab eo pecuniam, qui cum alia mente in forum venisset, incidens in debitorem, qui præsentem haberet pecuniam, ab eo, quod sibi deberetur, acceperit. Quin et casu salvum a quibusdam equum illum dici consuevisse, cui cum aut pabuli spe, aut alterius cujuslibet rei appetitu, cum ex eorum, a quibus tenebatur, manibus aufugisset, in fuga ipsa cursuque contingeret, ut in suos ipse dominos incideret. Quare nemo ista fato jure tribuerit. Porro certa rerum quarumdam principia sunt humanæ rationi prorsus obscura, quæ quod earum causa ignoretur, antipathia quadam evenire creduntur. Cujusmodi ea sunt, quæ amuletis quibusdam fieri inveterata opinio est, cum idonea similisque vero causa vis illorum effectricis assignari nulla possit. Tales quoque sunt cantiones, cæteræque id genus præstigiæ. Nam istorum omnium ignotas esse causas nemo non fatetur, eademque propterea ἀναιτιλόγητα, hoc est, ejusmodi, quorum explicari causa non possit, vulgo dicuntur. Ad hæc pleraque statuit utramque in partem promiscue contingentia, quæ, prout res tulerit, eveniant, quæ fati quoque necessitati subducenda putat omnia. Ea porro in utramque partem contingentia vocantur, quæ tam non fieri possunt, quam fieri, quemadmodum ex eo, quod additur, prout res tulerit, intelligitur. Exempli causa partem corporis aliquam movere, cervices temere huc illucve convertere, digitum extendere, tollere supercilia, stare cum ante sederes, aut cum prius movereris, quiescere, aut tacere, cum ante loquereris : aliaque sexcenta : quibus in omnibus cum vim quandam agnoscas contrariis suscipiendis idoneam, tum vero fati nullam invenias; quod quæ fato fiunt, id suscipere, in quo simul etiam contrario locus est, nullo modo

possint. Jam vero deliberandi certe consulendique facultate præditus homo frustra non est, essetque tamen, si quidquid agit, ageret necessitate. Enimvero uni hoc, quod oculis ipsis tenetur, homini præ cæteris animantibus eximium ac singulare natura donavit, uti non quomodo illis usu venit, oblatas sensibus impulsiones consequatur, sed in iis, quæ subinde contingunt, rationis judicium adhibere possit. Quo dum ipse utitur, si quæ sensu et cogitatione percepit, eadem excussa diligentius, cujusmodi visa erant, ejusmodi re ipsa esse comperiat, in phantasiæ judicio acquiescit, eaque persequitur. Sin eadem aliter se habere intelligat, non hæret in præcepta cogitatione diutius, quod eorum falsitatem ratio adhibita consultatione deprehenderit. Atqui de rebus tantum iis, quæ fieri a nobis possunt, consultationem instituimus; quas si quando neglecta deliberatione fecerimus, pœnitentia sæpe ducti temeritatis ipsi nos ac stultitiæ accusamus. Imo, si alios quoque nullo ad res agendas consilio accedere videamus, eos, quasi peccarint, reprehendere solemus, hosque aut illos consulere volumus, quippe qui res illas nostra in potestate sitas esse sentiamus. Cæterum quam vana sit eorum de fato sententia, vel ex eo manifeste quivis intelligat, quod ne ipsi quidem ejus assertores decretis placitisque suis obtemperare possint. Nam et hortatores se doctoresque profitentur, aliisque auctores sunt, ut disciplina erudiri sese informarique patiantur, adeoque graviter eos ac vehementer increpant, qui officio functi suo non fuerint, utique quod sua ipsi sponte ac voluntate peccaverint. Quid quod volumina relinquunt ipsi plurima, quibus juniores institui velint? quam illi profecto docendi ambitionem omitterint, si et veniam iis, qui inviti atque imprudentes offendunt, abs sese dari, et qui consulto peccant, eos pœna dignos pronuntiari cogitarent, quod iis peccare vel non peccare integrum fuisset. Quare et fati ne-

cessitatem evertunt ipsi quoque, et liberam arbitrii potestatem nobis a natura inesse confirmant : quemadmodum sane pleraque juris nostri non sunt, ut quæ vel natura vel casu fiunt, sed quæ nihilo verius assignari fato possint, ut superioribus argumentis demonstratum est. Atque his a nobis magna ex multitudine in epitomen ideo contractis, quod plurima nostris in litteris de arbitrii nostri facultate habeantur (quibus producta philosophorum testimonia consentiunt, dum et sacrarum ad paginarum, quibus utimur, auctoritatem accedunt, et istas de fato non tralatitias vulgi tantum, sed egregiorum etiam fatidicorumque Numinum opiniones falsi coarguunt) : totaque vi disputationis partim in præclara oracula vehementius asperiusque collata, partim adversus eximios philosophos, non aliis, quam eorum ipsorum, quos usque adeo norunt, sententiis verbisque contexta : juvat eorum deinceps, quos astrologos nominant, adversus istos Chaldæorum sectatores, qui sic artis nefariæ præstigias, tanquam doctrinæ partem aliquam profitentur, rationes expendere. Quas quidem ex homine Syro, qui summam Chaldaicæ doctrinæ perfectionem et absolutionem adeptus erat, hoc loco proferemus. Bardesanes is fuit (5), quem in suis, quos ad disciplinæ socios scripsit, Dialogis, hunc in modum philosophari memorant.

CAPUT DECIMUM.

Ex mathematicis etiam disciplinis, fati vanitatem coargui posse. Ex Bardesanis scriptis.

« Naturæ legibus, *inquit*, generatur homo, alitur, cres- » cit, generat, comedit, bibit, dormit, senescit, moritur : » atque id omni non homini tantum, sed etiam experti » rationis animanti commune est. Verum animantes cæteræ, » quod præter sensum nihil habeant, quodque totæ maris » ac fœminæ congressione generentur, naturæ quoque in » omnibus propemodum impetu rapiuntur. Leo carne ves- » citur; idem, si lædis, ulciscitur; itaque leones omnes et » carne vescuntur, et ulciscuntur, si lædis. Oves herba ves- » cuntur, carnes ne attingunt quidem, nec, si læseris, ul- » ciscuntur : ac toti ovium generi instinctus iste communis » est. Scorpius et terram comedit, et illos etiam, a quibus » nihil ipse læsus fuerit, venenato stimulo vulnerat; qua » improbitate genus omne scorpiorum laborat. Formica id » a natura habet, ut hyemem imminere præsentiat, eoque » totam æstatem assiduo labore terens, alimenta reponat » sibi : quod ab omnibus formicis fieri videmus. Apis cum » in elaborando melle versari, tum etiam eodem ali solet : » quare id studium omnibus in apibus cernitur. Possem » equidem alia pleraque animantium genera producere, » quæ quod peculiaris naturæ vim et impetum deserere ne- » queant, eo ipso nobis plurimum admirabilitatis habere » viderentur. Sed futurum id satis existimavi, si vulgarium

»et quotidianorum exemplo docerem, animantes quidem »cæteras, prout eas vel inter se communione conjunxit, »vel dissimilitudine natura distinxit, ejus ductum necessa- »rio quidem, sed tamen jucunde sequi : homines vero, qui »proprium aliquid soli ac singulare, hoc est mentem, quæ- »que proficiscitur ex mente, rationem habeant, ut in iis, »quæ ad communionem pertinent, eamdem naturam se- »quantur (quemadmodum jam ante dixi); in iis tamen, »quæ peculiari ex jure ac facultate pendent, ad commu- »nem illam naturam minus adhærescunt. Nec enim eodem »omnes utuntur cibo, cum alii leonum, ovium alii ritu »vescantur : non cultus idem omnibus, non mos, non vitæ »lex et ratio placet, non earumdem omnes rerum cupidi- »tate ducuntur: suo quisque vivit arbitrio, nec vicinum »quisquam, nisi quatenus visum fuerit, æmulatur. Est »enim ea libertate præditus, quæ servitutem pati non pos- »sit. Quod si volens aliquando libensque serviat, hoc ip- »sum libertatis ejus est, quod servire libere possit. Quam »multi homines, Alanæorum præsertim ex genere, crudis »ferarum more carnibus vescuntur, panem ne attingunt »quidem, non penuria, sed voluntate? Alii perinde ac ci- »cures animantes carnibus abstinent. Alii solis utuntur »piscibus, quos alii, ut maxime fames urgeat, gustare non »possunt. Alii aquam, vinum alii, alii siceram bibunt. De- »nique magna est in hominum genere cibi potusque diver- »sitas, quam in olerum etiam ac pomorum usu videre licet. »Nonnulli præterea, quomodo scorpii aspidesque solent, »nulla injuria lacessiti lædunt, illatas alii brutarum animan- »tium ritu persequuntur injurias. Sunt qui rapacitate lupos, »feles et catos furacitate imitentur : sunt contra, qui tan- »quam oves aut capreæ a similibus impune vexentur, ac- »ceptasque injurias patienter ferant. Itaque alii boni, im- »probi alii, alii justi vocantur. Atque hinc nemo non intel-

»ligit, hominem rebus in omnibus natura minime ferri »(quam enim aut cujusmodi propriam ejus naturam esse »dicemus)? sed partim natura, partim voluntate. In iis ergo, »quæ voluntatis sunt, modo laude, modo vituperio, modo »pœna dignus est, at in iis, quæ naturæ vitio fiunt, omni »reprehensione carere debet; atque id judicium non mise-»ricordia, sed ratio dictat.» Hæc ille, quibus idem, quæ sequuntur, adjungit. « Varias, *inquit*, leges singulis in regio-»nibus, partim scriptas, partim non scriptas homines tu-»lerunt, e quibus eas, quæ notæ mihi sunt, quæque in »memoriam ab orbis conditu subeunt, hoc loco proferam. »Apud Seras lex est, qua cædes, scortatio, furtum, et si-»mulacrorum cultus omnis prohibetur. Quare in amplissima »regione non templum videas, non meretricem, non adul-»teram, non furem in jus raptum, non homicidam, non »occisum. Nullius adhuc liberæ voluntati, flammivomi stella »martis, medio licet in cœlo volvatur, hominis ferro ne-»candi necessitatem imposuit. Neminem apud eos congressa »cum marte venus ad uxoris alienæ congressionem impulit; »tametsi nullo non die mars ille medium in cœlum evadat, »nulla non hora quotidie nascantur Seres. Apud Indos et »Bactros, multa sunt eorum millia, quos Brachmanas vo-»cant. Ii tam majorum, quam legum traditione, ab omni »cæde cultuque simulacrorum abstinent, animantium nihil »gustant, sicci nunquam et sobrii non sunt, quod vino, si-»ceræque parcant, dumque uni Deo vacant, nullius un-»quam sceleris communione polluuntur. Cæteri autem Indi »cædibus interea, stupris, ebrietati, colendisque simula-»cris dediti sunt, ac fato cunctis propemodum in rebus ob-»sequuntur. Imo vero eodem in Indiæ climate, genus quod-»dam reperitur Indorum, qui allatos casu peregrinos ubi »ceperint, eosdem postmodum hostiarum more jugulatos »devorent. Ita, nec istos ab hac vel cædium immanitate,

» vel indignitate nuptiarum benefica sidera revocare, nec
» ad scelus Brachmanas adigere malefica potuerunt. Apud
» Persas lex erat, qua non filias tantum aut sorores, sed ip-
» sas quoque matres secum matrimonio jungere licebat.
» Nec in ea regione tantum, eove duntaxat in climate, in-
» cestas illas Persæ nuptias contrahebant; sed etiam quot-
» quot eorum e Perside alio commigrarunt, quos Magusæos
» vocant, iisdem flagitiis obstricti manent, posterisque suis
» hæreditario quasi jure leges et consuetudines easdem re-
» linquunt. Atque hujus nationis plurimi etiamnum, in Me-
» dia, Ægypto, Phrygia, Galatia reperiuntur. Neque ta-
» men Venerem, opinor, quisquam dixerit, in omnium ac
» singulorum ortu, sic in finibus ædibusque Saturni cons-
» titisse, ut mars cum eodem saturno comitaretur. Apud
» Gelos cautum lege est, uti mulieres terram colant, domos
» ædificent, ac reliquis hujusmodi operibus vacent, imo
» quibuscum ipsæ voluerint, impune consuescant. Ita, nec
» reprehendi a viris, nec adulteræ vocari solent, quod om-
» nes pariter et in similium artium occupatione versentur,
» et cum omnibus promiscue, ac præsertim cum peregri-
» nis conjungantur. Præterea nec unguentorum Gelissis mu-
» lieribus, nec tinctarum vestium usus est: imo nudis quo-
» que pedibus incedunt omnes; cum interea viri non mollia
» tantum ac delicata, sed etiam et colore distincta multiplici,
» et auro collucentia vestimenta ferre, atque unguentis per-
» fundi consueverint. Quod ipsi tamen pro sua quadam in-
» sitaque animorum ignavia non utique faciant, cum et for-
» tissimi sint, et bellorum venationisque peritissimi. Nec fœ-
» minæ apud illos, aut in capricorno, aut in aquario infaus-
» tam omnes venerem infestamque sortitæ sunt: nec rursus
» viri omnes eamdem in ariete cum marte conjunctam ha-
» bent, quo utriusque situ, fortes simul ac delicatos nasci
» Chaldæorum sectatores autumant. Apud Bactros, mulie-

»res omni cultus ac mundi elegantia, omnique unguento-»rum genere uti solent, adeoque pluribus, quam viri, an-»cillarum ac puerorum obsequiis officiisque coli. Prodeunt »in equis, quos multo auro gemmisque pretiosissimis pha-»leratos habent, ingenti specie atque pompa : eædem usque »adeo intemperantia laborant, ut cum servis etiam atque »peregrinis promiscue consuescant : nec ullam propterea »virorum offensionem aut reprehensionem extimescunt, ut-»pote quibus ipsæ prope dominentur. Neque tamen, opi-»nor, in Bactrianarum omnium mulierum ortu, Venus illa »jocorum ac deliciarum amans, cœlo in medio, ac suis in »finibus, cum Jove simul ac Marte congreditur. In Arabia »et Osroene, cum adulterii crimen in mulieribus capitale »est, tum ipsa quoque suspicio pœnam habet. In Parthia »simul et Armenia, vulgares quidem homicidæ nonnun-»quam a judicibus, interdum a cæsorum propinquis morte »puniuntur; si quis vero aut uxorem, aut fratrem liberis or-»bum, aut sororem innuptam, aut filium, aut filiam occi-»derit, accusat nemo : hoc enim ut liceat certa populorum »istorum lege cautum est : cum apud Græcos et Romanos »acerbiores adversus propinquorum et affinium interfecto-»res pœnæ constitutæ sint. Apud Atros, qui vel obolare »quidpiam furatus erit, lapidatur : apud Bactros levioris »furti reus conspuitur; apud Romanos verberatur. Ejusmodi »quippe leges ab iis sancitæ sunt. Ab Euphrate fluvio ad »Oceanum usque versus Orientem, quibus vel homicidii »vel furti crimen impingitur, non graviter admodum ac »moleste ferunt : at quibus mascula venus objicitur, ii »voluntaria sæpe morte turpitudinis suspicionem ulciscun-»tur : cum apud Græcos, amores suos habere, ne sapien-»tibus quidem ipsis probro detur. In eodem Oriente, quibus »oblatum stuprum fuerit, ii, comperta re, a fratribus, aut »parentibus, aut cognatis non occiduntur modo, sed etiam

»sepulchri honore spoliantur. Apud Gallos autem adoles-»centes publice ac secure nubunt, nec turpe facinus, cui »patriæ legis patrocinetur auctoritas, arbitrantur. Neque »tamen fieri profecto potest, ut quotquot in Galliis eo sese »flagitio, tam projecta cum impudentia contaminant, ii »suo in ortu Vesperum omnes, in Saturni ædibus, Martis-»que finibus cum Mercurio Occidentem sortiti sint. In Bri-»tannia plures viri uxorem unicam; in Parthia virum uni-»cum plures uxores habent; quæ tamen caste omnes vivunt, »eique, quod ita lege sancitum est, obtemperant. Amazones »contra nullum apud se virum patiuntur, sed brutarum ani-»mantium ritu, semel quotannis circa vernum æquinoxium, »patriis egressæ finibus, rem cum finitimis habent, qui tem-»pus illud solemnis cujusdam festi loco ducunt. Revertuntur »postmodum concepto fœtu, eodemque necessario tempore, »prout lex naturæ fert, simul omnes pariunt: sed projectis »maribus, solas suscipiunt aluntque fœminas. Sunt autem »bellicosæ omnes, et in omni exercitationis genere præci-»puo studio curaque versantur. Jam mercurium ferunt suis »in ædibus cum venere congredientem, fictores, pictores, »nummularios; at in veneris ædibus, unguentarios, pho-»nascos, histriones efficere. Atqui apud Tainos et Sarace-»nos, ac tam in superiore Libya, quam apud Mauros, nec »non apud Nomadas illos, qui Oceani ostium accolunt, si-»mulque tam in exteriore Germania, quam in Sarmatia su-»periore, Scythia quoque, ac cæteris omnibus, quæ ad »Septentrionales Ponti partes habitant gentibus; insuper »tota passim Alania, Albania, Oténe, Saunia, et aurea »Chersoneso, neque nummularium ullum videas, neque »fictorem, neque pictorem, neque architectum, neque »geometram, neque phonascum, neque histrionem: sed »ambitu illo terrarum universo, vis ista mercurii vene-»risque nulla est. Medi omnes canibus, quos ingenti alunt

» studio, adhuc spirantia moribundorum corpora objiciunt;
» neque tamen omnes lunam atque martem in cancro, diurni ortus præsides sub terram habuere. Indi et mortuorum cadavera, et illorum uxores ultro sese offerentes comburunt: neque tamen, quotquot apud illos vivæ mulieres comburuntur, solem omnes, leonis in ædibus, martisque finibus, sub terram cum eodem marte conjunctum, ortu nocturno sortitæ sunt. Germani plerique, fractis laqueo cervicibus moriuntur: nec tamen Germanorum utique multitudo tanta, lunam horamque nascendi a saturno marteque interceptam habere potuit. Enimvero quotidie, omnique nascendi genere, apud omnes populos, nascuntur homines; vincunt ubique tamen hominum ipsorum leges, mores, liberumque voluntatis arbitrium. Itaque nec Seres ad homicidia, nec Brachmanes ad esum carnium, nec Persæ ad incestis nuptiis abstinendum, nec Indi ad rogum fugiendum, nec Medi ad canum dentes evitandos, nec Parthi ad uxorum multitudine abstinendum, nec Mesopotamiæ mulieres ad intemperantiam, nec Græci ad repudiandas nudorum corporum exercitationes, nec Romani ad imperium abjiciendum, nec Galli ad fugiendum muliebrium nuptiarum turpitudinem, nec reliquæ nationes barbaræ, ad Musarum (quas Græci vocant) consuetudinem, ortus sui conditione, invitæ nolentesque coguntur. Sed quemadmodum ante diximus, singulæ nationes, hominesque singuli, sua ipsi libertate, ubi quotiesque libuerit, utuntur: tametsi partim nascendi conditioni, partim naturæ quisque suæ, quæ suo quemque corpore induit, libens nonnunquam atque volens, interdum nolens et invitus obtemperet. Quippe ubique terrarum, atque apud omnes omnino populos, divites pariter et inopes, Principes, Principibusque subditi, valentes, morbisque vexati reperiuntur, prout ortus cujusque sors et ratio tulerit.

» —Hæc, inquam, o Bardesane, hujus mihi sententiæ veritatem abunde persuadent. At enim astronomi terram aiunt in septem climata divisam esse, quibus singulis singuli planetæ præsint : ita diversas illas ab hominibus positas et constitutas leges non fuisse, sed principiis cujusque sideris voluntatem sua in regione dominari, quam loco legis habuerint, qui ejus imperio ac ditione teneantur. — Verum id, Philippe, falso respondetur. Nam ut demus orbem terrarum septem in partes distributum esse; magnum vel una tantum in parte legum discrimen agnoscimus. Nec enim uti planetæ septem, septem quoque leges; nec pro signorum zodiaci numero duodecim; nec, quot ipsi decanos ponunt, sex tantum et triginta, sed prorsus infinitæ numerantur. Quippe, meminisse vos eorum quæ supra diximus, oportebit. Eodem in climate, unoque Indiarum in tractu, Indos alios esse, qui carnibus vescantur humanis, alios, qui ab omni rerum animatarum esu abstineant: Magusæos non in Perside tantum filias uxores ducere, sed etiam ubicumque degant, acceptas a majoribus leges, eosdemque mysteriorum ritus ac ceremonias retinentes. Multas quoque recensuimus barbaras nationes, ad Meridiem, Occasum, Orientem, Septentrionem incolentes, hoc est in varia climata dissipatas, apud quas nullum extet Mercurianæ artis doctrinæque vestigium. Jam vero, quam multos extitisse viros sapientes putatis, qui leges perperam constitutas immutarint? Imo quam multæ leges, vel consilii, vel rerum inopia conciderunt? quam multi Reges, debellatis victisque nationibus novas ipsi propriasque leges, antiquatis prioribus, imposuerunt? Neque tamen suo climate planetarum ullus excidit. Romani subacta ñudiustertius Arabia, Barbarorum leges sustulerunt. Imperium enim, rerum potestas omnium licentiaque consequitur. Sed juvat illud afferre, quod vel incredulis fidem faciat.

» Judæi omnes, qui a Mose legem acceperunt, infantes mas-
» culos ante octavum ab ortu diem circumcisione cruentant.
» Qua quidem in re nec sideris præsentiam ullius expectant,
» nec certi climatis vim ac jura declinant, nec alterius re-
» gionis legibus agi se patiuntur. Itaque seu in Syria, seu in
» Gallia, seu in Italia, seu in Græcia, seu in Parthia, verbo
» ubicumque versentur, morem eumdem retinent. Id autem
» nascendi conditionem profecto non sequitur, cum una Ju-
» dæi passim omnes eademque teneri non possint. Iidem,
» ubicumque degant, septimo quoque die ab omni prorsus
» opere vacant omnes; adeoque ne iter quidem suscipiunt,
» aut igni utuntur. Ita Judæus nemo sabbati diebus ad do-
» mum vel ædificandam, vel demoliendam, ad laborandum,
» vendendum, emendum, ortus necessitate adigitur: cum
» tamen eo ipso die passim generent atque nascantur, ægro-
» tent passim moriantur que Judæi: quod ista nequaquam
» ex libertate pendeant. In Syria quondam et Osroene ple-
» rosque Opis in honorem abscindi moris erat: verum cum
» repente jussisset Rex Abgarus, ut quibus abscissa verenda
» essent, iis etiam manus abscinderentur; nemo se dein-
» ceps tota Osroene abscidit. Quid porro de Christianorum
» instituto dicemus, cujus nos sectatores et plurimi et di-
» versis in terræ partibus extitimus, qui tamen in omni cum
» genere tum climate uno omnes eodemque nomine appel-
» lati sumus? Enimvero nec in Parthia Christiani, Parthi
» licet, pluribus utuntur uxoribus, nec in Media defuncto-
» rum corpora canibus objiciunt, nec in Perside, Persæ li-
» cet, filias uxores ducunt: nec apud Bactros aut Gallos
» nuptiarum honestatem et jura contaminant, nec in Ægypto
» Apin, canem, hircum, felemve colunt. Ita, ubicumque
» degant, nec legum morumque sceleratorum improbitate
» vincuntur, nec ad flagitium ullum, præceptoris sui legi-
» bus interdictum, nascendi conditionis ex principum as-

» trorum imperio nutuque descriptæ vi adiguntur. Iidem » tamen, morbis, egestati, calamitatibus, et contumeliis, » ut vulgo appellantur, obnoxii sunt. Quemadmodum enim » homo ille noster, quem liberum esse volumus, aut in ser- » vitutem non cogitur, aut, si urgetur interdum, vim affe- » rentibus resistit : ita noster hic homo, qui sub aspectum » cadit, servus ipse cum sit, obsequendi necessitatem haud » facile declinare potest. Quippe, si nostræ cuncta potestatis » essent, nihil non essemus; quemadmodum si positum ac » situm in nobis esset nihil, aliorum, ut ante dixi, admi- » nistri essemus, non juris nostri. At annuente Deo, fieri » cuncta possunt, impediri nihil. Ejus enim voluntati res » obsistere nulla potest, cum ea, quæ nonnunquam viden- » tur obsistere, id eatenus modo faciant, quatenus suam » ipse naturæ cuilibet prærogativam, integramque volunta- » tis libertatem pro sua benignitate concessit. » Atque hactenus Syrus ille. Ego vero, postquam unius adhuc testimonium produxero, huic disputationi finem imponam. Quandoquidem enim abunde profanis adhuc e litteris hausimus, solaque divinarum auctoritas superest, quæ certe quidem ad hanc præsertim Evangelicæ demonstrationis Præparationem desideratur : æquum sane opportunumque fuerit, in eas quoque diligenter intueri, nihil ut omnino desideretur, quod ad susceptæ quæstionis disceptationem pertineat. Itaque ex illis etiam hujus tibi veritatis argumenta producere statui. Sed quoniam sacrorum oraculorum, si nude ponerentur, sensum mentemque capere non posses, quod fere umbris quibusdam involuta proferantur, eorum interpretem adducam in medium. Tu vero, nisi forte sublimioribus illis mentibus invides, hominem probe nosti, qui ut hic adhuc inter Christi cœtus, operum, quæ sui tanquam vicaria reliquit, usu et tractatione versatur, ita nec hominibus a nostris etiam ritibus alienis, propter summam, qua in eorum

quoque disciplinas incubuit, contentionem, ignotus est. Vide igitur quemadmodum quibusque verbis Origenes, vir ille singularis hac tota de re suis in Genesin commentariis statuat, istamque de fato disputationem qua ratione pertractet.

CAPUT UNDECIMUM.

Divinarum quoque Scripturarum auctoritate ac testimonio fati vim omnem refutari, ex Origene.

« Quod hic habetur, *inquit*, luminaria, quæ sane alia » non sunt, quam sol, luna, cæteraque sidera, tanquam » signa quædam esse constituta, id vero ut diligenter expli- » cetur, inprimis necessarium est. Nec enim gentes illæ » modo, quæ a Christi fide alienæ sunt, ad eum, qui de » fato instituitur, locum offendunt, quod quæ in terris eve- » niunt omnia, quæque singulos ad homines, imo quæ ad » brutas quoque fortassis animantes pertinent, ea stellarum, » quas errantes vocant, cum iis, quæ ad zodiacum adhæ- » rescunt, sideribus complexione quadam et comparatione » fieri arbitrentur: sed eorum etiam permulti, qui Chris- » tianæ fidei sectatores ac professores habentur, anguntur » animis, ne humanæ res adeo necessitate teneantur, ut ali- » ter, quam varius astrorum situs et collocatio jubeat, fieri » non possint. Qua quidem ex opinione consequens illud » est, ut funditus voluntatis nostræ vis facultasque tollatur, » simulque proinde laus omnis ac vituperatio, rerumque vel » approbatione dignarum vel reprehensione, discrimen. Hæc » porro sublata si semel erunt, evanescat pariter necesse » est, quidquid de judicii divini æquitate jactatur, concidant

» vel intentatæ sceleratis pœnarum ac suppliciorum minæ, » vel promissa melioris sanctiorisque vitæ professoribus glo» riæ ac felicitatis præmia; nihil enim istorum deinceps cum » ratione fiet. Imo, si quis cætera, quæ ex ejusdem senten» tiæ vi efficiuntur, spectare volet; non inanis profecto so» lum, ac supervacanea fides nostra futura sit, sed ne ipse » quidem adventus Christi, totaque illa seu Legis, seu Pro» phetarum œconomia, et Apostolorum in excitandis cons» tabiliendisque Christi Dei Ecclesiis, suscepta contentio, » vel hilum profecerit. Nisi tamen, ipsius etiam Christi non » modo nascendi rationem, sed quidquid præterea vel ege» rit, vel tulerit, eamdem in conversionis astrorum neces» sitatem projecta hominum istorum temeritas illigabit: » perinde videlicet, quasi is ab sideribus vim illam rerum ad» mirabilium, non a Deo, cunctorumque Parente acceperit. » Cujus ex orationis impietate illud sequitur, ut quotquot » divinam fidem amplectuntur, ad illam siderum omnes im» pulsione rapiantur. Ego vero quæsierim ex iis perlibenter, » quid tandem secutus hac in mundi molitione Deus fuerit, » ut ex ea virorum, qui in eo degunt, multitudine, alii » nulla sua culpa muliebris veneris turpitudinem pateren» tur; alii ferino plane ritu, quod tales ipsos efficeret Uni» versi hunc in modum a Deo constituti impetus atque con» versio, teterrimis sese dirissimisque sceleribus, ut homi» cidis ac piraticis prædationibus dederent? Quamquam quid » attinet hanc a nobis, de rebus iis, quæ vel hominibus eve» niunt, vel ab iisdem peccantur, quæque prorsus infinitæ » sunt, disputationem institui, quos præsertim dogmatis is» tius assertores egregii, dum ab omni culpa liberant, ma» lorum quæque scelerate fiunt omnium Deo causam assi» gnant? Quorum si nonnulli, ut Dei causam tueri videan» tur, bonum quemdam alterum esse dicent, eumque rerum » istarum fontem esse ac principium negabunt, quod uni

»duntaxat rerum creatarum molitori similia tribuenda ve-
»lint; primum, ne sic quidem, quod ipsi volunt, justus ut
»ille sit, efficient. Quomodo enim quem tot malorum pa-
»rentem fatentur ipsi quoque, justum eumdem esse jure
»meritoque defendant? Deinde quid sentiant ipsi de se,
»quærendum ex illis est. Utrum sese astrorum conversione
»obligatos esse, an liberos, atque ejusmodi, apud quos hac
»in vita, nihil omnino motus ille possit? Obligatos si fate-
»buntur, hunc illis profecto astra quoque sensum impres-
»serint : adeoque novam de superiore suo fictitoque Deo
»mentem, hujus conversione mundi, suus ille, quod ipsi
»negant, architectus injecerit. Sin autem ejus se minime,
»quas astra volvunt, legibus teneri respondebunt, id ne ab
»iis temere negari videatur, majori utique vi suffragium illi
»nostrum extorquere debent, certo discrimine duo inter
»mentium genera constituto, quarum aliæ ortus fatique
»necessitatem subire cogantur, aliæ defugiant. Hac enim se
»quæstione profecto nunquam explicabunt. Ad hæc preces
»ac vota nuncupare, supervacaneum plane sit. Nam si hæc
»illave fieri necesse est, hancque astra necessitatem affe-
»runt, nec aliter quam eorum mutua complexio jubeat,
»fieri quidquam potest, hoc aut illud abs Deo impetrare
»sine ratione contendimus. Sed quorsum pluribus commu-
»nis hujus de fato loci; quem inconsiderate vulgus adhuc
»hominum trivit, impietatem persequimur? Eam quippe
»superiori oratione informasse sat est? Jam vero, cum lo-
»cum illum expenderemus, *Sint in signa luminaria:* quem-
»admodum in eam disputationem delapsi fuerimus, nobis
»in memoriam revocemus. Qui vel aliqua de re veri ex aliis
»quidpiam intelligunt, vel ipsimet rei gestæ oculati testes
»fuerunt, ii profecto rem aperire sincere integreque pos-
»sunt : quippe qui, vel quod passus alter fuerit, vel quod
»idem perfecerit, aut oculis ipsi suis usurparint, aut alio-

»rum qui tamen rei causam dederint nullam, commemo-»ratione acceperint. (Illud enim sane omittamus, fieri »posse, ut qui aliquid vel passi fuerint, vel fecerint, eos »etiam, qui præsentes non interfuerint, narratione ipsi sua »totius in rei cognitionem adducant.) Si quis ergo, post-»quam certi aliquid aut evenisse quibusdam, aut eventurum »esse, ab illo qui ejus causa non sit, auditione acceperit, »non cogitet apud se, quisquis rem quamlibet aut gestam »esse, aut gestum iri doceat, non eum continuo ejusdem »rei causam esse: is sane, quicumque vel factum aliquid »vel futurum esse aperiet, ab eodem aut profectum illud »aut profecturum opinabitur, falso tamen opinabitur. Vel-»uti si quis, ubi ex prophetico volumine, quod Judæ pro-»ditoris scelus exitiumque prædiceret, futuram totius rei »seriem intellexisset, adeoque cum suis factum ipsum ocu-»lis intueretur, idem in volumen facinoris causam omnem »culpamque conferret: aut, si minus volumen, eum certe, »a quo primum conscriptum illud esset, aut vero Deum ip-»sum, cujus impulsu ac numine prodiisset, ejusdem per-»fidiæ auctorem esse sentiret. Quemadmodum enim con-»ceptis ac disertis, si ea diligenter expendas, istius de Juda »Prophetiæ verbis, Deus omni proditionis ejus culpa libe-»ratur; idque unum ex illis auferri potest, Deum quod »nulla sui numinis communione, sola hominis improbitate »futurum scelus ante cognoverat, prænuntiasse. Ita pro-»fecto, quisquis et eam in disputationem, qua Deo rerum »omnium antegressa cognitio tribuitur, et in ea, quibus »suæ cognitionis signa quædam et formas impresserit, sub-»ire altius ac penetrare voluerit, intelliget ipse continuo, »non illi utique, qui prænoverit, aut iis ipsis rebus, quæ »prænotionis ejus formas quasdam notasque susceperint, »eorum, quæ prænoverit, causam esse tribuendam. Jam »vero, quidquid aliquando futurum est, id omne Deum

» multo ante futurum prænosse, ut scripturæ abesset aucto-
» ritas, vel ipsamet ex Dei notione is profecto demum intel-
» ligat, qui probe vim illam et excellentiam Divinæ Mentis
» intelligit. Si tamen sacrarum quoque litterarum testimo-
» niis eam in rem opus est, plenæ sunt exemplorum id genus
» Prophetarum voces; ipsaque adeo Susanna rerum ei cog-
» nitionem omnium his verbis asseruit: — « Deus æterne,
« qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia, ante-
« quam fiant, tu scis, quoniam falsum testimonium tulerunt
» contra me [1]. » — Ac Regum tertio Regis ipsius nomen,
» resque ab eo gestas, multis ante annis, quam lucem as-
» picerent, hunc in modum clarissime Vates Divinus expres-
» sit: — « Constituitque Hieroboam diem solemnem in mense
« octavo, quintadecima die mensis, in similitudinem solem-
« nitatis, quæ celebratur in Juda. Et ascendit altare, quod
« fecit in Bethel, ut immolaret vitulis, quas fabricatus fuerat [2]. »
» — Et paulo post: — « Et ecce vir Dei venit de Juda, in ser-
« mone Domini, in Bethel, Hieroboam stante super altare,
« et thus jaciente. Et exclamavit contra altare in sermone
« Domini, et ait: Altare, altare, hæc dicit Dominus: Ecce
« filius nascetur domui David, Josias nomine, et immolabit
« super te Sacerdotes excelsorum, qui nunc in te thura suc-
« cendunt, et ossa hominum super te incendet. Deditque
« in illa die signum, dicens: Hoc erit signum, quod locutus
« est Dominus; Ecce altare scindetur, et effundetur adeps,
« qui in eo est [3]. » — Ac paucis interjectis, altare disrup-
» tum, effusumque adipem esse narratur, quod signum in
» sermone Domini Propheta dederat. Similiter apud Isaiam,
» qui multis ante captivitatem Babylonicam annis vixerat,
» de Cyro Persarum Rege, qui tanto captivitatem illam in-
» tervallo secutus est, quippe qui instaurando Templo (id
» quod in Esdræ tempus incidit) operam navarit suam; ita

[1] Dan. XIII, 42. — [2] Reg. III, 12, 32. — [3] Id. XIII, 1.

» nominatim prænuntiatum habes : — « Hæc dicit Dominus « Christo meo Cyro, cujus apprehendi dexteram, ut subjiciam « ante faciem ejus gentes, et fortitudinem Regum perfrin- « gam : aperiam coram eo januas, et portæ non claudentur. « Ego ante te ibo, et montes complanabo : portas æreas conte- « ram, et vectes ferreos confringam. Et dabo tibi thesauros abs- « conditos, occultos, invisibiles aperiam tibi, ut scias, quia « ego Dominus Deus, qui voco nomen tuum, Deus Israel. « Propter servum meum Jacob, et Israel electum meum, ego » vocabo te nomine tuo, et suscipiam te [1]. » — Ex iis enim » quivis prorsus intelligat, Cyrum in ejus populi gratiam, » quem tot beneficiis affecerat, ut Hebræorum pietatem ac » religionem ignoraret, a Deo tamen gentium plurimarum » imperium accepisse. Atque id Græcorum etiam, qui res » Cyri, quem Propheta cecinit, memoriæ prodiderunt, au- » ferre possis. Quinetiam apud Danielem, quo tempore Ba- » bylonicum florebat imperium, Nabuchodonosori futuro- » rum deinceps imperiorum oblata species est. Auro quippe » Babyloniorum, Persarum argento, Macedonum ære, » ferro denique Romanorum significabatur imperium. Ac » rursus idem Propheta de Dario simul et Alexandro, nec » non de quatuor Alexandri Macedonum regis successori- » bus, ipsoque Ptolemæo, qui Ægypti regnum tenuit, cui- » que Lago cognomentum fuit, ejusmodi reliquit oraculum: — « Ecce autem hircus caprarum veniebat ab occidente, « super faciem totius terræ; et venit usque ad arietem il- « lum cornutum, et hircus habebat cornu inter oculos « suos, quem videram stantem ante Ubal, et cucurrit ad « eum in impetu fortitudinis suæ. Et vidi eum pervenien- « tem usque ad arietem, et efferatus est in eum, et percus- « sit arietem, et comminuit duo cornua ejus, et non poterat « aries resistere ei, cumque eum misisset in terram, concul-

[1] Isai. XLV, 1.

« cavit : et nemo quibat liberare arietem de manu ejus. Hir-« cus autem caprarum magnus factus est nimis : cumque « crevisset, fractum est cornu ejus magnum : et orta sunt « alia cornua subter illud per quatuor ventos cœli. De uno « autem ex eis egressum est cornu unum forte, et factum « est grande valde contra meridiem et occidentem[1]. » — » Quid hic Prophetarum de Christo ipso voces et oracula » commemorem ? De Bethleemo, ubi natus, de Nazaretho, » ubi educatus est; quemadmodum in Ægyptum secesserit, » quæ miracula perfecerit, quomodo Judæ, quem Aposto-» lorum in numerum aggregarat, perfidiam proditionemque » subierit ? Quibus ex omnibus certe quidem illustria divinæ » prænotionis argumenta ducuntur. Accedit ipsa quoque Ser-» vatoris auctoritas, dum ita loquitur : — « Cum videritis cir-« cumdatam ab exercitibus Hierusalem, tunc scietis, quia « appropinquavit desolatio ejus [2]. » — His enim verbis quid » deinceps futurum esset, hoc est supremum Hierosolymi-» tani excidii finem exitumque prædixit. Jam vero, quoniam » hanc in Deo prænoscendi vim certis adhuc argumentis os-» tendimus, juverit deinceps, quemadmodum astra signo-» rum loco instituta sint, explicare. Statuendum igitur in » primis est, ejusmodi sideribus assignatum ac definitum » esse motum, ut quæ errantia vulgo dicuntur, viam fixis » illis atque constantibus plane contrarium teneant. Id quod » eo consilio factum est, ut ex vario astrorum situ, eorum, » quæ partim singulis, partim in universum eveniunt, signa » quædam hauriant, non jam homines certe quidem (ex illa » enim siderum conversione, quidquid aut facturi singuli » sint, aut passuri, vere ac certo intelligere, operæ est hu-» manas vires longe multumque superantis), sed naturæ » illæ superiores, quas pluribus sane de causis eam in co-» gnitionem venire necesse est, uti deinceps pro captu nos-

[1] Dan. VIII, 5. — [2] Luc. XXI, 20.

» tro demonstrabimus. Homines autem, quod nonnulla id » genus, vel observationibus quibusdam, vel Angelorum, » qui cum suos ipsi fines transilierint, tum generis in nos- » tri perniciem ista docuerint, informatione didicerint; eo- » rum simul, quorum significationem iis Scriptura tribuit, » auctores illos esse putaverunt, a quibus ea se percipere » signa credebant. Qua de re summatim quoque paulo post, » sed tamen pro nostra facultate diligenter et accurate dis- » putabimus. Atque hæc erunt quæstionis institutæ capita. » Qui fieri possit, ut cum ea quæ a quoque fieri censentur » omnia, ex omni Deus æternitate prænoverit, sua tamen » voluntati nostræ vis potestasque servetur. Quomodo rerum » illarum, quæ hominum generi eveniunt, signa quidem si- » dera sint, causæ vero minime. Quamobrem certam et ex- » quisitam homines earumdem rerum cognitionem habere » non possint, sed naturis humana superioribus proposita » signa illa sint. Nam quorsum iisdem ex signis aliquid na- » turas illas cognitionis haurire voluerit, quarto demum » loco quæremus. Ordiamur a primo, in quo dum cautiores » esse Græcorum plerique vellent, quodque si Deo futuro- » rum prænotio tribueretur, vim rebus inferri putarent, ac » voluntatis nostræ jura violari, nefarium impiumque dogma » suscipere temere, quam alterum illud probare maluerunt, » quod Deo quidem (ut ipsi loquuntur), gloriæ cederet, ve- » rum arbitrii nostri vim et facultatem everteret, simulque » proinde omnem cum laude vituperationem, et quidquid » aut est complectendum in virtnte, aut in vitio reprehenden- » dum. Enimvero, si hunc aut illum Deus injuriosum futu- » rum, si has aut illas injurias illaturum ex æternitate cogno- » vit, nec falli prænotio divina potest : is profecto, quem » ejusmodi fore prævideri, et injuriosus omnino futurus est, » et tales injurias illaturus : adeoque fieri nullo modo potest, » ut ab illis injuriis abstineat, cum et ad eas inferendas ne-

» cessitate rapiatur, nec aliud ab eo quidquam fieri possit, » quam quod futurum Deus esse cognoverit. Jam si aliud » prorsus agere nihil potest; nec quisquam jure vituperatur » quod id non fecerit, quod fieri ab eo non potuit, homines » injuriosos frustra calumniamur. Deinde vero ab injuriosis » et injuriis ad cætera peccatorum genera gradum faciunt. » Tum a contrario, de iis quoque rebus, quæ præclare fieri » honesteque videantur, simili ratione statuunt: tandemque » concludunt, si Deo semel futurorum prænotio concedatur, » arbitrii nostri potestatem continuo funditus esse tollen- » dam. Quibus hoc modo respondendum erit. Deus, quod » nulla res causam non habeat aliquam, dum sub ipsum or- » bis moliendi principium, futura sigillatim omnia mente » percurrit, videt illico, si factum hoc erit, illud proinde » secuturum; quod ubi extiterit, tertium ex eo quiddam » aptum fore; hoc item si positum erit, et consequens illud » futurum: itaque ad rerum finem omnium cognitione per- » ducta, quidquid futurum est intelligit: nec tamen cujus- » libet omnino rei, cur hoc illove modo eveniat, causa di- » cendus est. Quemadmodum enim, si quem imperitia te- » merarium ac præcipitem esse videas, eaque temeritate » impulsum lubrico sese itineri committere, ut eum labente » fallenteque vestigio ruiturum intelligas, ipsi tamen prolap- » sionis causa non es. Ita plane sentiendum est, Deo, quod » cujusmodi quisque sit futurus præviderit, causas etiam » quamobrem ejusmodi sit futurus, quæque ab eo vel im- » probe vel præclare gerenda sint, esse perspecta. Atque, » ut libere, quod res est, eloquamur, non Dei modo præno- » tionem rerum causam non esse (nec enim quem peccatu- » rum Deus esse prævidit, eum dum re ipsa peccat, ad fa- » cinus quasi manu deducit), sed etiam, quod a communi » sensu remotius quidem, sed verum tamen est, id ipsum » quod futurum sit, ejusmodi prænotionis causam esse. Ne-

»que enim idcirco fit, quod futurum esse cognoscatur, sed »quod futurum sit, idcirco futurum esse cognoscitur. Quo »quidem in genere, distinctione opus est. Nam si quod om- »nino futurum dicitur, id ita quis accipiat, perinde ac si »quod prævisum est, evenire necesse sit : hoc vero minime »damus. Nec enim, quod prævisa Judæ proditio fuerit, »Judam propterea necessario proditorem fuisse concedimus. »Enimvero, quibus in Prophetarum oraculis futurum Judæ »scelus exprimitur, iisdem hominis incessitur carpiturque »improbitas, atque omnium in oculis indignitas ejus pro- »brumque traducitur. Qui si ad proditionem vi ac necessi- »tate raperetur, nec reliquis Apostolis per eam similis esse »posset, omni profecto crimine ac probro vacaret. Vide ergo, »num id ipsum disertis hisce Propheta conceptisque verbis »aperiat : — « Nec sit, qui misereatur pupillis ejus, pro eo «quod non est recordatus facere misericordiam : Et persecu- « tus est hominem inopem, et mendicum, et compunctum « corde mortificare. Et dilexit maledictionem, et veniet ei : « et noluit benedictionem, et elongabitur ab eo [1]. » — Sin »autem illud idem, quod omnino futurum dicitur, ita quis, »prout asseverationis hujus significatio postulat, intelliget; »quasi futurum sit illud quidem, cæterum aliter etiam eve- »nire potuisset : id tanquam verum ultro fatemur. Nam ut »mentiri Deus fallique non potest, ita quæ fieri æque ac non »fieri possunt, eadem ipse futura nosse pariter, aut non fu- »tura potest. Verum dilucidius hac de re hunc in modum »statuemus. Si Petro similis Apostolus Judas esse potest, »potest etiam Deus Judam Apostolum Petro similem futu- »rum cognoscere. Similiter, si proditor Judas esse potest, »potest quoque Deus illum nosse proditorem futurum. Jam »si re ipsa proditor Judas erit, Deus sane, qui utrumque »illud fieri posse prænovit, ut rei cujusque veritatem in se-

[1] Psalm. CVIII, 12.

» ipso prænoscit, ita Judam re ipsa proditorem futurum, præ-
» noscet, cum interea quod eum in modum cognoscit, aliter
» ex sese evenire posset. Itaque non immerito divinæ præno-
» tioni ejusmodi oratio tribuatur : Accidere omnino potest,
» uti hoc ab isto fiat; nec minus tamen, uti contrarium : ego
» vero, cum fieri utrumque possit, alterum hoc futurum novi.
» Neque enim Deus, quemadmodum ut certus hic homo volet,
» fieri non posse pronuntiat, ita perinde ac si aliqua de re ora-
» culum ederet, hunc aut illum temperantem fieri posse negat.
» Nam cum nulla prorsus ad volandum facultate instructus
» homo sit, ejusdem tamen potestatis est, vel temperanter
» vel intemperanter vivere. Ita cum utramque facultatem
» habeat, qui cohortationes et doctrinæ præcepta negligit,
» deteriori sese permittit; qui vitæ ad veritatis normam exi-
» gendæ studio, in ejus indagatione versatur, is ad melio-
» rem sese adjungit. Cæterum, quod alter de vero inda-
» gando minus laboret, voluptatis id cupiditate fit; alter
» vero, quod ejus studio magnopere teneatur, hoc certo
» quodam proprioque consilio facit, ad quod partim ipsa
» notione sensuque communi, partim cohortatione adductus
» est. Præterea voluptatem alter non eo complectitur, quod
» adversus eam consistere nequeat, sed quod pugnare cum
» ea luctarique nolit : calcat eamdem alter, quod adjunctam
» ei ut plurimum turpitudinem ferre non possit. Ac nullam
» prorsus a divina prænotione, rebus iis, quas prævidet,
» necessitatem imponi, cum superioribus argumentis, tum
» hoc insuper efficitur, quod in sacris passim litteris Pro-
» phetæ ad pœnitentiam homines cohortari jubeantur, id-
» que perinde, ac si utrum ii meliorem ad frugem sese re-
» cepturi, an suis in sceleribus hæsuri porro ac perstituri
» sint, ignoraret. Sic apud Hieremiam habetur, *Forsitan*
» *audient, et agent pœnitentiam.* Neque enim, quod audituri
» sint nec ne, minus intelligat, idcirco hunc in modum ipse

»loquitur, *Forsitam audient, et agent pœnitentiam*, sed ut »illam quodammodo parem in utramque partem, vim fa»cultatum his verbis ostendat: ne qui jam ante prænotionis »ejus certitudinem audierint, ii proinde ac si et ea necessi»tatem inferret, nec meliorem vitam instituere arbitrii fo»ret sui, animos deinceps ac spem omnem abjiciant, adeo»que in peccatum ab illa propemodum impellantur. Deinde »vero, ne qui dum prævisum eos bonum lateret, pugna »cum improbitate suscepta, vitam ex virtutis norma insti»tuere potuissent, eos talis contra prænotio remissiores ac »solutiores efficiat, quod dum plane bonum illud futurum »putarent, minori propterea cum peccato animi contentione »pugnarent. Sic enim ipsa prænotio futurum quoque bo»num impediret. Quamobrem qui orbem universum præ»cipuo rerum bono moderatur Deus, idem nos sapienter »omnino futuris in rebus cæcos esse voluit. Earum enim »cognitio, uti nostrum adversus improbitatem impetum »constantiamque frangeret, ita dum certa fixaque videre»tur, longe nos citius atque facilius, omni contentione ab»jecta, sceleris in dominatum ac potestatem adduceret. Imo »pugnarent ista secum, ut idem et probus evaderet, et »certo probum se futurum esse prænosset. Nam cum præ»ter ea, quæ nobis indita sunt, magno insuper ad virtutem »parandam ac vehementi conatu opus habeamus, tum oc»cupata semel ista virtutis certo futuræ præceptaque co»gnitio, vim exercitationis omnem debilitat. Ita probine fu»turi simus an improbi, summo utique nostro bono igno»ramus. Sed quoniam divino consilio factum esse diximus, »ut rebus in futuris cæcutiamus, vide num inde fortassis »huic Exodi quæstioni lucis a nobis aliquid afferri possit. »*Quis fecit surdastrum ac surdum, videntem et cæcum? nonne* »*ego Dominus Deus*[1]? Ut cæcum pariter ac bene oculatum

[1] Exod. IV, II.

»hoc sensu fecisse dicatur, in præsentibus oculatum, cæcum in futuris. Nam surdastri quidem surdique rationem ac discrimen exquirere, hujus loci non est. Quanquam, plurima sane, quæ juris nostri non sunt, multorum etiam, quæ nostra in potestate sint, causam interdum esse, fatemur ipsi quoque: ac propterea nisi ea, hoc est, in quæ potestatis ac juris habemus nihil, antecederent, ne hæc quidem aut illa secutura esse, quæ nostra tamen ex libertate pendent. Cæterum ita quidem eorum nonnulla, quæ in nobis sita sunt, alia, quæ potestatis nostræ non sunt antegressa consequuntur; ut iis etiam antegressis, a nobis præter ea, quæ fiunt, fieri quoque alia possint. Quod si erit quispiam, qui voluntatis nostræ vim ac potestatem adeo nulla cum universo conjunctione teneri volet, ut hoc aut illud, quod certa quædam antecesserint, eligi a nobis interdum optarique neget: is profecto se mundi partem esse oblitus erit, ac sese hominum communione, totiusque circumfusi aeris ambitu contineri. Ac mihi quidem pro loci hujus ratione modice adhuc, quasique compendio demonstrasse videor, nihil omnino rebus iis, quas prænoverit, a divina prænotione necessitatis afferri. Deinceps id agamus, ut ne stellas quidem ipsas rerum humanarum ullo modo causas, sed earum tantum signa quædam esse ostendamus. Primum igitur id plane constat, ut certum quemdam stellarum situm, certarum quoque rerum, quæ ad hominem pertineant, causam esse demus (nam de hoc in præsentiarum instituta quæstio sit): qui tamen hodierna die, verbi gratia, certo quidam homini earum situs extiterit, eumdem rerum earum causam esse nullo modo potuisse, quæ in alio quopiam, aliisve pluribus jam ante contigerint. Quidquid enim aliud efficit, eo, quod efficitur, prius esse debet. Atqui eorum præceptis, qui artem istam profitentur, id quoque fieri posse vulgo

» putant, ut quæ tali situ priora sunt, de hominibus prædi-
» cantur. Quippe sibi enim hoc isti sumunt, ut ubi semel
» horam unius alicujus hominis singularem certo quodam
» modo deprehenderint, exploratum ipsi continuo habeant,
» ecquem ad perpendiculum siderum errantium quodlibet
» situm in hac illave signi parte, partisque minutiis obtine-
» ret; simulque quodnam zodiaci astrum in Orientali hori-
» zonte, quodnam in Occidentali versaretur, quænam item
» medium utriusque hemisphærii cœlum adversa positione
» occuparent. Atque ubi stellas eas, quarum sibi animo
» figuram videntur et collocationem informasse, hoc illove
» situ sub alicujus ortum fuisse posuerunt; tum ii vero ex
» illo ipso tempore, quo editus in lucem is est, cujus fatum
» rimantur, non futura modo, sed etiam præterita, quæque
» ejusdem et ortum et satum antecesserint, conjiciunt:
» qualem ipsa patrem habeat; divitem an tenuem, integri
» corporis, an mutili; bonis an malis moribus; amplane an
» angusta re familiari; hoc an illud complexum vitæ genus:
» similiaque tam de matre, quam de fratribus, si qui sint,
» natu majoribus inquirunt. Nos vero, ut demus interim
» (quod ipsum tamen falsi postea coarguemus), exquisite ab
» iis totam illam situs astrorum locique rationem teneri
» posse: quæramus ex iis tamen, qui rebus humanis vim
» a sideribus afferri putant, qui tandem hodiernus iste situs
» rerum tempore superiorum causa esse possit. Nam id si
» fieri nullo modo potest, profecto etiam, dum iis de rebus
» veri quidpiam invenitur, plane consequens est, ut præsens
» hic astrorum in cœlo motus, quæ jam ante contigerunt,
» quam ejusmodi situm obtinerent, efficere non potuerit. Sin
» aliquis forte erit, qui ad veritatem iis hoc in genere conce-
» dendum, rerum futurarum præsensionibus adducatur; fa-
» tendum ipsi tamen, verum ab illis eo prænuntiari tantum,
» quod illud astra futurum significent, non quod efficiant.

» Quod si alius præterita non jam a sideribus effici concedet, » sed cognitionis eorum causa in priores alias positiones » figurasque translata, solam hodierno situi significationem » relinquet: sic tamen, ut præsenti siderum sub ortum » certi hujus hominis collocationi, certam futurorum præ- » notionem deberi velit: afferat ille porro discriminis ratio- » nem, quamobrem alia tanquam effecta vi siderum, alia » tanquam ab iis modo significata, vere cognosci posse » defendat. Quod illi discrimen cum assignare nullum pos- » sint, nobiscum deinceps ingenue, nihil eorum, quæ ad » homines pertineant, a sideribus effici fateantur; sed tan- » tum, uti jam ante diximus, utcunque significari. Quod per- » inde omnino fuerit, ac si quis non jam ex iisdem sideri- » bus, sed per aliquam prophetiam, ex ipsamet Dei mente » res aut præteritas aut futuras intelligeret. Quemadmodum » enim superius ostensum a nobis est, quod Deus, quæ a » quoque profectura sint, omnia prænoverit, id nihil pror- » sus voluntatis nostræ potestati officere: ita nec eidem, » quæ rerum signa Deus esse voluit, incommodant. Sed vo- » luminis alicujus instar, futurum prophetica dictione com- » plexi, universo quoque cœlo, qui Dei liber quidam est, » contineri futura possunt. Itaque hunc in modum intelligi » potest, quod in Josephi precatione a Jacobo dicitur, *Legit » in tabulis cœli, quæcunque accident vobis, et filiis vestris.* » Quin etiam illud, *Complicabitur cœlum quasi liber*[1], eo for- » tassis pertinet, ut impressas ipsi rerum futurarum signifi- » cationes perfectum quasique completum iri demonstret, » quemadmodum ipso rerum exitu completa vulgo prophe- » tarum dicuntur oracula. Atque ita signorum ut vice funge- » rentur, constituta divinitus astra fuerint, juxta illud, » *Sint in signa.* Quanquam Hieremias[2], uti et nobis nos ipse » reddat, eoque metu liberet, quem ea nobis afferre possent,

[1] Isai. xxxiv, 4. — [2] Jer. x, 2.

» quæ ab astris vel significari, vel proficisci quandoque vi-
» deantur, ita monet, *A signis cœli nolite metuere.* Jam vero,
» aliud præterea videamus argumentum, quod sideribus
» efficiendi nullam, sed aliquam tantum (si vel ipsa tamen
» dari potest) significandi vim relinquat. Docebunt enimvero
» infiniti rerum ortus, quæ uni duntaxat homini eventura
» sint (id quod tamen ex hypothesi dictum esse velim, per-
» inde ac si eorum in cognitionem homines venire posse
» concedamus). Quod enim hic aut ille certi quidpiam su-
» biturus sit, puta jugulandus a latronibus, in quos inci-
» derit; hoc isti quidem partim ex singulari ejus ortu,
» partim ex fratrum, si plures numeret, singulorum na-
» talitiis haberi posse defendunt. Fratris enim cædem
» latronum manu futuram, singulorum, nec non paren-
» tis utriusque, imo conjugis etiam, liberorum, famulo
» rum, ac necessariorum, adeoque interfectorum ipsorum
» fortassis ortu inclusam teneri putant. Quemadmodum
» ergo fieri potest, ut qui tot aliorum (demus enim hoc
» interim) natalitiis involvitur, idem astrorum huic potius
» generationi quam cæteris præsidentium positioni addi-
» catur? Incredibile enim est, positionem, quæ singulari
» unius cujusdam ortui præfuerit, hujusmodi exitus cau-
» sam fuisse : quæ cæterorum in natalitiis extiterit, non
» fuisse, sed ejus modo significationem aliquam dedisse.
» Nec minus insulsum fuerit, omnibus ac singulis plurium
» istorum natalitiis hominis unius cædis causam includere :
» quasi generationibus ex hypothesi quinquaginta, certi
» unius hominis occisio comprehensa teneretur. Jam intel-
» ligere profecto non possum, qui tandem Judæos omnes ea
» nasci astrorum positione defendent, ut octavo die circum-
» cidi cunctos oporteat, itaque summa cute truncari, tor-
» queri, ardenti tumore inflammari, lacerari vulneribus,
» postremo vix natos medicorum arte ac manibus indigere.

»Ismaelitas contra eos, qui Arabiam tenent, eo situ in lu»cem edi, ut omnes circa annum decimum tertium circum»cidi necesse sit. Id enim hoc de hominum genere comme»morant. Præterea qui fiat, ut certis quibusdam apud non»nullos Æthiopiæ populos genuum patellæ, Amazonibus »mammarum altera resecetur. Quomodo enim similia, cer»tis duntaxat in gentibus, siderum vis efficiat? Equidem »sic existimo, veri nihil hoc in genere, in quo vel leviter »hærere liceat, excogitari a nobis, asserique posse. Cæte»rum, cum tam multæ prænoscendi artes circumferantur, »non video, quamobrem in id potissimum homines impe»gerint, ut augurali et haruspicinæ efficiendi vim nega»rent, significandi tantum concederent, idem tamen de »ea, quæ in stellarum et natalitiorum consideratione versa»tur, non sentiant. Nam si cognosci futura possunt (hoc »enim in præsentia demus); idemque cognitionis illorum »est effectionisque principium: cur in stellas potius, quam »in aves, eorum quæ fiunt causa, conferatur? vel cur avi»bus eadem potius, quam aut victimarum extis, aut dis»currentibus ignibus assignetur? Hactenus quidem a nobis, »quantum hic locus postulabat, confutata illa sententia est, »quæ rerum humanarum effectionem a sideribus pendere »statuebat.

»Quod autem paulo ante, cum nihil susceptæ disputa»tioni officeret, ultro concessimus, nempe cœlestes illas »positiones, signa, quorumque signa illa sint omnia, fa»cultatis humanæ viribus intelligi posse: id verumne sit, »nunc demum exquiramus. Primum igitur artis hujus ma»gistri docent, qui ad veram ac perfectam rerum genethlia»carum cognitionem aspiret, tenendum huic esse non modo »quanam in parte duodecima, sed etiam quanam in illius »duodecimæ particula, imo ecqua tandem in sexagesima »versetur astrum. Addunt vero, qui rem expendunt accu-

» ratius, quanam in illius sexagesimæ sexagesima. Quod idem » ipsi errantium in siderum quolibet faciendum esse præci- » piunt, mutuam singulorum cum iis, quæ fixa vocant, com- » parationem ac respectum vestigando. Deinde in ipso quoque » Orientali horizonte, non videndum esse modo, quænam » duodecima pars in eum subeat, sed etiam quæ nam illius duo- » decimæ particula, quæque hujus sexagesima, primane an » secunda. Quemadmodum ergo fieri possit, ut cum hora, si » latius rem æstimes, duodecimæ partis dimidium complecta- » tur, sexagesimam is teneat, qui horarum divisionis analo- » giam non teneat? Exempli gratia, nosse qui poterit, certum » hunc hominem, hora quarta, parte horæ dimidia, quarta » octava, decima sexta, secunda et trigesima natum esse? » Nam propter horæ, non integræ modo, sed etiam definitæ » hujus certæque particulæ ignorationem, plurimum sæpe » volunt, in ea quæ significantur, varietatis incidere. Et in » geminis quidem, ut alterius ortus ab altero, momento » sæpe uno punctoque temporis dirimatur, multæ tamen » occurrunt tam casuum quam rerum negotiorumque varie- » tates, partim, ut ipsi aiunt, quod stellarum diversus in » utroque respectus fuerit, partim quod minus certam illam, » quæ in horizontem subiret, partis signi duodecimæ parti- » culam ii tenuerint, qui exploratam sese horam habuisse » putaverant. Nam hoc quidem, pars ne horæ tricesima, or- » tus utriusque intervallum extiterit, statuere nemo potest. » Verum id quoque per nos habeant, ut exquisite horam » tenere possint. Extat sane quoddam ejusmodi theorema, » quo zodiacum circulum, perinde ut errantia sidera, ab » occasu in ortum ita ferri demonstrant, ut centesimo quo- » que anno motum hunc suum pars ejus quælibet una con- » ficiat. Qui motus longioris progressu temporis, in signa » duodecim varietatis plurimum inferat: cum signum aliud » sit, quod mente concipitur, aliud, quod quasi sensu infor-

» matur : sic tamen ut ex eo tantum, quod mente concipi-
» tur, quodque vix ac ne vix quidem teneri certo potest, rei
» veritas habeatur. Quanquam id etiam a nobis detur, ut aut
» signum illud, quod mente concipitur, certo teneri queat,
» aut ex eo saltem, quod sensu informatur, verum intelligi.
» Astrorum certe quidem illorum, quæ in situm ejusmodi
» figuramque concurrunt, quam ipsi contemperationem ap-
» pellant, exquisite abs sese defendi non posse fatebuntur.
» Contingit enim sæpissime, ut vel infestioris hujus astri
» vis, quod emersit, alterius felicioris aspectu magis mi-
» nusve retundatur : vel ut id ipsum quo minus eveniat, pro-
» prius quidam ac singularis alterius, quod deterius aliud
» significet, situs impediat. Ac mihi sane ita persuadeo,
» quisquis in locorum istorum disquisitione versabitur, pro-
» nuntiaturum eum utique, perspectam exploratamque mor-
» talium nemini eorum rationem esse, sed ei duntaxat vim
» significandi aliquam ad summum concedi posse. Qui au-
» tem res ipsas experientia ipse sua probaverit, agnoscet
» ille profecto, id hominum genus in suis illis, quas aut
» voce aut scripto concipiunt, præsensionibus longe sæpius
» aberrare, quam quod sibi fingunt verum attingere. Qua-
» mobrem Isaias, quod ea certo ab hominibus nullo modo
» teneri possint, Chaldæorum filiam, qui hanc divinandi
» artem sibi præ omnibus sumebant, hunc in modum com-
» pellat, *Stent vero, ac salvent te astrologi cæli : annuntient*
» *tibi, quod super te venturum est.* Quibus nos sane docuit,
» ne ab illis quidem ipsis, qui res istas summo et acerrimo
» studio persequuntur, quid quoque populo facere Dominus
» statuerit, prænuntiari posse. » Hactenus Origenes.

Atque universa hæc nostra disputatio ad summa duo capita revocari potest : Alterum, Deos nequaquam eos fuisse, qui per urbes passim oracula fundere videbantur: Alterum, ne bonos quidem Genios extitisse : contra vero præstigiatores

quosdam, circulatores, atque impostores, qui in exitium pestemque veræ pietatis, cum alios passim omnes, tum hunc in primis de fati necessitate errorem in hominum genus invexerint. Quo, præter Jesum Servatorem nostrum, cum illud ex omni memoria liberarit nemo; jure sane tractanda hæc omnia sub Evangelicæ Præparationis initium suscepimus: ut re ipsa discamus, quibus tandem nati majoribus quamque gravi errori laborantibus: quantæque simul ipsi et quam immanis cum vecordiæ, tum impietatis ex tenebris, cum genere hominum universo, caput attollere; ac tam late patenti, tamque diuturnæ Dæmonum fraudi vexationique remedium, salutaris unius Evangelicæ doctrinæ beneficio invenire potuerimus.

LIBER SEPTIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Vetustissimorum Hebræorum instituta; jureque nos sacras eorum litteras patriis monumentis prætulisse.

Sequitur, ut Hebræorum deinceps, quam omnibus patriis ritibus potiorem habuimus philosophiæ religionisque formam, vitæque simul rationes et instituta persequamur. Nam cum id a nobis adhuc effectum sit, ut non inconsiderate ac temere, sed maturo castigatoque judicio, vanam illam ac spuriam omnium tam Græcorum, quam Barbarorum theologiam, relictam a nobis ac repudiatam fuisse constaret: solvenda modo nobis altera quæstio est, ratioque reddenda, quæ nos ad suscipiendam ac probandam Hebraicarum litterarum doctrinam impulerit. Ac nobis quidem crimini probroque dandum non esse, quod a Barbaris utilitatis aliquid mutuemur, opportuniori majorique otio demonstrabimus, dum quidquid usquam apud Græcos, imo apud celeberrimos etiam illorum philosophos non modo haustarum e philosophia disciplinarum, sed etiam quidquid e re communis hominum societatis, ac rerumpublicarum usu fuerit, id omne Barbarorum ex disciplinis ac legibus corrogatum et consarcinatum esse ostendemus. Jam vero, nullum prorsus apud ullam gentem ejusmodi unquam inveniri bonum potuisse, cujusmodi ad nos pro-

fectum ab Hebræis est, quivis opinor ex sequentibus intelliget.

CAPUT SECUNDUM.

Summa reliquarum gentium theologiæ capita, quamque gravium malorum humanæ societati causa illa fuerit.

Nam cæteri quidem populi, jam usque a societatis humanæ primordiis, ad consequentia deinceps tempora, dum propterea quod de anima sua constituti haberent nihil, ad solos corporis sensus adhærescerent, ac præterea, quæ cernuntur oculis, aliud omnino nihil esse cogitarent; honesti proinde atque utilis, imo solius boni loco voluptatem corporis habuerunt; adeoque unam illam, perinde ac si præter ipsam aliud nihil, neque boni, neque jucundi ac suavis reperiretur, eademque sola per sese ad beate vivendum satis esset, studio et amore dignam rati, deorum quasi maximam consecrarunt. Ita ne vitam quidem ipsam, nisi adjunctam haberet corporis voluptatem, sibi expetendam putabant, adeoque vitæ munus, non jam ut viverent, sed ut suaviter viverent, complexi, ejusdem illi, perinde ut solius boni, copiam, liberis quoque suis precabantur. Itaque alii solem, lunam, ac reliqua sidera vitæ corporeæ fontes esse suspicati, simulque ad lucis aspectum admiratione perculsi, principes hosce Deos ita prædicarunt, ut eosdem rerum auctores omnium esse statuerent. Alii natis ex terra frugibus, nec non humidæ siccæque pariter, calidæque naturæ, ac cæteris Universi partibus, quibus nutrita saginataque ipsorum corpora, corpoream simul vitam et voluptatem venarentur, Deorum nomen decusque tribue-

runt. Alii multis ante sæculis, nuda perfrictaque fronte, suas ipsi cupiditates, earumque dominam voluptatem, amorem, cupidinem, venerem, quibus ipsos quoque Deos cedere jactabant, divinitate donarunt. Alii Tyrannos quosdam ac Principes, a quibus profectum ac repertum aliquid ad vitæ delicias fuerat, cum vivos adhuc et spirantes, tum etiam morte perfunctos, Deorum in numero collocarunt, acceptorum beneficiorum suavitate permoti. Alii, pravorum Spirituum ac Dæmonum ludus et fabula, eo vehementius partis illius animæ suæ, quæ perturbationum et cupiditatum sedes est, vim ac potestatem auxerunt, quo novam sibi voluptatum ab iis copiam, solemni certisque ritibus constituta eorum veneratione comparabant. Alii, omnibus istis valere jussis, aliquid sese rati universa hac theologia moliri præstantis, Divinitatem omnem funditus sustulerunt. Alii denique castigatam illam terque beatam vitam, non aliam esse quam voluptatem defendentes, summum eam bonorum finem, omnium impudentissimi posuerunt. Atque hunc in modum, genus hominum universum, tanquam acerbissimæ cuidam teterrimæque dominæ, voluptati Deæ, vel turpissimo potius ac flagitiosissimo Dæmoni mancipatum, in omnia calamitatum genera demersum est. « Nam fœminæ » eorum (*ut divinus olim Apostolus querebatur*) immutave- » runt naturalem usum fœminæ, in eum usum, qui est con- » tra naturam. Similiter autem et masculi, relicto naturali » usu fœminæ, exarserunt in desideriis suis in invicem, » masculi in masculos turpitudinem operantes, et merce- » dem, quam oportuit, erroris sui, in semetipsis recipientes.» Ita, Græci pariter ac Barbari, sapientes et idiotæ, deorsum omnes atque in suum ipsi ventrem prolapsi, voluptatem quasi Deum adorarunt, ac serpentium in morem pronos sese dejicientes, non in ea modo, tanquam in ejusmodi

[1] Rom. I, 26.

Numine, cujus vim declinare nemo posset, acquieverunt, sed etiam carminibus passim hymnisque suis, tam in Deorum festis, quam in publicis omnibus spectaculis, turpis unius ac flagitiosæ voluptatis orgia, indignaque mysteria, cum initiando, tum sacris operando celebrarunt. Quare jure profecto, si quidquam aliud, totum hoc apud nos obscœnitatis genus sublatum est. Libidinis enim initium, idolorum excogitatio est. Cæterorum ergo populorum, ut paucis absolvam, theologiæ tam varia fuit multiplexque ratio : cum enim uno tantum impuræ tetræque voluptatis principio niteretur, plurima tamen ac varia, hydræ cujusdam cervicibus capitibusque scatentis in morem, sectarum divortia ac discrimina peperit. Ita cum tanto tamque fœdo errore laborarent, mirum profecto non est, si homines voluptatis Deæ, ac scelerati Dæmonis addicti obsequio, novorum subinde malorum cumulo premerentur, dum et insanis mulierum amoribus, et masculæ veneris obscœnitate, et incestis matrum filiarumque nuptiis vitam permiscerent universam, ac ferinam belluarum naturam sceleris magnitudine superarent. Atque hujusmodi vetustarum gentium mores, et adulterinam earum theologiam fuisse, ipsismet Græcorum non historicorum modo, sed etiam philosophorum, quæ superioribus libris congesta sunt, testimoniis abunde probavimus.

CAPUT TERTIUM.

Quinam Hebræorum mores fuerint, quidve de universi Auctore ac Molitore senserint.

Jam vero, quandoquidem priscorum hominum vitam exploratam habes : quemadmodum soli ex omnibus Hebræi,

contrariam, tanta in multitudine, viam inierint, animo deinceps et cogitatione intuere. Etenim principes illi, solique universo hominum ex genere, cum a primis retro societatis humanæ cunabulis, mentem in homine digna contemplatione defixissent, atque ad naturales universi rationes pie sancteque rimandas contulissent; prima quidem corporum elementa, terram, aquam, aërem, ignem, ex quibus hunc orbem constare sentiebant; solem pariter, lunam ac sidera, non Deos, sed Dei opera esse philosophati sunt. Probe enim ipsi, corporeæ substantiæ propriam hanc esse naturam intelligebant, ut quemadmodum fluxa illa, atque interitui obnoxia est, ita ratione simul et animo careat. Deinde cum fieri non posse cogitarent, ut vel mundi hujus universi tam apte sapienterque conformata species, quæque tanta spirantium animalium, et ratione partim præditorum, partim carentium multitudine abundaret, fortuitæ ac tumultuariæ causæ assignaretur: vel rerum animatarum inanimus, ratione præditarum rationis expers auctor et opifex statueretur: sed potius intelligerent, cum neque repente ac per sese domus unquam ulla ex lignis et lapidibus coalescat, nec vestis absque textoris industria perficiatur, nec civitates aut respublicæ absque legum et principum, neque naves absque gubernatorum moderatione consistant, nec minimum quidem artis instrumentum sine artificis existat manu, neque navis unquam ulla felicem ad portum appellat, sapientis magistri gubernatione spoliata: multo sane minus hanc elementorum, ex quibus orbis iste conflatus est, expertem animi rationisque naturam, si summa illa Numinis divini sapientia secludatur, suapte vi nativaque facultate vitam simul et rationem obtinere. Hæc, inquam, aliaque similia, cum Hebrææ pietatis ac religionis parentes cogitarent, Deum illum universi Molitorem, quem purgata mente, atque illuminatis animi oculis, in tanta rerum creatarum

magnitudine ac specie agnoscebant, justa sunt veneratione prosecuti.

CAPUT QUARTUM.

Quid iidem partim de animæ immortalitate, partim de corporis natura senserint.

Deinde vero, cum iidem sese quoque partem esse Universi non exiguam sentirent, e duabus sui partibus alteram (quem verum ipsi, quique nonnisi animo cognosci possit, hominem appellabant) in pretio habendam putaverunt: alteram, nempe corpus, quoddam quasi septum esse, quo inclusus ille teneatur. Atque hoc discrimine constituto, in componenda hominis interioris vita, curam illi deinceps omnem studiumque posuere. Quod ipsi cum Deo rerum omnium Architecto vehementer probari cognoscerent, a quo id muneris homo acceperat, ut iis, quæ terrarum ambitu continentur, omnibus, non robore corporis, sed animi facultate imperaret (nam e rebus, inanimas alias esse, ut lapides atque ligna; vim aliis inesse vitalem, ut omnibus terræ germinibus: alias sentiendi facultate præditas, oblata extrinsecus impulsione commoveri, ut animantes ratione privatas: atque hæc omnia generis hominum unius obsequio, necessitate quadam mancipari, quam non robur viresque corporis, sed ratio atque animi virtus afferat: cui proinde regium quoddam in terrena omnia ditionis et imperii jus, ab rerum universarum Auctore cœlitus concessum esse perviderunt). hac illi cogitatione adducti, corpus corporumque delicias, loco non alio, quam cæterarum terræ pecudum genus, habendas esse censuerunt: quam vero sui partem imperio do-

natam agnoscebant, utpote cognatione aliqua summo rerum omnium Imperatore conjunctam, ipsamque animi ratione intelligentiaque præditam, imo divinam quamdam, ac doctrinæ sedem simul parentemque facultatem, quod summi Numinis expressam ferret imaginem, omni unam diligentia studioque coluerunt. Deinde, quod præter bonorum omnium fontem auctoremque Deum, aliud prorsus intelligerent boni esse nihil, quodque unus ipse aptas ex sese vitæ, animi, corporis, quæque illis necessaria sunt, causas omnium et rationes haberet, felicitatis universæ finem, ejus in unius partim cognitione, partim amore posuerunt. Ita cum vitam instituerent, ex una ejus voluntate nutuque suspensam, eique soli, rerum præterea quæ videntur nulli, adjungendos sese addicendosque statuerent, eidem sese totos corpore simul atque animo consecrarunt. Atque ita cum et Deum maxime diligerent, et vicissim ab eo diligerentur, summi Numinis cultores vere ac sacerdotes effecti sunt, imo, « genus electum ac regale, Deique sacer» dotium, et gens sancta[1], » merito suo nuncupati, veræ hujus pietatis semine suos etiam in posteros nepotesque transfuso. Num ergo tibi jam id a nobis consilii cum ratione susceptum videtur, uti et Græcis Hebræos anteferremus, quæque ab illis de sanctorum virorum pietate prodita sunt, Phœniciis ægyptiisque Numinibus, quæque de illis jactantur ignominiosis indignisque fabulis potiora duceremus?

[1] 1 Petr. II, 9.

CAPUT QUINTUM.

Eosdem suo in Deum amore consecutos esse, uti Numinis aspectu et oraculis fruerentur, quod utrumque sacris litteris consignatum est.

Sed vide tu porro, quo tandem eos carissimæ Deo virtutis aspirasse commemorent. Nempe divinum illud Numen, cum genus hoc hominum tam propter cæteram vitæ pietatem atque disciplinam, quam ob singularem erga se religionem complecteretur, diviniorum eis deinceps oraculorum, suique pariter et Angelorum præsentiæ aspectusque copiam facere statuit, dum partim naturæ mortalis inopiam, res agendas insinuando sublevaret, partim dogmatum iis ac præceptorum, quæ Deum plane decerent, cognitionem aperiret. Ita non jam argumentis aut conjecturis quibusdam, sed ipsiusmet veritatis luce collustratam mentem habebant, divinoque afflati numine, cum res futuras, perinde ac præsentes, intuebantur ipsi, tum quidquid universim eventurum esset, humano generi divinitus prædicebant. Hæc illa sunt, quæ celeberrimis, Deoque plane dignissimis oraculis, de singulari Hebræorum virtute continentur, quæque Græcis fabulis patriisque nugis ipsi prætulimus: cum istis, flagitia de Diis turpissima jactarentur, illi vero hominum Deo carissimorum historias ac monumenta proponerent summa cum pietate conjuncta.

CAPUT SEXTUM.

Eosdem, ante natum Mosem, necdum Judaicis religionibus informatos pietatis laude floruisse.

Ac longe quidem antequam aut natus Moses esset, aut natio Judæorum existeret, jam usque a longissimi temporis memoria, Judæorum ipsorum majores rerum istarum cognitione floruerunt. Nam hoc etiam enucleasse ac statuisse juverit, cum nullum extaret adhuc Judaismi vestigium, Hebræos quidem illos, qui a nobis laudantur, jam tum nomine simul ac moribus fuisse, qui tamen Judæi nec essent, nec vocarentur. Itaque vel hinc utrorumque discrimen intelligas, quod Judæi quidem a Juda, cujus ex tribu regnum Judæorum multis post annis constitutum est, nomen acceperint; Hebræi autem ab Hebero, cujus nepos Abrahamus fuit. Ac Judæis antiquiores Hebræos fuisse divinis quoque litteris edocemur. Nam quod ad ipsum religionis cultum attinet, Mosem primum Judæorum legislatorem extitisse, a quo partim sabbati diem acceperint singulari quadam observantia, ad usurpandam ejus diei, quo verborum divinorum quies ac cessatio fuerat, memoriam, partim animantium, quibus aut vescerentur aut abstinerent, distinctionem, partim solemnia quædam annuaque festa, certosque corporis lustrandi purgandique ritus, et ingentem reliquarum ceremoniarum multitudinem, quæ divinioribus quibusdam symbolis ac figuris inclusæ, atque in orbem celebrandæ recurrerent: Cum Hebræi, qui longo ante Mosem tempore claruerunt, ferendæ per eum legis ignari, expeditam quamdam ac liberam pietatis viam tenerent, mori-

bus quidem ita naturæ ductum sequentibus præditi, nihil ut legum moderatione propter summam animi ab omni perturbatione vacui æquitatem indigerent; eorum vero notitiam, quæ de Deo sentire oporteret, veram consecuti. Sed istis hunc in modum præmissis, operæ pretium fuerit ad Scripturarum ipsarum fontes accedere.

CAPUT SEPTIMUM.

Hebræorum, qui ante se floruerant, vitas ab ipso Mose proprio ac singulari opere conscriptas fuisse.

Moses igitur, eximius ille theologus, atque ex Hebræis Hebræus ipse procreatus, cum patriæ gentis historiam, accurate, si quisquam alius, teneret, priscorum Hebræorum vitas, quæ sacris legibus cujusdam quasi procemii loco viam munirent, posterorum memoriæ commendare voluit, nulla unquam oblivione delendas. Iis porro, non ea tantum, quæ divinitus acceperant beneficia, verum et nonnullorum præterea, qui omnem cum Divinitate pietatis sensum abjecerant mores, simul ac pœnas intexuit; ratus iis, qui legibus suis instituendi essent, genus id cognitionis apprime necessarium futurum, ut eos et ab improborum imitatione deterreret, et ad consectanda proborum exempla stimularet. Tanti etiam erat, uti eos non lateret, majorum quidem suorum quamplurimos, antequam abs sese leges scripto latæ essent, rectæ unius rationis manum secutos, ad summam religionis ac divini cultus laudem pervenisse, qui quod et divini Numinis amicitia, et prophetiæ munere præstitissent, immortali apud se memoria viverent. Quibus autem leges ipse præscriberet, eos cum antiquioribus illis esse generis

ac sanguinis communione conjunctos, eoque verum esse, ut qui hominum Deo carissimorum ac virtutis amantissimorum nepotes essent, iidem majorum quoque suorum pietatis æmulos se atque imitatores exhiberent, atque in beneficiorum ac præmiorum patribus a Deo concessorum partem ac societatem venire omni ope studioque contenderent; non autem similium bonorum, perinde ac si obtineri ab iis nulla ratione possent, desperatione fracti ac debilitati torpescerent: quippe quæ nec supra vim eorum et facultatem omnem essent, et ipsismet illorum patribus feliciter evenissent. Quorum imagines iis propterea, qui divinis institutis imbuendi atque initiandi essent objiciendas putavit; eoque consilio priscorum vitas conscribendas selegit, et quasi picta in tabula singularem ac propriam cujusque virtutem suis coloribus adumbravit.

CAPUT OCTAVUM.

Maturo judicio, sanaque ratione susceptam a nobis eorum historiam fuisse. Hic autem cursim eorum vita perstringitur, quos ante diluvium ac deinceps ad Mosem usque, Deus præcipuo amore complexus est.

Neque vero abs re fuerit, eorum historiam breviter hoc loco percurrere. Primum igitur ante diluvium, quemadmodum ex Mosis ejusdem monumentis intelligimus (nec enim aliunde, opinor, quam ex propriis eorum quoque fontibus res Hebræorum hauriendæ sunt, cum Ægyptiacas ab Ægyptiis, et phœnicibus Phœnicias petierimus, Græcasque similiter ab iis, qui nominis apud Græcos celebritate floruerunt, adeoque a philosophis, non autem ab iis, qui in philoso-

phia hospites ac peregrini essent; quæ ad philosophiæ rationes ac decreta pertinebant. Quos tu vero justius de medicinæ præceptis, quam artis illius peritos consulas? Eodem plane jure statuo, res Hebræorum non aliis quam Hebræorum ex litteris esse repetendas); multis ergo, quemadmodum illorum docet historia, longo ante diluvium tempore, jam usque a prima hominum origine, perque longam deinceps consequentium ætatum seriem, cum præcipuo Deus amore complexus est, tum laus integritatis summa commendavit. Atque illum in primis, qui *speravit invocare nomen Domini Dei*[1]. Quo loquendi genere Scriptura declarat, alium ab eo neminem præter ipsummet rerum molitorem omnium, et universi Dominum simul atque Deum, sibi rebusque suis tutelarem, quasi patronum esse delectum: quippe, qui omnino persuasum id haberet, non universum modo vi effectricis illius potestatis bene ac sapienter esse constitutum, sed etiam perinde ut ingentem aliquam rempublicam ejusdem imperio ac ditione contineri, ac partes illius omnes ipsius tanquam summi Patris familias, imo tanquam veri legitimique Domini, Regis, ac Dei voluntate arbitrioque gubernari. Quas ille de Deo princeps eique carissimus Domini Deique notiones et appellationes animo cum informasset, idem simul facultatis omnis, ac nominis, opumque omnium loco, vel potius præ cujusvis boni copia, *speravit invocare nomen Domini Dei*, cum eum sibi cunctorum animi simul et corporis bonorum thesaurum comparasset. Quam ob causam primum eum quoque verum hominem audiisse Hebræi prodiderunt. Enos sane quidem, hoc est verus homo, appellatus fuit, congruente admodum aptaque nominis ratione. In eum enim solum veri hominis appellationem convenire statuebant, qui Dei notitiam sensumque pietatis consecutus esset, adeoque vera tum cognoscendi facultate, tum etiam

[1] (Enos.) Genes. IV, ult.

religione præditus, alium præterea neminem. Nam qui ejusmodi non sunt, quique in ventrem ac voluptatem proni et abjecti, nihil a brutis animantibus differunt : eos vero belluas potius quam homines appellandos Hebræorum docent litteræ, quæ suo quamque rem ac proprio nomine appellare solent. Itaque genus hoc hominum, modo lupos et canes, modo sues quisquiliis inhiantes, modo serpentes etiam et angues, pro varia et multiplici geminorum affiniumque vitiorum ratione, vocare consueverant. Quemadmodum, si quando vel hominem in universum, vel genus ipsum hominum designare opus est, proprio similiter et innato, hoc est Adami, nomine omnes ex æquo significant. Quippe id enim nominis, quod si græce reddatur, natum ex terra sonat, primo illi cunctorum hominum parenti proprium atque a natura ipsa inditum fuisse docent. Enos igitur omnium principem Hebræorum historia divino ab amore commendat, quod, cum primus *speravit invocare nomen Domini Dei*, in parte animi ratione prædita non modo vere cognoscendi, sed etiam quæ Deum unum intuetur religionis hauriendæ ac percipiendæ vim exeruerit. Quorum alterum veræ Dei notitiæ, alterum spei, quæ in Deo rite cognito acquiescat, certum ac perspicuum argumentum est. Nunquam enim quæ divinam ad cognitionem pertinent, aut negligere penitus, aut ulla re posteriora ducere, sed potius in Domini Dei, modo tanquam servorum domini, modo tanquam optimi suavissimique parentis implorando nomine, spem omnem habere perpetuoque defixam, id vero ter beatus mortalium omnium finis jure ac merito habeatur. Ejusmodi ergo primum esse verumque hominem Hebræi statuerunt, non alterum illum e terra natum, quem Adamum vocant, qui divina lege violata, eximiorum ac cœlestium bonorum possessione exciderat; sed eum potius, qui divino ante alios omnes amore succensus, *Domini Dei nomen invocare*

speraverat. Eumdem itaque nobis imitandum sano integroque judicio statuentes ipsi quoque, rei hujus historiam, ut apprime nobis utilem, omni studio complexi, hoc simul in votis habuimus, ut tanti viri exemplo, summi rerum omnium Opificis Dominique nomen, constanti quadam egregiaque spe implorare possimus. Jam vero secundum Enos, alius quidam *placuit Domino, et non inventus est*[1], ut idem Moses commemorat, *quia transtulit eum Deus* ob summam virtutis ejus perfectionem. Plane enim, qui vere sapiat, ægre admodum aliquem reperias. Ejusmodi autem is demum est, qui sua cum Deo perfectione conjunctus, ex hominum sese usu consortioque subduxerit. Quisquis enim aliud consilium secutus, in fora, tribunalia, cauponas, nundinas, atque in hominum vulgus sese dat, is dum in turba huc illucque jactatur, alto improbitatis gurgite totus hauritur. At qui divina quasi manu subductus, et a fluxis caducisque rebus ad cœlestium amorem traductus est; ut ab hominibus videri ac reperiri non possit, a Deo tamen, cujus in amicitiam transcriptus est, invenitur. Eum porro virum Enoch appellare Hebræi solent, quæ vox divinam sonat gratiam. Nos autem hujus quoque vitam, ut excellentem virtutis imaginem consectandam nobis æmulandamque putavimus. Extitit deinde tertius, quem *in sua generatione* æquitatem coluisse Scriptura testatur. Fuit is Noemus, cujus integritati sequens argumentum egregie suffragatur. Altus quidam sceleris infandi squalor et caligo, hominum genus occuparat universum : Gigantes omnium ore jactati, impio sacrilegoque ausu, ea quæ huc usque nemo non loquitur, cum Deo bella susceperant : jam illorum etiam parentes, seu conditionis cujusdam mortalium natura superioris erant, seu quacunque tandem ratione sati, curiosæ artis semina inter homines jecerant, at-

[1] Gen. v, 24.

que omne præstigiarum maleficiorumque genus in eorum societatem invexerant. Ita quidquid ubique hominum erat, cum eadem a Deo sententia damnandum esset, jamque idem pariter omnibus unoque momento exitium immineret: unus ille cum suis, de quo loquimur, *justus in generatione sua repertus est.* Cunctis ergo, quæ terrarum ambitu continebantur diluvio haustis, ipsaque adeo terra immani aquarum eluvione purgata, vir ille Deo carissimus cum liberis simul et uxoribus, novum plane novo hominum generi excitando animandoque semen, ejusdem munere beneficioque servatus est. Dignus et ipse profecto, quem ut vivum ac spirans virtutis et religionis exemplar, posteri omnes æmulentur. Atque hi ante diluvii tempora floruerunt. Extitere alii postea, pietate nobiles ipsi quoque, quorum memoria sacris etiam paginis conservata manet. Quos inter Sacerdos quidam summi Numinis creatus est, quem justum Regem Hebræo nomine appellarunt. Cæterum apud illos omnes, de corporea circumcisione verbum omnino nullum, nullum earum, quibus Judæos Moses instituit, legum vestigium. Quare Judæos illos nuncupare, verum utique non fuerit; Græcos autem multo minus, qui non Græcorum aut cæterorum populorum more, Deorum multitudinem invexerint. Hebræos vero justius appellaveris, sive ab hebero nomen ducas, sive potius a vocis illius significatione. Hebræos enim, quasi transeuntes, interpretari possis : qui a terrarum commercio, ad præpotentis Dei contemplationem transierint. Ejusmodi enim eos fuisse testatur historia, qui unius a natura inditæ rationis, legumque scripto nullo comprehensarum ductu, et rectam virtutis viam feliciter tenuerunt, et omnes prætergressi corporis voluptates, ad vitam singulari cum sapientia, tum religione cultuque divino præstantem transvolarunt. Atque hoc in numero, Abrahamus etiam ille, quem generis principem universi prædi-

cant, jure a nobis meritoque censeatur. Hujus enim justitia divinorum quoque oraculorum testimonio commendatur : non quam a Mosis lege acceperit, certe quidem, cum adhuc nulla tum esset : nam ætate post Abrahamum septima natus est Moses. Et tanta ejus profecto, si cujusquam alterius, integritas atque religio, eadem qua superiorum illorum prædicatione celebratur. De illo enim hunc in modum Scriptura loquitur. «Et credidit Abraham Deo, et reputa-»tum est illi ad justitiam [1].» Eumdem porro gentium plurimarum parentem futurum, ac nominatim «gentes omnes »terræ, omnesque tribus in eo benedicendas esse,» divina oracula prædixerunt : quæ sane prædictio, quæ temporibus nostris evenire cernimus, palam et aperte denotabat. Abrahamus igitur ille, post eam justitiæ maturitatem atque perfectionem, ad quam ipsum non lex Mosis, sed illustris fides constansque perduxerat; post eos, quibus sacræ litteræ suffragantur, Numinis divini conspectus, legitimum sub extremam senectutem filium suscepturus, cum omnium sese primus, uti jussus divina voce fuerat, circumcidit, tum idem posteris ipse suis faciendum præcipit; sive ut hoc velut illustriore signo, propagandorum ex eo nepotum multitudo constaret, sive ut paternum characterem liberi retinerent, idque adeo, seu majorum illi suorum vestigiis insisterent, seu ab eorumdem virtute deflecterent : sive denique aliæ quædam hujus instituti causæ rationesque subessent, in quas diligentius et curiosius inquirere, modo non vacat. Cæterum ejusmodi etiam ille fuit, quem nos æmulari summopere deceat. Secundum illum Isaacus laudatur, ejus quæ parentem ornaverat divinæ cum notitiæ, tum etiam caritatis hæres, quam ipse unam omnium longe pulcherrimam ac felicissimam ejus hæreditatem sortitus est. Eumdem et uxorem duntaxat unam duxisse, et semel tantum

[1] Gen. xv, 6.

liberis operam dedisse monimenta divina testantur : qua unica vice, gemina prole suscepta, mutuam cum uxore consuetudinem circumscripsisse fertur, exemplo continentiæ singulari Consequatur Jacobus, quem et Israëlem vocarunt : quod utrumque nomen, ab insigni quadam est eximiaque virtutum accessione consecutus. Is enim, dum adhuc in civili quodam et actuoso vitæ genere, assiduos pietatis causa labores subiret, Jacobus dicebatur; quæ vox, si Græce reddatur, asceten athletamque sonat. Idem relatis semel de hostibus victoriæ trophæis, coronatus, ubi contemplationis opibus frui cœpit, tum vero aliud ei nomen auctor ipse Deus imposuit, eumque partim conspectu suo frui voluit, partim divinioribus quibusdam præmiis et honoribus, eodem nomine repræsentatis, cumulavit. Ejusmodi enim ad illum extat oraculum. « Non amplius vocabitur » nomen tuum Jacob, sed Israel erit nomen tuum, quoniam » invaluisti cum Deo, et cum hominibus potens [1]. » Quo Israelis nomine vir contemplationi deditus indicatur; utpote quod si Græce verteris, hominem, a quo Deus videatur, significet. Talis igitur ille etiam fuit, a quo Judæorum genus, duodecim comprehensum tribubus, propagatum est. Quorum de vitæ rationibus, vereque philosophis digna tolerantia et exercitatione, infinita commemorari possent, quæ partim nude ac simpliciter intelligi, partim ex occultioribus allegoriarum sensis erui debeant. De quibus cum ab aliis, tum a nobis quoque disputatum in iis est, quæ de numerosa priscorum hominum sobole, conscripsimus. At de illis hactenus. Præter quos tamen, alium etiam laudare merito liceat, Jobum nomine, quem et omni reprehensione caruisse, et veritatis, justitiæ, pietatis amantem ac studiosum fuisse, et ab omni contagione sceleris procul abfuisse, divina testantur oracula, cum in illis omnibus religionis of-

[1] Genes. XXXV, 10.

ficiis ac laudibus, nulla cum Judæis sanguinis ac generis communione teneretnr. Jam vero Jacobi liberi paternam divini Numinis cognitionem, ejusdemque cultum summa voluntate studioque complexi, priscorum Hebræorum famam et gloriam admodum illustrarunt, ut ex illorum auctoritate paulo post imperium Ægypti penderet universum. Josephus enim jam continentiæ præmiis insignitus, suscepto postmodum Ægypti principatu, summam Hebræorum suorum eximiamque virtutem in omnium oculis ac luce collocavit. Quare ad ejus quoque imitationem omni studio nobis aspirandum esse duximus, tametsi prius in servitutem, et hominis Ægyptii servitutem, fratrum insidiis et artibus abductus fuisset. Nam adolescentis quidem quam eximia species, quanta vis corporis et pulchritudo fuerit, facile prætermitto, licet oris eum ac formæ totius elegantia cæteris omnibus præstitisse historia divina testetur. Animi vero dotes atque ornamenta quis tandem pro dignitate comemoret, si cum tantæ virtutis excellentia æquare conetur magnitudinem laudationis? Et quidem constans fama est, ipsum a natura liberalem quamdam speciem habuisse, ac nescio quid nobilitatis in moribus, quod ex ipso quoque vultu efflouresceret. At vero ejusmodi pietatis insignibus effulgebat, ut summa continentiæ, æquitatis, prudentiæ, fortitudinis laude clarissimus cum esset, idem tamen præcipua quadam præpotentis Dei notitia cultuque præstaret, cujus utriusque semina, jam ab ipsis inde cunabulis, infantis in animo parentes jecisse ferunt. Ergo adolescentis amore domini uxor exardescens, cum eum primo juventutis flore conspicuum, in lascivam flagitiosamque consuetudinem pellicere conaretur, verborumque primo blanditiis attentatum, mox precibus etiam et obsecrationibus urgeret, ad extremum ne violentas quidem manus eidem injicere, et obscenis eum impudicisque complexibus

premere vereretur : clarissimus heros doctrinæ parentum sanctissimæ recordatus, ac sese divini cultorem Numinis, verumque Hebræum, non re ipsa minus quam oratione professus, turpem ac libidinosam mulierculam robustiore dextera victor excussit, ac perinde ut si ex horrendæ furentisque bestiæ dentibus sese proriperet, saluti suæ fuga consuluit. Tum idem secum ipse rem matura cogitatione reputans : «Si dominus meus propter me nihil novit eorum, »quæ sunt in domo ejus, et omnia, quæ ibi sunt, tradidit »in manus meas, quomodo malum hoc grande faciam, et »peccabo in conspectu Dei [1] ?» Quamobrem Deus eum præpotens tanquam illustri victoria nobilem, dignis virtute præmiis honestavit, dominorumque suorum, imo totius etiam Ægypti principem moderatoremque constituit; atque is Hebræus similiter atque ex Hebræis satus erat, non Judæus; nec enim Judæorum adhuc gens ulla coaluerat : idem tamen in virorum uti Deo carissimorum, ita longe felicissimorum classe numeroque censetur. Deinde vero, longa per eosdem Hebræos posterorum serie propagata, cum jam ex iis conflata Judæorum natio, multa in dies sobole glisceret, factum est nescio quo pacto, ut cum prima illa, quam a Deo carissimis majoribus acceperant, pietatis ac religionis institutio debilitata paulatim obtusaque hebesceret : tum vero tantum apud eos Ægyptiorum societas communioque posset, ut patriæ virtutis evanescente memoria, sic Ægyptiorum mores ac ritus induerent, nihil ut inter utriusque populi vitæ genus discriminis esse videretur. Quo in rerum articulo, patrum ille suorum Deus Mosen ad eos legislatorem mittit, iisque promissionibus fidem re ipsa conciliat, quibus eorum sese majoribus, divinis etiam oraculis obstrinxerat. Tum iis, quæ scripta leguntur, miraculis, atque inusitatis ante prodigiis ipsius manu perpetra-

[1] Genes. xxxix, 8.

tis, congruentem audientium moribus legem promulgat. Cum enim ob insignem morum asperitatem, Patrum suorum virtutem æmulari non posset, iis utpote morbis animorum laborantibus consentaneam instituti vitæque rationem ita præscripsit, ut de nonnullis clare perspicueque statueret, alia ænigmaticis quibusdam sensis involvens, notas duntaxat umbrasque rerum, non apertam nudamque veritatem, consectandas iis observandasque proponeret. Atque hanc Judaicæ reipublicæ formam, quæ a Mose delineata primum et informata fuerat, ad Servatoris usque nostri Jesu Christi adventum florere ac vigere oportebat, uti futurum suis ipsimet Judæorum Prophetæ oraculis cecinerant. Nam partim ab ipso Mose, partim a sequentibus Prophetis jam olim prædictum fuit, non ante sancitas a Mose leges antiquatum iri, quam eas Christus novi Testamenti tabulas conderet, quas nunc demum ejusdem Servatoris nostri munere, gentibus passim omnibus resignatas atque explicatas adeoque prædictorum illorum veritatem ipso rerum exitu comprobatam videmus. Sed quoniam de Hebræorum illorum, qui ante Mosem claruerunt, vitæ ratione pauca libavimus, suoque religionem ipsorum charactere expressam consignatamque produximus; consequens est, uti jam eorum doctrinæ capita, tum Mosis ejusdem, tum posteriorum ex Prophetarum scriptis deprompta contemplemur.

CAPUT NONUM.

Hebræorum doctrinæ placita.

Omnium ergo princeps admirabilis ille theologus atque legislator, reipublicæ formam cum religione conjunctam

stylo ipse suo Judaicæ genti delineans, non jam vulgaribus illis atque contritis utendum sibi exordiis putavit : sed cum ante jam animo legem universam, qua partim agenda juberentur, partim vetarentur non agenda, publicasque simul ac civiles mutuo inter sese contrahendi rationes ac regulas descripsisset, ex propria majorum suorum theologia doctrinæ suæ ducendum initium intellexit : quod aliud nullum disciplinæ genus legum suarum pietati consentaneum agnosceret, præter eam theologiæ rationem, quæ jam inde a primis illis gentis suæ parentibus ad sua usque tempora permanasset. Itaque a Deo ipso patriam priscorum Hebræorum theologiam secutus, auspicatur : non jam Ægyptiorum, aut Phœnicum, aut reliquarum nationum more, quæ promiscuam in multitudinem venerandum illud Dei nomen abjicerent; et alios quidem aspectabiles, hoc est infixa cœlo sidera; alios aspectum fugientes Deos inveherent, partim ex hominibus illis, qui jam ante vixissent, partim etiam eos Dæmones, qui terras aut aërem oberrarent, uti superius in earum opinionum confutatione ostendimus. At vero ab ipsomet rerum omnium Auctore, ac tam earum, qui videri non possunt, quam earum, quæ sensibus usurpantur Molitore Deo totius orationis initium faciens, verum illum hujus Universitatis Legislatorem ac Moderatorem esse docet, summumque totius orbis, perinde atque unius cujusdam magnæ civitatis Regem constituit. Enimvero ita homines ipso statim principio instituit, ut ipsum non earum modo legum, quibus eosdem paulo post informaturus erat, sed illarum etiam, quibus natura universa pareret, Auctorem esse ac Dominum intelligerent. Regem enim ipsum mundi totius ac Legislatorem esse confirmat.

CAPUT DECIMUM.

De generali providentia, et universi molitione.

Videlicet, nutu ejus atque potestate suam rebus omnibus essentiam naturamque constare : ejusdemque legibus ac terminis, apte atque ordine, temporum cursus vicesque describi. Ac primum quidem ex omnibus cœlum, voce legeque divina firmitatem suam obtinuisse, gravemque terrarum molem, præter naturæ suæ conditionem, leviorum elementorum in medio mirum in modum suspensam ac libratam constitisse. Voce legeque divina, mutuam alternamque noctis ac diei conversionem fieri. Voce legeque divina solem ipsum, lunam, reliquorumque siderum chorum eleganti concinnoque motu orbem suum conficere. Lege summi Regis conversionum mutationes, temporum discrimina, annorum circulos, annuasque tempestates, cum admirabili totius universi consensu harmoniaque compleri. Divina lege, hyemem veri, atque hoc consequentium tempestatum vicibus cedere : eadem, altos ac profundos Oceani vortices hybernis æstibus atque eluvionibus exundantes, suorum sese marium finibus quos transilire non audent, includere : eadem, terrarum siccam aridamque naturam, defluentibus imbribus, ac nivibus modice allabentibus irrigatam, infinita plantarum et animantium genera producere : uno verbo, Naturam illam, communem rerum parentem omnium, Dei præpotentis Numini servientem, divinis ejus legibus consiliisque parere. Nec enim profecto casu ac temere, nec fortuito ac rationis experte motu, tan-

tum hunc et tam singularem ornatum extitisse, nec cæcæ ulli inconsultæque naturæ hanc tam ingentis tamque perfecti operis speciem esse tribuendam : illud quidem, ut ex summi rerum omnium Architecti manibus prodiisse, ita sacris ejusdem consiliis ac legibus gubernari. Ergo inde auspicatus Propheta, ac priusquam hominibus legem ferret, sancitis de universi natura legibus, mentes ipse nostras ad summi Regis voluntatem adhærescere, ac penitus in ejusdem præceptis acquiescere voluit : eoque verius, quo sol ipse quoque, cœlum, mundus, terra, quæque terræ sinu continentur omnia, et quotquot naturæ opera censeri solent, ejusdem mandatis sacrisque legibus atque decretis obtemperant. Æquius enim esse profecto, uti humanum proinde genus, pars utique Universi non exigua, divinis etiam edictis obsequatur, nec sese hoc in genere a singulis elementis vinci patiatur. Quippe legem initio terræ impositam ab eo fuisse, qui dixerit, « Germinet terra herbam virentem, et facientem semen secundum genus suum, et lignum pomiferum faciens fructum[1]. » Eam vero, simul atque vox illa exiisset, impositæ legi obsecutam, nunquam deinceps a divino præcepto ad hæc usque tempora discessisse. Humidum similiter elementum, hanc ad Dei vocem : « Producant aquæ reptilia animæ viventis, et volatilia volantia circa firmamentum cœli[2], » re ipsa continuo paruisse, atque in eadem obedientia hucusque persistere. Præterea si sol, atque luna, cæteraque sidera, ei quoque legi, qua suos ipsa cursus conficere, signa rerum futurarum exhibere, tempora, dies, annosque distinguere jubentur, constanter obtemperant : quinam tibi porro divinas leges violanti receptus ad veniam superesse possit? Hæc nos profecto viri singularis in docendo rudimenta ceperunt, ac suæ nos cum Dei notitiæ, tum etiam pietatis et religionis æmu-

[1] Genes. I, I. — [2] Ibid. 20.

latores effeceruut : quod apud cæterorum, de quibus ante diximus, populorum theologos simile nihil usquam occurreret. Idem porro jactis ejusmodi theologiæ fundamentis, ad alterum deinceps doctrinæ caput, illudque cum natura simul philosophiaque conjunctum progreditur. Nam Dei semel cognitione, atque universi fabrica et moderatione constituta, ad id quod natura secundum est, ordine sane delabitur. Ea vero natura hominis est, quod secundum illam Dei notitiam, se ipsum utique nosse homo debeat. Itaque docet ille continuo, quid homo sit, quibus ipse momentis ad notitiam cultumque divinum adducatur, quemadmodum pro partis sui præcipuæ conditione vitam instituere debeat. Quippe animi enim corporisque discrimine constituto, animo tenus verum illum hominem, qui spiritalem, incorpoream, et ratione præditam naturam sortitus est, definiendum putavit; quod is potissimum divinæ ad imaginis exemplar expressus et conformatus esset. Corpus autem, aliud nihil, quam animi terrestre quoddam indumentum ac domicilium esse statuit. Tum utrique tertium quid, vitalem inquam spiritum adjunxit, hoc est vim singularem ac propriam, quæ partem ex terra concretam, cum altera divinam ad similitudinem procreata nativo quodam vinculo sociaret. Cæterum primam eidem homini sedem in horto Dei felicissimo, et immortalibus ac sempiternis opibus abundante positam et collocatam esse commemorat : ipsum vero, cum eadem ipso statim initio, qua reliqua prorsus omnia Divini Numinis lege teneretur, sua ipsius vesania, violatoque tanti Regis imperio, tam expetendæ vitæ fructu infeliciter excidisse. Atque illa sunt, quæ persapienter a Mose in ipsa legum sanctissimarum fronte ponuntur, quibus nobis prope denuntiat, uti ne propriam nativamque dignitatem, impressamque nobis Divini Numinis similitudinem turpiter negligamus, cum illa quoque animi nobis

immortalitatem conciliarit. Nefas enim esse profecto, Regis imaginem aboleri : ac principem quidem veramque Dei præpotentis imaginem Verbum ejus esse, quod ipsa per sese sapientia, vita, lux, et veritas est, et quidquid omnino pulchri bonique cogitari possit : at imaginis hujus imaginem humanæ menti convenire, quæ propterea divinam ad similitudinem expressa omnium confessione prædicatur. Quibus ille notionibus eos ante omnia informandos putavit, quos sacris legibus instituere cupiebat : uti, dum quid in sese concretum ex terra, inque terram denuo dissolvendum esset, quid item excellentius Deoque simile meminissent, cogitarent ipsi quoque, quemadmodum utraque parte uti oporteret, adeoque statuerent, nullo sibi vel injuriæ vel impietatis genere, adversus hominem illum, qui divinam præferret imaginem, esse peccandum, nulla eum obscœnorum, nulla sceleratorum facinorum contagione fœdandum : sed potius ardendum sibi esse perpetuo ter illius beatæ sedis vitæque desiderio, tantæque dignitatis recuperandæ studio, votoque stimulatis, ad eamdem omni rursus contentione properandum : imo agendum sibi esse profecto, uti se jam ab hujus vitæ carceribus, ad alterius metam attingendam compararent : cum profanis et impuris ad ea sacraria nullus alioqui pateat aditus, unde generis humani princeps ob neglectum summi Numinis mandatum excidisset. Deinde vero divinus rerum sacrarum Interpres, alterum summi quoque ponderis ac momenti dogma subjungit, dum id apud omnes certum esse vult, suum homini cuilibet affixum hærere pravum Dæmonem, invidum illum atque honestatis omnis inimicum, postremo ejusmodi, qui jam usque ab initio hominum saluti insidias struxerit. Draconem illum ac serpentem nominat, eumdemque atrum amantemque tenebrarum, veneno simul et improbitate scatentem describit : addens insuper, quod divinam illam nobis vitam invideat, hoc illum

etiamnum agere molirique constanter, ut eos omnes, qui divinæ sese adjungunt voluntati, supplantet atque dejiciat. Et quoniam ipsius dolis ac fraudibus, generis quoque nostri principes divinioris illius sortis communionem amiserint, eam nobis in rem vigilandum esse perpetuo, ne malis versuti hostis artibus præstigiisque capiamur. Verum quid hæc occupamus ipsi, cum ea jam a nobis ipsismet divinæ Scripturæ verbis illustrari explicarique præstet? Rursus ergo novum a summo Numine principium ducamus, ejusque opem et auxilium Servatoris nostri nomine imploremus.

CAPUT UNDECIMUM.

Quid Hebræi de Deo, principe rerum omnium causa, senserint.

Sublimis hujus theologiæ primordia non aliunde quam ex ipsa vi rerum omnium effectrice, Hebræorum doctrina repetit, eaque non argutis et artificiose concinnatis probationum conclusionibus, sed plane docentis in morem, utpote divino afflata Spiritu commemorat. Quo quidem actus commotusque Moses, theologiæ suæ mysteria hunc in modum auspicatur: « In principio creavit Deus cœlum et terram[1]. » Tum ita progreditur: « Dixit Deus: Fiat lux; et facta est » lux[2]. » Itemque: « Fiat firmamentum, et factum est. » Ac rursus: « Germinet terra herbam virentem, facientem se- » men secundum genus ac similitudinem suam, et lignum » pomiferum faciens fructum, cujus semen in ipso sit, se- » cundum genus suum super terram: et factum est. Dixit » præterea Deus: Fiant luminaria in firmamento cœli, ut

[1] Genes. I, I. — [2] Id. 3, etc. deinceps.

» luceant super terram, et sint in signa et tempora, et dies, » et annos : et factum est. Addiditque Deus : Producant » aquæ reptilia animarum viventium secundum genus suum, » et omnia volatilia cœli secundum genus suum, et factum » est. » Iterumque : « Producat terra quadrupedes, et rep- » tilia, et bestias terræ secundum genus suum : et factum » est. » Quibus omnibus commemorandis, dum hanc Scriptura formulam adhibet : *Dixit Deus*, aliud nihil, præter quam ad ipsum voluntatis divinæ nutum, hoc illove modo res omnes extitisse ac perfectas esse significat, adeoque necesse non est, uti vocem ullam, ullasve syllabas cogitemus. Idem porro vates, orationis universæ summam colligens, ita concludit. « Hic liber, *inquit*, generationis cœli et terræ, » in die, qua fecit cœlum et terram, et omnia, quæ in eis » sunt [1]. » Hujusmodi ergo est Hebræorum theologia, quæ Verbi divini effectrice vi sata esse ac procreata docet universa. Deinde vero, non jam Auctore sui ac Molitore Deo, sic tanquam orphanum a parente relictum esse mundum, sed ejusdem providentia perpetuo constanterque regi : ut non modo rerum Architectus ac Molitor omnium ipse fuerit, sed earum quoque Servator atque Moderator, Rex item ac Princeps esse velit : idemque cum soli, lunæ, sideribus, cœloque passim et orbi continenter universo præsit, tum magno ipsemet oculo divinoque Numine cuncta lustrans ac pervidens, rebusque omnibus seu quæ cœlo, seu quæ terra continentur, omnino præsens, suo quæque ordine sapienter apteque constituat atque dispenset. Atque id secuti deinceps Prophetæ, prioribus illis consentanea divino Spiritu canentes ipsi quoque, testatum reliquerunt; seu cum divinam personam sustinentes, hunc in mundum exclamarent : « Deus appropinquans ego sum, dicit Dominus, et non Deus » de longe. Si faciet aliquid homo in occultis, et ego nes-

[1] Genes. II, 4.

»ciam illud? Numquid cœlum et terram ego impleo? dicit »Dominus[1].» Seu cum hoc ipsi modo de Deo philosophantur : « Quis mensus est manu aquam, et cœlum palmo, et »omnem terram pugillo[2]? Quis libravit montes in pondere, »et colles in statera[3]? Quis cognovit mentem Domini, et quis »consiliarius ejus fuit[4]? » Itemque : « Qui statuit quasi ca-»meram cœlum, et extendit quasi tabernaculum ad habi-»tandum[5].» Et rursus : « Levate in excelsum oculos vestros, »et videte quis perfecit hæc omnia. »Et deinceps : «Domi-»nus Deus, qui fecit cœlum, et stabilivit ipsum : qui firma-»vit terram, et quæ in ea sunt : dans flatum populo, qui »est super eam, et spiritum calcantibus eam : ego Dominus »Deus.» Et deinceps : « Extendi cœlum solus, et firmavi »terram, ego Dominus Deus : nullus est præter me[6].» Et iterum : « Sic dicetis ipsis, Dii, qui cœlum et terram non »fecerunt, pereant a facie terræ, et desub cœlo. Dominus, »qui fecit terram in fortitudine sua, correxit orbem terræ »in Sapientia sua, et in prudentia sua extendit cœlum, et »elevavit nubes ab extremo terræ : fulgura in pluviam fecit, »et eduxit ventos de thesauris suis. Stultus factus est omnis »homo a scientia[7].» Et rursus : « Quo ibo a spiritu tuo, »a facie tua ubi occultabor? Si ascendero in cœlum, tu »illic es : si me stravero in inferno, ades : si sumpsero pen-»nas meas diluculo, et habitavero in extremis maris : ete-»nim illuc manus tua deducet me[8].» Atque hæc cæteraque his affinia, eorum sunt theologorum, qui cum essent ipsi quoque Mosem tempore consecuti, de Deo similiter antiquissimis illis patribus gemina cecinerunt. Jam vero illorum deinceps, qui ante Mosem vixerunt, et Deo clarissimorum, et beatissimorum virorum, quique eodem Hebræorum ex genere fuerunt, adeoque principis omnium Abrahami, quem

[1] Jerem. XXIII, 24. — [2] Isai. XL, 12. — [3] Ibid. 22. — [4] Ibid. 26. — [5] Id. XLII, 5. — [6] Id. XLIV, 24. — [7] Jerem. X, 11. — [8] Psalm. CXXXVIII, 7.

universæ Judæorum nationis parentem celebrant, voces audi. « Dixit autem Abraham ad regem Sodomorum : Ex-»tendam manum meam ad Deum altissimum, qui creavit »cœlum et terram [1]. » Imo ante Abraham Melchisedec Dei altissimi sacerdos introducitur, qui conceptis verbis sic Abrahamo benedicit : « Benedictus Abraham de excelso, »qui tradidit hostes tuos in manus tuas : et benedictus Deus, »qui creavit cœlum et terram [2]. » Porro eumdem Abrahamum sacris in litteris habemus, cum uno e servis hoc modo colloquentem : « Pone manum tuam subter femur meum, »et adjurabo te per Dominum Deum cœli, et Deum ter-»ræ [3]. » Et paulo post : « Dominus Deus cœli et terræ, qui »accepit me de domo patris mei, et de terra, in qua natus »sum [4]. » Quibus omnibus illud etiam adjungi potest, quod ex Deo, qui sibi apparuerat, Moses audivit. Quærenti enim ipsi, quemadmodum esset de Deo sentiendum, oraculum ita respondit : « Ego sum qui sum : sic dices filiis Israel : »Qui est, misit me ad vos [5]. » Ac de infinitis pauca ista Hebræorum ex theologia petita sufficiant. Quisquamne vero cum illis egregias eruditorum Græcorum de Deo disputationes conferendas putet ? quorum alii Divinitatem funditus omnem sustulerunt; alii stellis eamdem tribuerunt, quas ipsi tamen globos quosdam igneos et candentes esse volebant, in cœlo clavorum aut laminarum in morem alte penitusque defixos : alii denique artificiosum ignem, et certo quodam ordine sese commoventem Dei loco statuerunt. Alii præterea nullo Dei consilio mundum gubernari, sed temerario quodam naturæ impetu ferri docebant : alii, cum in cœlestibus modo rebus divinæ Providentiæ ductum agnoscerent, terrestribus omnem adimebant. Rursus, ortu caruisse mundum vel a Deo conditum eum fuisse negabant :

[1] Genes. XIV, 22. — [2] Ibid. 19. — [3] Id. XXIV, 3. — [4] Ibid. 7. — [5] Exod. III, 14.

cum alii sua sponte et casu quodam extitisse illum et coaluisse vellent; alii vero ex individuis quibusdam, tenuissimisque corpusculis, iisdemque anima simul et ratione carentibus, universi molem conflatam esse defenderent. At de rerum omnium præpotente Deo, hæc a nobis ex Hebræorum oraculis delibata, modo satis. Consequens deinceps erit, ut quemadmodum, orbis Præside constituto, de rerum illi creatarum principio philosophati sint, videamus.

CAPUT DUODECIMUM.

Hebræorum de secundo principio theologia.

Thales quidem ille Milesius, rerum universarum principium aquam esse defendebat, aërem Anaximenes, Heraclitus ignem, numeros Pythagoras, Epicurus cum Democrito corpuscula quædam individua, Empedocles quatuor elementa. Nos hac de re, Hebræorum quoque litteras consulamus. Illi ergo, secundum principem illam, et principio simul ortuque carentem præpotentis Dei naturam, quæque ut ab omni permixtione sejuncta est, sic omni comprehensione major, naturam alteram constituunt (6), vimque divinam, quæ cum eorum omnium, quæ gignuntur, principium sit, tum ante cæteras extiterit, ab eodemque primo Principio genita fuerit, quam ipsi Verbum, Sapientiam, Deique virtutem appellare solent. Atque hoc in primis Jobus docuit, dum ita locutus est: « Unde autem Sapientia » inventa est? aut quis locus est scientiæ? Nescit homo viam » ejus, neque inventa est inter homines: audivimus autem

» gloriam ipsius. Dominus constituit viam ejus. Ipse autem » novit locum ejus [1]. » Itemque David in Psalmis, aliud huic Sapientiæ nomen attribuens : « Verbo, *inquit*, Domini cœli » firmati sunt [2] : » quibus ipse Verbum illud divinum hujus universi Molitorem celebravit. Quin etiam filius ejus Salomon, ejusdem ex Sapientiæ persona, hunc in modum loquitur : « Ego sapientia habito in consilio et scientia, et in» telligentiam ego vocavi. Per me reges regnant, et potentes » decernunt justitiam [3]. » Et rursus : « Dominus creavit me » initium viarum suarum ad opera sua. Ante ævum fundavit » me : in principio, antequam terram faceret, antequam » essent abyssi : antequam montes fixi constitissent : ante » omnes colles generavit me. Quando præparabat cœlum, » aderam ipsi : quando certos ponebat fontes, qui sub cœlo » sunt, eram cum eo cuncta componens. Ego eram, qua » delactabatur quotidie : lætabar autem coram ipso omni » tempore, quando delectabatur orbem terræ perficiens [4]. » Hæc Salomon in Proverbiis. Quæ sequuntur, ex ejusdem quoque persona referuntur. « Quid sit autem Sapientia, et » quemadmodum facta sit, referam, et non abscondam a » vobis sacramenta, sed ab initio nativitatis investigabo [5]. » Quibus deinde subjungit : « Est enim hæc spiritus intelli» gens, sanctus, unigenitus, multiplex, subtilis, mobilis, » disertus, incoinquinatus, omnipotens, omnia spectans, » ac per omnes pervadens spiritus intelligentes, puros, sub» tilissimos. Omnibus enim mobilibus mobilior est Sapien» tia : permeat autem ac pervadit omnia, propter suam » munditiam. Vapor enim est Dei virtutis, et emanatio glo» riæ Omnipotentis sincera. Et ideo nihil iniquitatum in eam » incurrit. Candor enim est lucis æternæ, et speculum sine » macula Dei efficacitatis, et imago bonitatis ejus. Attingit

[1] Job. XXVIII, 20. — [2] Psalm. XXXII, 6. — [3] Prov. VIII, 12. — [4] Ibid. 22. — [5] Sap. VI, 24. — [6] Id. VII, 22.

»autem a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia »suaviter[1]. » Jam divinum hocce Verbum, a Patre hominum in salutem missum, variis omnino modis Scriptura divina repræsentat. Et Abrahamo quidem atque Mosi, cæterisque Prophetis Deo carissimis, non sese modo videndum exhibuisse, verum etiam et docuisse multa, et futura prænuntiasse testatur, quoties Deum ac Dominum aut apparuisse Prophetis, aut cum iis collocutum esse commemorat. Idem vero, sic tanquam laborantium Servatorem : et Medicum animorum a majore altero missum, hominum omnium in cognitionem venisse, ita prædicat. « Misit Verbum suum, et » sanavit eos, et eripuit eos de interitionibus eorum[2]. » Itemque alibi : « Velociter currit verbum ejus[3]. » Quo factum est, ut Evangelica quoque doctrina propheticam illam instaurans, patriamque sententiam, idem theologiæ genus hunc in mundum illustrarit: « In principio erat Verbum, et » Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Hoc erat » in principio apud Deum : omnia per ipsum facta sunt, et » sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita » erat, et vita erat lux hominum[4]. » Itaque sane jure Moses ille sapientissimus, eodem afflatus spiritu cum esset, ipso statim ejus quam describit mundi molitionis initio, Deum asseverat in eodem illo principio cœlum terramque fecisse : quocum etiam, veluti cum suo ipsius ac primogenito Verbo de hominis procreatione colloquentem Deum inducit, his verbis : « Dixitque Deus : Faciamus hominem ad imaginem » et similitudinem nostram[5]. » Quod ipsum adumbravit Psalmista, ubi de primo Principio loquens : « Ipse dixit, *inquit*, » et facta sunt : ipse mandavit, et creata sunt[6]. » Quo profecto loquendi genere, edictum illud mandatumque significat, quo primum Principium cum secundo, veluti Pater

[1] Sap. VIII, 1. — [2] Psalm. CVI, 20. — [3] Id. CXLVII, 4. — [4] Joan. I, 1. — [5] Genes. I, 26. — [6] Psalm. XXXII, 9.

cum Filio agere voluerit. Nemo enim omnium est, qui non intelligat, quisquis aliquid loquatur, eum cum altero loqui: quisquis item quid præcipiat, id ipsum alteri abs sese distincto præcipere. At perspicue omnino, duorum nominatim Dominorum, Patris, inquam, et Filii, Moses idem alibi meminit, cum impiorum supplicium commemorans: « Pluit, » *inquit*, Dominus a Domino super Sodomam et Gomorrham » sulphur et ignem[1]. » Quibus consentanea David accinens: « Dixit Dominus, *inquit*, Domino meo: Sede a dextris meis, » donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum[2]. » Tum progressus ulterius, et reconditam illam ac nullis cujusquam verbis explicandam generationis illius rationem subindicans: « Ex utero, *inquit*, ante Luciferum genui te[3]. » Verum, ne argutari me putes, Hebræum tibi hominem producam, harum litterarum sensa resignantem, qui cum res suæ gentis a majoribus acceptas accurate ac diligenter expendit, tum hujusce dogmatis rationem ex doctoribus ipsis intellexit, si tamen ita de Philone persuasum habes. Audi ergo, quemadmodum ipse similia divinæ Scripturæ loca accipiat.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Philonis de secundo Principio sententia.

« Cur, *inquit*[1], perinde ac si de alio Deo loqueretur, ad » imaginem Dei factum abs se se hominem esse ait, non au- » tem ad suam? Id vero præclare omnino atque sapienter

[1] Genes. XIX, 24. — [2] Psalm. CIX, 1. — [3] Ibid. 4.
[1] Philo. lib. I Quæst. et Solut.

» divino celebratur oraculo. Prorsus enim mortale nihil erat, » quod summi illius ac rerum universarum Parentis imagine » consignari posset, erat tamen quod secundi Dei, hoc est » ejusdem Verbi, posset. Oportebat enim, hominis animo » characterem illum rationis a divina Ratione informari, » cum et Deus ille Verbo seu Ratione prior, naturam om- » nem ratione præditam infinito superet intervallo : nec fas » omnino quidquam esset, quod ortum habuisset, ad Nu- » minis illius et Verbo superioris, et in optimæ planeque » singularis naturæ gradu constituti similitudinem aspirare. » Hæc breviter ex primo Philonis Quæstionum Solutionumque libro. Jam idem, priore de Agricultura, Dei Verbum ejus quoque primogenitum Filium nominat, his verbis. « Hæc, » *inquit*[1], omnia Pastor ille Rexque Deus summa cum æqui- » tate moderatur, quod iis suum ipsius Verbum, quo rec- » tius nihil est, ac primogenitum Filium præfecerit, qui sacri » hujus gregis curam, non secus ac summi Imperatoris Le- » gatus susciperet. » In posteriore vero, sic ad verbum. « Quis- » quis, *inquit*, eo se liberum pudore volet, qui dubitationem » vulgo consequitur, is libere palamque pronuntiet, nihil » eorum, quæ in materiam immersa sint, ad sustinendam » Orbis molem satis habere virium : at sempiternum illud » æterni Dei Verbum, longe potentissimum ac firmissimum » esse Columen Universi. Hoc enim illud est, cujus arbitrio » dum a mediis ad extrema, simulque a summis ad media » pertinet, constitutus ac perpetuus naturæ cursus peragitur. » Partes enim omnes inter sese consociat atque constringit, » quod illud Pater, a quo genitum est, firmissimum quod- » dam totius universi vinculum esse voluerit. Mirum ergo » nihil est, si neque terrarum moles, aquarum tanta vi, si- » nus earum interiores permeante, nunquam dissolvetur, » nec ab aëre extinguetur ignis, nec aër contra igne con-

[1] Philo, De Agricult. lib. I.

» flagrabit, cum divinum illud Verbum, quod sese muta » inter elementa, quasi vocale quoddam medium constituit; » ut tanquam in musica suis instructa digestaque notis, ap» tus et suavis totius universi concentus existeret, contrario» rum minas amica quadam conjunctione leniendas mode» randasque susceperit. » Hæc Philo. Aristobulus quoque, alius item eruditus Hebræorum scriptor, qui Ptolemæorum imperio floruit, eamdem sententiam genti defendit vindicatque suæ, Ptolemæo ipsi divinarum interpretationem litterarum inscribens, ubi hæc inter cætera.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Aristobuli verba in eamdem sententiam.

« Quanquam, *inquit*, in Sapientiam transferri hoc quo» que possit, cum ex ea lux universa prodierit. Itaque ex » Peripateticorum schola nonnulli, facis eam instar esse » voluerunt, quod qui ejus ductum constanter secuti » erunt, ii toto vitæ suæ tempore ab omni perturbatione » vacui sint futuri. Verum id clarius simul ac melius Salo» mon e majoribus nostris unus expressit, cum eam cœli » terræque molitione priorem esse diceret; quod ipsum » tamen cum illo Peripateticorum dicto convenit. » Atque hunc in modum ipsi quoque Hebræi de Verbo Divino philosophati sunt. Quis autem non agnoscat, hoc loquendi genus Divinam Majestatem in primis decere, quo intelligenti ac sapientissimo illius Numini, vel, ut melius dicam, ipsimet ejus Sapientiæ atque Rationi potius, quam inanimis qui-

busdam et ratione carentibus elementis, Universi principium molitioque tribuatur? At de rerum Principio ex Hebræorum sensu doctrinaque satis. Jam quid ipsi præterea de creaturarum ratione præditarum, secundum prima illa mundi nascentis initia, productione senserint, deinceps videamus.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De Creaturarum ratione præditarum productione.

Ergo post illam, cujus nec principium nec ortus ullus est, Dei præpotentis essentiam, Principium illud statuunt, quod non aliunde, quam ex ipso Patre genitum, adeoque primogenitum sit, quodque paterni consilii ac voluntatis adjutor, integram atque perfectam ipsius imaginem referat. Hoc porro longe multumque rebus, quæ satæ postea sunt omnibus, antecellere: quamobrem illud modo Dei imaginem, modo Dei potentiam, modo Dei Sapientiam, modo Dei Verbum, imo et summum Domini exercitus Imperatorem, et magni Consilii Angelum appellare solent. Jam, quæ Principium illud consequantur spiritales intelligentesque naturas, vel ob earum multitudinem, vel ob formæ varium multiplexque discrimen, humanam orationem assequi non posse, nisi quantum exemplis quibusdam augurari et conjicere licet, ex eorum, quæ videntur, hoc est, solis, lunæ, siderum ipsiusque cœli, quod ambitu suo cuncta complectitur, analogia et comparatione depromptis. « Alia » enim est claritas solis, alia lunæ, alia stellarum, *inquit*

divinus Apostolus; stella enim a stella differt in gloria. » Nobis igitur simili utcunque modo de incorporearum illarum intelligentiumque naturarum ordine sentiendum : ut vis illa quidem immensa Dei præpotentis, omnique oratione major, confertim ac simul universa comprehendat : tum Patrem consequatur Verbi Divini potentia (7), quæ reliqua pariter et moliatur et illustret, quam ob causam Lux vera, et Justitiæ Sol ab Hebræis nominari consueverit. Deinde post secundam illam Naturam, lunæ quasi loco, Sancti Spiritus Natura succedat, quem ipsi quoque in principe illa regiaque hujus Universitatis principii dignitate graduque constituunt, quod illum etiam rerum earum, quæ natæ postea sunt, hoc est, quæ inferiorem in ordinem classemque conjectæ, ipsius ope ac benignitate indigeant, principium summus rerum Architectus omnium esse voluerit. Porro sic ille tertium locum obtinens, diviniorum, quibus abundat, facultatum atque virtutum rebus humilioribus copiam facit, ut ipse vicissim ab altero quodam, hoc est a Deo Verbo, suas opes accipiat, quem paulo ante secundum a summa illa Dei præpotentis, ortuque carente natura posuimus. Is enim Patris liberalitate dives, ex eoque tanquam ex jugi perennique fonte, unde scaturiat divinitas, hauriens, cum universis pariter ipsoque adeo Spiritu Sancto, qui omnium maxime secum proximeque conjunctus est, cæterisque deinceps intelligentibus divinisque Virtutibus, luminis sui radios affatim prolixeque communicat. Enimvero, Principium illud Universi, ortu carens, fontemque bonorum omnium, Divinitatis, vitæque simul ac luminis, et omnis omnino virtutis auctorem, primorum omnium primum, principiorumque principium, vel potius omnem principii, primique rationem, et quidquid seu verbis explicari, seu cogitatione comprehendi queat, infinite prætergressum, ea quidem omnia, quæ immenso virtutum suarum

ac facultatum sinu complectitur, cum primo tantum fœtu communicare, quod is solus eam, quæ reliquorum omnium vim captumque superat, paternorum bonorum abundantiam, capere ac sustinere possit. At vero naturis aliis singularibus, pro sua cujusque dignitate, proque eo ac ferre singulæ possunt, singulares etiam distinctasque particulas, secundi principii tanquam interpretis ac sequestris opera dividere : sic tamen, ut quæ numeris omnibus absoluta, summaque sanctitate prædita sunt, ea tantum illi, qui tertius ab ipso numeratur, quique sequentium item naturarum dux et principium est, filii sui paternorum bonorum dispensatoris manibus largiatur. Ita cuncti Hebræorum theologi, secundum præpotentis Dei, rerumque omnium moderatoris Numen, ac primogenitam illius Sapientiam, tertiam hanc sanctamque Virtutem, quem Sanctum illi Spiritum nominant, quidquid divinitus afflatos olim Prophetas collustrabat, Deum esse confitentur. Jam post cœlum illud, solem, atque lunam, stellas inter dignitatis et gloriæ discrimina statuunt. Et quamvis certum astrorum numerum assequi mortalis natura non possit : Deo tamen summo rerum omnium Domino militiæ cœli universæ multitudinem, et propriam cujusque sideris appellationem perspectam esse et cognitam Hebræorum testantur oracula, eoque de Deo sic loquuntur : « Qui numerat multitudinem » stellarum, et omnibus iis nomina vocat[1]. » Sic plane, secundum prima illa Principia, eorum deinceps, quæ in illa naturarum incorporearum multitudine cogitantur, astrorum, quæque spiritalis luminis virtute, et quadam naturæ communione præstant, ingens quædam est, nostraque intelligendi vi major differentia, innumerabiles item nationes, ac genera sunt : quæ tamen omnium Molitor Conditorque Deus, numerata atque explorata habeat universa. Quare ut

[1] Psalm. CXLVI.

perfectam integramque singulorum cognitionem uni Deo convenire theologorum aliquis indicaret, « Millia millium, » *inquit*, ministrabant ei, et decies millies centena millia » assistebant ei [1]. » Dum enim ipse unum aliquem numerum assignat, rationes singulorum omnes comprehensas Deum habere significat : dum vero his multitudinem verbis adumbrat, nullo a nobis eam certo numero definiri posse demonstrat. Nam quæ infinita sunt, ea quodam loquendi modo, qui excessum illum sonet, millia vulgo dicimus. Alius item Propheta, cum de ipsarum natura dissereret, universum Auctorem, uti theologum decet, ita compellat, « Domine, *inquit*, Deus meus, quam magnificatus es vehe» menter, confessionem et magnificentiam induisti, amictus » lumine sicut vestimento : qui extendis cœlum sicut pellem, » qui facis Angelos tuos spiritus, et ministros tuos flammam » ignis. » Neque tamen existimes, naturas illas ex mortali hoc et terreno igne, aut ex ventis aëria et rationis experte substantia præditis esse conflatas. Sed quo modo Deum ipsum nuncupare solent, qui cum incorporeus, et ab omni secretus materia sit, ac mens per sese totus, imo vero mentem omnem atque rationem naturæ perfectione transiliat, metaphoricis tamen Spiritus, Ignis, Lucis, atque aliis ejusmodi mortales in aures cadentibus nominibus appellatur. Ita plane Angelos, Archangelos, Spiritus, divinas Virtutes, Cœlestes Exercitus, Principatus, Thronos, Dominationes, perinde atque infinita quædam seseque consequentia stellarum ac luminum genera, spiritales ac rationis compotes naturas, cum sacræ litteræ nominant, tum vero cunctis Justitiæ Solem, ejusdemque geminum et consortem Sanctum illum Spiritum præesse atque imperare docent. Postremo simul universa cohortatur, ut cum eodem Filio Sanctoque Spiritu, spiritales quoque et rationis præditæ

[1] Dan. VII.

animantes, quæcunque pariter in cœlo visuntur, ipsumque adeo cœlum, quæque ambitu suo comprehensa tenet omnia præpotenti uni Deo, summoque rerum omnium Regi ac Principi, cunctorumque Principio tanquam Molitori, Architecto, Moderatori ac Servatori universorum convenientem hymnum, et promptum vera ex Theologia carmen conjunctis vocibus modulentur: his verbis, « Laudate Deum de » cœlis, laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes An- » geli ejus, laudate eum omnes Virtutes ejus. Laudate eum » sol et luna, laudate eum omnes stellæ et lumen. Laudate » eum cœli cœlorum, et aquæ, quæ super cœlos sunt, lau- » dent nomen Domini. Quia ipse dixit, et facta sunt: ipse » mandavit, et creata sunt. Statuit ea in æternum, et in sæ- » culum sæculi: præceptum posuit, et non præteribit[1]. » Hæc nos etiam Hebræorum dogmata suscepimus, eaque Græcorum errore, qui Deorum multitudinem Dæmonibus auctoribus invexerat, potiora duximus. Quippe cum divinas quasdam ac Dei præpotentis famulas, administrasque Virtutes agnoscamus, ac suum iis justumque honorem tribuamus; tum vero Deum illum fatemur unum, unumque veneramur, quem ipsum quoque cœlum, quæque vel cœlo continentur, vel supra cœlum versantur omnia, venerari, celebrare, Deum prædicare, testarique didicerunt: cum ipse quoque Dei Unigenitus idem, et omnium Primogenitus, rerumque Principium universarum, uti Patrem suum et solum verum esse Deum agnoscamus, et solum colamus, sua nos oratione cohortetur.

[1] Psalm. CXLVIII.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De contrariis adversariisque Virtutibus.

Jam vero sequitur, ut, quæ de Virtute contraria Hebræorum litteræ prodiderunt, cujusmodi sint, videamus. Quemadmodum igitur Divinas illas Virtutes, quæ summi Patris Numine orbi universo præsident, adeoque « administratorios illos Spiritus, in ministerium missos, propter eos, » qui hæreditatem capient salutis[1], » itemque sacros Dei Angelos atque Archangelos, cunctam denique proborum administram spiritalemque naturam, quæ collucens ipsa per sese, operam quoque suam eorum omnium, quæ divinitus in homines derivantur, bonorum divisioni accommodat: primum quidem præpotentis rerum omnium Imperatoris latera prætorianorum militum in morem cingere, tum perinde ac cœlestia quædam sidera, Justitiæ Solem, ejusque consortem Sanctum Spiritum ambire, suam ab utroque lucem haurire, ac proinde cum illis cœli facibus jure ac merito conferri docent. Sic alterum illud Virtutum genus, quod transversum actum, a meliorum consortio sua sese culpa et improbitate distraxit, prioremque lucem cum tenebris commutavit, prioribus quidem contrariis, sed tamen cum nequitia morum apprime congruentibus nominibus appellant. Et eum quidem, qui primus omnium lapsus cum esset, reliquos postmodum in eamdem secum a melioribus defectionem traxerat, quod ab illa diviniorum pietate in terras

[1] Hebr. 1, 14.

omnino corruisset, ac partim ejus veneni, quo scelus impietasque scatet, auctor ipse sibi ac molitor fuisset, partim vecordia sese ac tenebris voluntarius lucis desertor involvisset, modo Draconem atque Serpentem, atrum illum ac repentem humi, lethalisque veneni parentem, modo sævam immanemque feram, adeoque Leonem sanguine humano pastum, modo reptilium etiam omnium Regulum nominare solent. Cæterum non aliam ejus tam funesti lapsus divina monumenta causam habent, quam furorem quemdam animi, mentisque vesaniam, dum ejusdem et casus gravitatem, et insaniæ magnitudinem ita prosequuntur. « Quomodo cecidit » de cœlo Lucifer, qui mane oriebatur? allisus est in ter» ram, qui mittebat ad omnes gentes. Tu autem dicebas in » corde tuo, In cœlum conscendam, super astra cœli exal» tabo solium meum, similis ero altissimo [1]. » Et rursus, « Hæc dicit Dominus, Pro eo quod exaltatum est cor tuum, » et dixisti, Deus ego sum, in domicilio Dei habitavi. » Itemque, « Tu signaculum similitudinis, et corona pul» chritudinis, in deliciis Paradisi Dei natus es, omnem la» pidem pretiosum indutus es. » Et reliqua. Tum, « In monte » sancto Dei natus es, in medio lapidum igneorum natus es. » Tu integer in diebus tuis, ex die, quo tu creatus es, » donec inventæ sunt iniquitates in te, exaltatum est cor » tuum, ob pulchritudinem tuam, corrupta est scientia tua » cum pulchritudine; propter multitudinem peccatorum » tuorum, in terram projeci te. » Qua ex oratione plane intelligimus, eum, de quo sermonem instituimus, cum divinioribus illis Virtutibus antea societate conjunctum, postea communione fructuque meliorum, sua ipsius arrogantia atque in Deum rebellione funditus excidisse. Præterea sub isto innumerabilis quædam aliorum et infinita natio est, similium criminum rea, quæ propter impietatem sorte pio-

[1] Isai. XIV, 12.

rum exclusa, splendidum illud divinumque domicilium, eamque, qua in regia fruebatur, dignitatem, ac felicem Angelicorum cætuum societatem, cum Tartaro sceleratis omnibus admodum conveniente loco, æquissima Dei præpotentis sententia judicioque damnata commutavit: quem locum Divinæ litteræ Abyssum ac tenebras appellare solent, non qualia tamen utraque apud nos appellatione denotantur, sed ejusmodi, quæ Divinum oraculum hac nominum similitudine repræsentat. Quo ex numero pars quædam exigua, quæ pietatis athletis materia segesque virtutis esset, circa terras, lunaque inferiorem aëris regionem a Deo relicta, fœdum illum simul, qui genus hominum occupavit, quique nihil a negatæ Divinitatis impietate differt, de multitudine Deorum errorem fabricavit. Ac suis istos quoque Divina Scriptura propriisque nominibus expressos voluit, cum eos modo clarius improbos Spiritus ac Dæmones, itemque Principatus ac Potestates, mundique Principes, ac Spiritalia nequitiæ appellavit: modo ut hominibus Deo caris omnem hostilium Dæmonum timorem eximeret, symbolicis quibusdam notis adumbravit, veluti dum ita loquitur, « Super » Aspidem et Basiliscum ambulabis, et conculcabis Leonem et » Draconem [1]. » Cæterum quam divini Numinis odio flagrent, ex eo quivis intelligat, quod et Deorum ipsi nomen affectent, et proprium Dei cultum furtim sibi vindicare moliantur, dum eam in rem divinationum, ac responsorum illecebris, faciliores ac rudiores inescare, atque a Dei præpotentis cogitatione divulsos, in exitialem impietatis, Deumque funditus tollentis superstitionis voraginem deturbare conantur. Itaque nefarias eorum fraudes, soli quidem ex omni hominum memoria effuso quasi cursu Hebræi fugiebant, dum palam et aperte Deos gentium universos Dæmonia esse contestarentur. Nunc vero, quæ Dei gratia est, Evangelicæ

[1] Psalm. xci.

Servatoris nostri doctrinæ beneficio, populi omnes toto orbe sparsi, Dæmonum soluti vinculis, Deum laudibus hymnisque concelebrant, quem unum quoque Servatorem ac Regem, ac totius universitatis Deum esse didicimus.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

De natura hominis.

Jam vero, quod humanam ad naturam attinet, Phœnicum et Ægyptiorum de animantium generatione doctrina, hominum perinde ac cæterorum omnium ortum casu contigisse tradit, dum unius simul ejusdemque naturæ omnes ex terra fortuito prodiisse, nullumque omnino præditos inter expertesque rationis animos atque naturas discrimen esse ponit. Quam eorum sententiam disertis et conceptis suorum ante scriptorum verbis repræsentavimus. Verum hic Hebræorum quoque sensum atque mentem jure profecto sequi maluimus, qui egregie cum primis, sapienter, ac vere primam illam hominum molitionem explicarunt. Nam ex partibus hominis duabus, alteram divinam, immortalem, et ab omni corporea concretione sejunctam naturam esse docent: eam porro verum esse hominem, ad imaginem ac similitudinem Dei fictum atque factum, qui Divini Numinis opus fuerit, non fortunæ, nec repentino casus impetu, sed ipsiusmet rerum universarum Auctoris voluntate extiterit, cum divino plane consilio, ne terras quidem spiritali et rationis compote natura carere voluisset, ut omnes simul tam cœlestes ætheriæque naturæ, quam in terris degentes illæ quidem, sed tamen ut in rationis, sic in aliquam etiam

ejus Divinitatis communionem vocatæ, dignum ei conjunctis vocibus hymnum celebrarent. Atque ita divinæ litteræ loquuntur, «Dixit quoque Deus, Faciamus hominem ad » imaginem et similitudinem nostram : Et fecit Deus homi- » nem : ad imaginem Dei fecit eum [1]. » Et rursus : « Acce- » pitque Deus pulverem terræ, et formavit hominem, et » inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, et factus est » homo in animam viventem. » Quæ quidem Hebræus quoque Philo dum explicat, hæc superius laudatis verba subjungit.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Philonis de animo sententia.

«Cæteri quidem, *inquit ille*, mentem nostram ætheriæ » naturæ particulam appellantes, hominem cum æthere » cognatione junctum esse voluerunt. At magnus ille Moses » animi ratione præditi speciem non jam cæterarum crea- » turarum ulli similem fecit, sed potius Divini, sensumque » fugientis Spiritus probum quemdam esse nummum asse- » ruit, Dei sigillo informatum atque signatum, cujus non » character alius, quam sempiterna ratio sit. — « Inspiravit « enim, inquit, Deus in faciem ejus spiraculum vitæ, et « factus est homo in animam viventem. » — Itaque necesse » fuit, qui Spiritum illum exciperet, ejus, qui inspiraret, » similitudinem referre: ac propterea non ad ullius creaturæ, » sed Dei unius imaginem factus homo dicitur. Ita, cum ani- » mus hominis ad primum illud Auctoris sui rationis exem-

[1] Genes. I.

»plar conformatus et expressus esset, ejus etiam corpus »erectum esse, vultumque suum in cœlum, quæ pars est »Universi purissima, conversum habere oportuit.» Hæc Philo.

Atque hominem sane Divina Scriptura, non cæterarum animantium more satum esse, jure meritoque pronuntiat. Quippe reliquas enim omnes partim ex terra, Dei præpotentis jussu prodiisse, partim ejusdem Numine ex elemento humidiori evolasse : at ex omnibus, quæ in terra versantur, animantibus, unum longe Deo carissimum, nos, inquam, ipsos, ad imaginem ac similitudinem Dei procreatos, animoque præditos fuisse. Quocirca principem in eo quamdam agnosci regiamque naturam, atque in terris esse unum, qui ratiocinandi, fabricandi, judicandi, leges ferendi, artes doctrinasque percipiendi vim habeat. Solum enim illum animam, quæ spiritalis sit intelligensque natura, sortitum esse, cujus in consortium ex terrestribus aliis animantibus nulla omnino venerit. Quare cæteras, operarum quarumdam et famulorum instar, homini præsto esse : hunc vero tanquam dominum atque ducem, easdem industria domare atque subigere, ut corporis longe viribus superiores, sic ob intelligentis naturæ privationem inferiores. Illum ergo ad imaginem ac similitudinem Dei, ab eo ipso, singulari quodam et proprio dignitatis excellentiæque genere procreatum esse, Divina testantur oracula. Eam ob rem ipsum et cogitatione Dei notiones informare, et sapientiæ, justitiæ, reliquarumque virtutum rationes vimque percipere : solis item, lunæ, siderumque cursus, dierumque simul ac tempestatum conversiones numerando consequi posse, quæ omnia ex innata, quam ex cunctis mortalibus unus homo præ se fert, cum rebus illis superioribus affinitate oriantur. At vero, quod eidem affictum exterius ac circumfusum est, alterius esse generis illud quidem, ac

terrestri ex mole conflatum; idem tamen Dei simpliciter opus esse, quod uti ex terra satum est, ita denuo in terram dissolvatur. Itaque homini perinde, ac suum aliquod ratione carens et onerarium jumentum domino, curandum illud esse, tractandumque humaniter, atque in servi morem alendum, ad humanæ vitæ obsequium docilis et parati. At dominum illum interiorem, utpote ingenuam nobilemque naturam, cumque Deo ipso cognatione conjunctam, liberalibus etiam et ingenuis moribus exornandum, cum ornatus ab ipsomet etiam rerum omnium Molitore fuerit. Addunt enimvero sacræ litteræ, summum illum ac præpotentem Regem, ubi principem hominis naturam divinis facultatibus, ac divina similitudine decorasset, ei quoque postmodum in cœtuum divinorum societatem allecto, suis muneribus donisque congruentem, in bonis omnibus circumfluente Paradiso, primam vitæ sedem attribuisse: at hominem, qui vim ab eo tantam opum, tanquam ab optimo parente, ipso statim initio acceperat, et sua sponte divinioris illius conditionis sorte excidisse et ob violatum divinæ legis imperium, in mortale domicilium amandatum ac relegatum fuisse. Quocirca verum omnino esse, uti præcipuam quamdam pietati operam demus, quod a nobis ante peccatum est, felicioribus vitæ consequentis auspiciis emendemus, postremo ad recuperandam opum olim nostrarum possessionem omni studio et contentione rapiamur. Nam suum humanæ naturæ finem, non jam hic, in terris, hoc est in interitu ac morte positum, sed eo potius in statu gradúque fixum esse, unde generis humani princeps exciderit. Ita conandum id esse agendumque nobis, ut pristinum illum naturæ nostræ spiritali nitorem, ac Divinæ similitudinis ornamenta reddamus, adeoque constantem hanc atque perpetuam eorum esse omnium curam oportere, qui aliquo pietatis et virtutis studio teneantur. Hæc igitur illa

sunt, quæ de natura hominis ab ultima retro memoria Hebræi docti erant, cum nullum adhuc Græcorum genus extaret : qui cum heri aut nudiustertius e terra caput extulerint, et suas Barbaris opes suffurari statuerunt, nec propriis Hebræorum bcnis pepercerunt, ut paulo post hujus in disputationis progressu ostendemus. Nunc vero, quoniam Hebræorum doctrinæ proprium hoc fuit, præcipuumque caput, uti Deum præpotentem, cum cæterarum omnium rerum, tum ejus etiam, quæ corporibus subest, naturæ, quamque Materiam Græci vocant, Artificem unum ac Molitorem esse statuerent : idem contra Barbarorum simul et Græcorum infinita vis oppugnavit : cum alii et improbitatis omnis fontem esse Materiam, et ortu carere defenderent : alii suapte quidem natura omni eam qualitate figuraque nudatam esse, Divini tamen Numinis potestate novum præterea cum suis qualitatibus ornatum induisse vellent : demonstrandum quoque nobis erit, longe saniorem Hebræorum hoc in genere mentem ac sententiam fuisse, quæ propositam quæstionem logica plane demonstratione disceptet, justisque rationibus omnia dissentientium argumenta convellat. Hanc in rem ipsissima eorum, qui ante nos accurate hac in disputatione versati sunt, verba producam, atque in primis Dionysii, qui in primo librorum eorum, quos in Sabellium elucubravit, hunc in modum de re tota philosophatur.

CAPUT DECIMUM NONUM.

Materiam ortu non carere.

«Impietatis etiam illud est, *inquit*, quod plerique materiam, cujus ortum nullum esse velint, Divinæ potestati digerendam ornandamque subjiciant, dum eam natura sua patientem atque tractabilem, impressas divinitus mutationes facile subire tradunt. Enimvero doceant isti, qui fieri potuerit, ut in Deum atque materiam similitudo pariter ac dissimilitudo caderet. Nam alium quemdam utroque potentiorem cogitare tum oporteret, quod tamen de Deo vel suspicari, nefas. Nam et ipsum ortu carere, quod in utroque simile dicitur, et alterum illud, quod præter utrumque cogitatur, quomodo tandem in iis locum habuit? Si enim illud ipsum, quod ortu caret, Deus est, ipsaque, ut ita dicam, ortus negatio, Divina essentia est; non jam idem ipsum, quod ortu caret, materia fuerit, cum Deus et materia unum idemque non sint. Sin autem utrumque dixerint, id quidem esse proprie quod est, materiam videlicet, atque Deum, ortus tamen negationem ambobus convenire: manifeste sequitur, aliud quidpiam præter utrumque ponendum, quod antiquius ac superius utroque sit. Jam quo minus per sese ambo simul esse possint, imo quo minus e duobus alterum, hoc est materia, esse per sese queat, vel ipsa rationis et conditionis utriusque diversitas prorsus impediat. Alioqui causam illi sane afferant, quamobrem cum ortu ambo careant, Deus quidem nec pati quidquam, nec mutari, nec moveri possit, idemque simul

»efficiendi vim habeat : materia vero contraria subeat om»nia, quippe quæ pati mutarique possit, inconstans, et mul»tiplici configurationi obnoxia. Jam qui tandem inter sese »ambo tam apte convenerunt? Utrum sese Deus ad mate»riæ naturam accommodans, sic eam demum elaboravit? »At ineptum fuerit cogitare, Deum, uti homines vulgo so»lent, aut ex auro conflare, aut lapides vel cædere, vel »collocare, aut pro cæterarum artium varietate, quibus »diversa materiæ genera figurari conformarique possunt, »opus quodcunque moliri. Sin materiam, prout ipse voluit, »ejusque sapientia postulabat, finxisse dicetur, eamque »variis ac multiplicibus artis molitionisque suæ formis con»signasse; bene ominata certe quidem veraque hæc oratio »fuerit, atque ejusmodi, quæ præterea Deum, qui totius »Universi vita quædam et fundamentum est, ortus omnis »expertem esse confirmet. Nam cum illa ortus negatione, »propriam insuper existendi rationem conjungit. Cæterum »multa quidem adversus id hominum genus dici possent, »verum alterius loci hæc disputatio fuerit. Si tamen isti cum »scelestissimis tot Deorum fabricatoribus conferantur, mi»nus impie loqui censebuntur». Hactenus Dionysius. Verba nunc Origenis accipe.

CAPUT VICESIMUM.

De eodem ex Origenis in Genesin commentariis.

«Si quispiam, *inquit*, eo in errore versabitur, ut de ar»tificum nostrorum more cogitans, dandum esse neget, »Deum res universas moliri posse, nisi materiam quamdam

» ortu carentem præ manibus habuerit, cum neque statua-
» rius absque ære, nec faber lignarius sine lignis, nec ar-
» chitectus sine lapidibus, susceptum opus elaborare possit :
» de potestate Dei quærendum ex illo est, utrum Deus, ubi
» quidquid ipsi placuerit, moliri statuerit, nulla difficultate
» vim ejus voluntatis inhibente, quod visum sibi fuerit, per-
» ficere possit. Qua enim ratione, qualitates illas (id quod
» ex eorum omnium, qui Providentiam esse defendunt, ora-
» tione sententiaque conjunctum est), quæ nullæ-dum erant,
» ad Universi ornatum, pro infinita potestate sapientiaque,
» producit : eadem omnino, naturam quamlibet, si qua forte
» indigeat, procreare continuo voluntas ejus per sese pote-
» rit. Nam quæremus ex iis, qui rem hoc modo se habere
» negaverint, nunquid ex eorum opinione consequens sit,
» belle admodum id ac fortunate Deo cessisse, quod in na
» turam illam ortus expertem inciderit, quam nisi eo ipso,
» quod ortu careret, nactus esset, nihil unquam efficere po-
» tuisset, adeoque perpetuo, Molitoris, Parentis, Benigni,
» Boni, ac cæteris omnibus, quæ magna cum ratione Deo
» tribuuntur, nominibus spoliatus perstitisset. Deinde qui
» fieri potuit, ut vim materiæ tantam, sic tanquam ad pon-
» dus accurate justeque admensam invenerit, quæ ad hujus
» proprie non majoris minorisve mundi molitionem satis
» esset? Invehenda quippe nescio quæ, Deo tamen antiquior,
» Providentia necessario fuerit, quæ materiam ei subjecerit,
» dum id ea provideret in posterum, ne quas in sese Deus
» haberet artis suæ notiones, irritæ cederent, si non ejus
» naturæ copia fieret, cujus opera tam excellentem et exi-
» miam Universi speciem efficeret. Unde porro id habuit,
» ut omnis ejus qualitatis capax esset, quam eidem impri-
» mere Deus voluisset, nisi qualem eam habere ipse vellet,
» talem ante sibi tantamque molitus erit? Jam ut nonnullis
» daremus ortu carere materiam, iis tamen, qui sic opinan-

» tur, hunc in modum instare possemus. Si, quantumvis na- » turam illam Deo providentia nulla subjecerit, ejusmodi » tamen ea per sese fuit : eamdem si providentia suopte con- » silio procreasset, ecquid amplius ipsa, quam quod fortuito » casuque factum videmus, effecisset? Quid si Deus ipse » materiam, quæ nulla dum esset, fingere molirique sta- » tuisset? ecquid tandem ejus cum Sapientia, tum Divini- » tas excellentius, quam quod ex ortu carente materia exti- » tit, molitus esset? Nam si ex providentia idem omnino » profecturum erat, quod sine providentia factum est : quid- » ni ex ipso quoque mundo auctorem omnem artificemque » tollamus? Quemadmodum enim absurdum fuerit, mun- » dum hunc dicere, tam eleganter apteque constructum, » absque sapientis Artificis manu talem extitisse : ita vim » materiæ tantam, ejusque conditionis et naturæ, adeoque » artifici Numinis rationi obsequentem, sine ortus sui prin- » cipio per se ipsam extitisse, non minus ineptum videri de- » bet. Cæterum iis, qui artificum nostrorum comparationem » obtendunt, quorum nemo sine materia quidquam efficiat, » occurendum, nullam eorum hoc in genere similitudinem » esse. Materiam enim artifici cuilibet Providentia subjicit, » quæ a principe quadam, seu humana illa, seu divina sit, » arte oriatur. Atque hæc in præsentiarum adversus eos sa- » tis erunt, qui quod ita scriptum videant : *Terra autem erat* » *invisibilis et vacua*, naturam corpoream ortus omnis exper- » tem esse opinantur. » Huc usque Origenes. Cui Philonem Hebræum subjiciam, in suo de Providentia libro, his ver- bis de materia disputantem.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Ex Philone de eodem argumento.

« Jam, *inquit*[1], moles hujus naturæ tanta, ortumne aliquem » habuerit, statuendum nobis est. Deus ergo, cum de mundi » hujus molitione cogitaret, tantum certo providit materiæ, » nihil ut ad eam deesset omnino, vel omnino superesset. » Absurdum enim plane foret, artificum nostrorum vulgus, » in singula, quæ præ manibus habeant, opera, eaque præ- » sertim, quæ majoris pretii futura sint, materiæ quantum » satis fuerit, ad pondus exigere : qui numeros mensurasque » rerum, justasque singulorum inter se proportionis æqua- » litatisque rationes invenit, eum nihil de materiæ vi neces- » saria cogitasse. Dicam igitur hoc libere, nec pauciore, nec » copiosiore materia, ad hujus mundi procreationem opus » fuisse. Alioqui nunquam is usque adeo perfectus extitisset, » nec in omnibus ac singulis partibus tam integre solideque » compactus, nisi ex integra perfectaque natura constitis- » set. Prudentis enim ac periti artificis est, antequam in » opus incumbat, materiæ quantum opus fuerit præ oculis » habere. Et homo quidem, ut cæteris etiam cognitione » præstet, quia tamen vix unquam ab eo penitus errore, » qui ad mortales cognatione quadam adhærescit, liber esse » potest, suis in operibus, a justa materiæ vi aberrarit forte » nonnunquam, ut cum vel pauciori aliquid addere, vel ex » ampliori detrahere nonnihil oporteat. At vero Deus, fons, » inquam, ille cognitionis omnis atque scientiæ, amplius

[1] Philo, in opere deperdito.

» quidquam minusve, quam par esset, adhibere non potuit, » cum omnibus mensurarum ponderumque rationibns utatur, accurata prorsus ac perfecta mediocritate temperatis. » Qui vero secus nugari voluerit, nobis ille videlicet omnia » continuo cæterorum artificum objiciet opera, quorum » molitio, nonnulla materiæ vel accessione, vel detractione » melius vulgo feliciusque cedit. Sed nimirum argutias sophista quærat, sapiens in rimanda rerum naturalium veritate versatur. » Ita Philo. Cæterum, quoniam maximus professor Christianæ religionis non obscurus, librum quoque singularem ac proprium de Materia scripsit, juvat ex eo nonnulla proferre, quæ ad exquisitam propositæ quæstionis disceptationem conducant.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Materiam nec ortu carere, nec malorum causam esse.

« Equidem, *inquit ille*, duo simul, quæ ortu careant, esse » non posse, quin mecum intelligas, non dubito : licet hoc » ponere insuper atque addere videaris, e duobus necessa- » rium alterutrum esse, ut vel segregatus a materia Deus, » vel cum eadem omnino conjunctus esse dicatur. Qui ergo » tam conjunctum esse volet, is unum duntaxat aliquid sta- » tuet, quod ortu careat; tunc enim alterius alterum pars » utique foret, quæ vero mutuam inter sese partis rationem » habent, eadem, quæ ortu careant, duo simul esse non » possunt. Nam quemadmodum hominem sic a Deo procrea- » tum esse dicimus, ut is non jam diversæ partes, atque in » plura genita distractæ, verum, ut ipsa ratio postulat, res » una quidem genita sit, variis tamen ex partibus constituta;

» sic necesse plane est, si Deum a materia sejunctum esse » negas, unum duntaxat aliquid, quod genitum non sit, » agnoscere. Sin ab eadem secretum esse voles, medium » necessario quiddam inter utrumque statuendum erit, quo » utriusque discidium ostendatur. Nec unius ab altero divor» tium constitui, dignoscive potest, nisi tertium aliquid » suberit, ex quo divortium illud æstimetur. Atque hæc ra» tio, non tantum vel in hoc, vel in uno quopiam, sed etiam » in pluribus locum habet. Quod enim de duobus ortu ca» rentibus dictum est, id similiter valere necesse erit, si tria » ponentur ortu carentia. Nam de illis eodem modo quæram, » utrum disjuncta illa sint, an singula inter sese conjuncta. » Si conjuncta quis esse defendet, idem ego contra, quod » paulo ante argumentum opponam. Sin distincta fatebitur, » nunquam illius quarti necessitatem effugiet, quod hoc dis» cidii genus efficiat. Quod si tertium quiddam existimet, » de illis ortu carentibus commode satis responderi posse, » Deum videlicet nec penitus a materia secretum, nec ta» men partis in morem cum eadem esse conjunctum; sed » vel materia Deum, vel materiam ipsam Deo, sic tanquam » loco proprio contineri: ex hac opinione consequens illud » omnino fuerit, ut, si Dei locum materiam esse dicamus, » eumdem necessario et capi ab aliquo, et materia ipsa cir» cumscribi posse fateamur. Quin etiam illum necesse erit, » perinde ut materiam, perturbate ferri; nec eumdem in se » ipso manere semper immotumque consistere, cum illud, » in quo erit, huc illucque perpetuo rapiatur. Ad hæc, lo» cum in deterioribus Deum ipsum habuisse concedendum » erit. Nam si rudis olim et incondita materia fuit, eamque » Deus in elegantiorem et ornatiorem speciem conformare » statuit: fuit profecto, cum Deus in rudi et incondita mole » versaretur. Præterea hunc etiam in modum urgere liceat, » utrum Deus materiam impleret universam, an in aliqua dun-

» taxat ejus parte collocatus esset. Nam si in parte solum » fuisse volent, mirum quam angustiorem illi nobis materia » Deum faciunt, cum pars ejus aliqua Deum integrum con- » tineret. Sin totam ab eo materiam occupatam esse dicent, » dicant ipsi quoque quemadmodum eam elaborare Deus ac » perpolire potuerit. Siquidem aut sese Deum collegisse ne- » cesse erit, itaque partem eam conformasse, ex qua seces- » serat; aut, quod loci, in quem secederet, nihil omnino » superesset, cum materia se ipsum una conformasse. Jam » vero, si materiam in Deo esse respondeant, quærendum » similiter fuerit, utrum sic in eo statuatur, ut a se ipso quasi » disjunctus ille distractusque sit, quomodo sic in aëre tot » animantium genera versantur, ut idem ad ea capienda, » quæ in ipso fiunt, aliquam partium suarum divisionem » patiatur : an potius, tanquam in loco, hoc est, ut aqua » in terra collocatur. Si quemadmodum in aëre; Deum jam » habemus, qui in partes distrahi secarique possit. Sin ut » aqua in terra est, materia vero perturbata atque indigesta » erat, adeoque mala gremio suo continebat; superest om- » nino, ut ipsum quoque Deum, et rerum imperfectarum, » et malorum sedem ac locum esse dicamus. Quod mihi qui- » dem cum minus religiose dici, tum abs te periculosius » responderi videretur. Quippe materiam enim esse vis, ne » malorum auctorem Deum esse fatearis : idem tamen, ut » hoc ipsum effugias, malorum eum receptaculum agnos- » cere cogeris. Et sane si ex rerum genitarum ortu atque na- » tura in eam te mentem adductum esse diceres, ut ortu » carere materiam putares; ita rem habere non posse, plu- » ribus equidem rationibus ostenderem. Nunc quoniam ma- » lorum procreationem hanc tibi suspicionem movisse ais, » singularem propterea de illis disputationem instituendam » putavi. Nam ubi semel intellectum erit, quemadmodum » existant mala, ac simul qui Deum materia usum esse di-

» cat, ei quoque Deum malorum auctorem habendum esse » constiterit, tum una suspicionem istam funditus sublatum » iri existimo. Tu ergo materiam ab omni qualitate vacuam, » ex qua Deus mundum hunc procrearit, cum eo simul esse » contendis. Ita mihi quidem videtur. Ergo si ab omni qua- » litate vacua materia fuit, et procreatus a Deo mundus est, » et qualitates in mundo sunt, istarum profecto qualitatum » auctor Deus est. Utique. Quoniam igitur ex te ipso paulo » ante audiebam, ex nihilo fieri nihil omnino posse : hoc tu » mihi respondeas velim. Existimas, ni fallor, mundi quali- » tates neque subjectis ex qualitatibus factas esse, et tamen » a naturis esse distinctas. Omnino. Si ergo qualitates a » Deo, neque subjectis ex qualitatibus, neque etiam ex na- » turis productæ sint, quod naturæ non sint, eas ex nihilo » certe quidem productas esse necesse est. Quare, frustra, » opinor, tuis id argumentis effectum esse dicebas, nihil ut » omnino Deus ex nihilo efficere potuisse crederetur. Quan- » quam hunc etiam in modum hac ipsa de re disputare licet. » Ab hominibus interdum videmus, ex eo, quod nusquam » est, nonnulla fieri, ut in alio quopiam susceptum opus » efficere maxime videantur. Nam, ut in architectis exem- » plum statuamus, urbes illi quidem, non tamen ex urbi- » bus; templa quoque non ex templis ædificant. Si enim » quod substantiæ quædam iis subjectæ sint, illos idcirco ex » iis, quæ ante jam essent, ista moliri existimes, tuum te » fallit argumentum. Nec enim ejusmodi substantia, vel ur- » bem, vel templum, efficit, sed ea tantum ars, quæ circa » substantiam versatur. Ars ista porro, non jam ex simili » quodam artis genere, quod iis substantiis includatur, exis- » tit, sed ex nulla prorsus antegressa in illis arte perficitur. » At enim occurres, artificem ex ea demum qua præditus » arte est, artem in substantiæ geminam efficere. Atqui ne » in ipso quidem homine, ex antegressa quadam arte ars illa

»perficitur. Nec enim fas est artem, quæ per se ipsa sit ullam statuere, cum accidentium, adeoque rerum illarum ex genere sit, quæ tum primum alterius beneficio esse incipiunt, cum in substantia producuntur. Etenim, ut architectura nulla sit, homo tamen erit : eadem, si non prius homo fuerit, esse nulla poterit. Ita concludendum necessario est, ejusmodi artium esse naturam, ut in hominibus ex eo, quod nusquam est, oriantur. Quod si verum in hominibus esse ostendimus, quisquamne porro negare audeat, ex nihilo vel qualitates, vel ipsas quoque substantias a Deo fieri posse? Nam quæ ratio fieri omnino quidquam ex nihilo posse demonstrat, eadem in substantiis quoque valere debet. Sed quoniam de malorum procreatione aliquid audire gestis, in eam deinceps disputationem ingrediar. Ac primum pauca ex te sciscitari libet. Utrum ergo mala substantias, an substantiarum qualitates esse putas? Substantiarum qualitates, inquis. Atqui materia ut qualitate, sic figura omni spoliata erat : hoc enim jam ante posito, institutam disputationem persecutus sum. Igitur, si et substantiarum qualitates mala sunt, et materia qualitate omni carebat, Deum porro qualitatum auctorem esse confessus es ; erit idem malorum etiam architectus. Itaque Deo materiam adjungere supervacaneum est, cum ne sic quidem malorum procreatione solutum et immunem Deum habere possis. Tu, si quid habes, quod huic argumento respondeas, incipe vero. Et quidem si contentionis et pugnæ studio, hæc a nobis suscepta disputatio foret, malorum rationem in quæstionem iterum vocari non paterer. Sed quoniam amicitia potius, et proximi utilitas in hujusmodi nos sermonem adduxit, age, hanc de integro quæstionem disceptare liceat. Equidem sensum tibi meum, quidve hac in disputatione sequar, notum abunde tibi et exploratum esse non dubito : hoc

»me nimirum agere, non ut verisimilibus argumentis fal-
»sum extorqueam, sed ut accurata disquisitione illustratum
»et confirmatum verum habeamus. Nec alio te animo esse,
»prorsus intelligo. Qua te ergo ratione verum assequi posse
»arbitraris, ea tibi libere atque ingenue utendum statue.
»Nam dum eo, quod melius est, abuteris, rem utique non
»tibi modo, sed etiam mihi, quem ignorantia liberabis,
»perutilem feceris. Nunc igitur substantias quasdam, opi-
»nor, mala esse voles, quod ea, præterquam in substantiis,
»nusquam omnino videantur. Ergo, bone vir, cum subs-
»tantias mala esse putes, sequitur profecto, ut excutienda
»nobis substantiæ natura sit. An tu substantiam corporeæ
»molis coagmentationem aliquam esse arbitraris? Arbitror
»vero. Ista porro corporea moles num ita existit ipsa per
»sese, nullius ut opem omnino desideret, ac eo præsente
»tum esse incipiat? Prorsus. Quid? Num tibi mala in ac-
»tione quadam videntur esse posita? Videntur sane. Ac-
»tiones autem num esse tunc primum incipiunt, cum is,
»qui agit, præsens adfuerit? Utique. Sin qui aget, nullus
»erit, ne id quidem, quod ipse agat, esse poterit? Non po-
»terit. Ergo si et substantia corporeæ molis coagmentatio
»quædam est, nec ullius præsentiam requirit, in quo sata
»existendi vim accipiat: contra vero mala alterius cujusdam
»actiones sunt, actiones istæ porro alicujus præsentiam
»postulant, in quo dum fiunt, tum existere primum inci-
»piunt; restat profecto, ut substantiæ mala esse non pos-
»sint. Quod si verum est, itemque si malum cædes est, ac
»proinde alicujus actio; cædes igitur substantia esse non
»potest. Jam si quæ agendi vim habent, ea substantias esse
»vis, fateor id quidem: homo enim cædis alicujus auctor,
»quatenus homo est, substantia quædam est: quæ tamen
»cædes ab eo fit, ea non substantia, sed substantiæ opus
»est. Cæterum hominem aliquando malum, ob cædem ab

»illo patratam; aliquando bonum propter beneficium ab »eodem profectum appellamus : quæ nomina, propter ea »quæ substantiæ contigerint, ad ipsam adhærescunt illa »quidem, substantia tamen ipsa non sunt. Nec enim aut »cædes, aut adulterium, aut aliud quodcunque malum, »substantia est. Sed quemadmodum a grammatica gram»maticum, rhetorem a rhetorica, a medicina medicum »nominamus, cum tamen neque medicina, neque rheto»rica, neque grammatica substantia sit : sed tantum ex iis, »quæ sibi eveniunt, hanc nominum, quorum ipsa nullum »est, varietatem sortiatur. Sic ab iis, quæ vulgo mala cen»sentur, substantiæ nomen imponi statuo, quorum tamen »ipsa nullum est. Perinde autem philosophari debes, ut »alium aliquem hominibus malorum auctorem animo et co»gitatione fingas, eumque similiter, quatenus in ipsis male »agendi principium et causa quædam est, ob illa ipsa, quæ »agit, malum esse. Nam malus utique dicitur ipse quoque, »quod malorum auctor ipse sit : quæ porro quis agit, ea »non jam ipse, sed ipsius tantum actiones quædam sunt, »unde mali nomen haurit. Enimvero si quæ a quoque fiunt, »eadem ipsum esse diceremus, cum cædes, adulteria, furta, »aliaque id genus scelera ab aliquo patrarentur, hæc omnia »simul unus idemque foret. Ejusmodi porro si erit, cum »isthæc omnia tum existant modo cum fiunt, ac simul esse »desinant, cum fieri desinunt, fiant autem ab hominibus; ho»mines certe quidem, ut eorum artifices, sic et quamobrem »illa modo sint, modo non sint, causæ ipsimet erunt. Quod si »ejusdem actiones, ista esse concedis, ex iis tantum, quæ »fecerit, non ex iis, quibus substantia constat, is habet, ut ma»lus sit. Mali enim appellationem, ex iis, quæ substantiæ con»tingunt, quæque substantia ipsa non sunt, petendum esse »diximus, quemadmodum a medicina medicum nominamus. »Nunc vero, si pro rerum, quæ ab eo fiunt, conditione,

»cuicuimodi esse primum incipiat : idem quoque malus »esse cœpit, ipsaque adeo mala simul esse cœperunt. Id »quod si verum est, neque malus malitiæ suæ principio, »neque mala ipsa ortu carebunt, cum ab illo profecta esse »dicantur. Præclare tu quidem et abunde superioris opinio»nis errorem, o amice, tam luculenta disputatione confu»tasti : ex iis enim, quæ ante posueras, egregie confecta »res est. Enimvero, si qualitate omni spoliata materia erat; »proindeque si et qualitatum auctor Deus est, et qualitates »istæ mala sunt, Deum plane malorum auctorem esse con»sequitur. Quare quod priorem illam sententiam attinet, »ab ea sum tua hac ratione deductus. Esto. Nunc autem »falsum illud mihi videtur, materiam qualitatibus vacuam »fuisse. Nam substantia nulla qualitate omni carere dici »potest : cum eo ipso, quo materiam quis omni qualitate »spoliatam esse diceret, propriam ejus qualitatem indica»ret, dum, qualis materia sit, explicaret, quod ipsum »utique singularis quædam ratio qualitatis est. Deinceps »ergo, nisi molestum est, hanc mihi rursus a capite dis»putationem arcesse. Jam enim materiam qualitatibus ex »omni æternitate præditam, malaque simul omnia ex quo»dam ejus defluxu nata esse defendo; ne Deo causa malo»rum assignetur, quæ solam in materiam conferenda sit. »Mihi vero tuus hic animus, o amice, admodum probatur, »placet hoc in concertationis genere tam studiosa conten»tio. Atque idem profecto eorum omnium, qui se discendi »cupidos profitentur, consilium esse oporteret, ut non »simpliciter ac temere, quidquid ab aliis dicitur, arri»perent, sed rationum vim atque pondus suis accurate »ac diligenter momentis æstimarent. Nec enim, si qui cum »altero disserit, concinnatum abs sese fallax aliquod et »captiosum argumenti genus, sua illi ex mente sensuque »concludendum obtrudet, auditori propterea, quod vo-

»let, hac arte persuaserit : sed aliquid tum demum is egerit, si quod abs se cum ratione dici posse videbitur, id in medium proferet. Nam tum e duobus alterum consequetur. Aut enim qui audiet, quo impelli sese ferrique senserit, in eo tandem magno cum suo fructu acquiescet, aut adversarium ipse suum erroris falsique convincet. Ergo, ut ad rem veniam, equidem sic existimo, minus abs te vere qualitatibus ab omni ævo materiam instrui. Hoc enim si verum est, cujus tandem rei Deum auctorem habebimus? Substantiarum? at eas jam prius extitisse dicimus. Qualitatum? at illas quoque jam ante fuisse agnoscimus. Cum igitur et substantia per sese jam, et qualitates existant, quamobrem Deum conditorem appellemus, superest profecto nihil. Verum ne arguti quidpiam ipse moliri velle videar, dic ipsemet, obsecro, qua tu ratione conditorem Deum esse putes. An quod substantiarum naturam immutarit, ut quam nactæ prius fuerant exuentes, novam ipsæ quamdam et alienam induerent? An potius, quod substantiis in propria naturæ suæ ratione conservatis, earum tamen qualitates mutarit? Ego vero nullam in substantiis mutationem contigisse arbitror. Absurdum enim id utique fuerit. Qualitates ergo mutatas fuisse aio, quod mutationis genus conditoris Deo nomen indiderit. Quemadmodum enim si domum aliquam e lapidibus factam esse dicamus, non tamen continuo verum sit, lapides, exuta priore substantia, eam in domum esse conversos : quippe certo quodam ex compositionis genere domum extitisse contendo, priori lapidum qualitate mutata. Sic videtur mihi Deus, integra manente substantia, quamdam ipsius qualitatum mutationem effecisse, ex qua mundus iste hoc habeat, ut a Deo conditus esse dicatur.
» Audio. Cum igitur peculiarem quamdam ejusmodi qualitatum rationem a Deo profectam esse statuas, pauca mihi

»tantum abs te responderi velim. Dic amabo. Num tu »similiter qualitates istas substantiarum mala quædam esse »opinaris? Omnino. Utrum igitur illæ jam inde ab omni »ævo materiæ inerant; an existendi principium aliquod »habuere? Inerant vero citra ullum ortus sui principium. »Quid? Num tu aliquam a Deo mutationem qualitatum »istarum effectam esse contendis? Plane. Utrum eam in »melius, an vero in deterius factam arbitraris? In melius »certe quidem. Si ergo qualitates materiæ mala sunt, »eædemque cum melioribus a Deo commutatæ fuerunt: »unde mala profluxerint, quærendum necessario est. Aut »enim qualitates istæ prioris naturæ conditionem non exue- »runt: aut si, cum prius malæ non essent, illa tamen di- »vinitus facta mutatione, quæ priorem naturam expule- »rit, ejusmodi, quas nunc habet, inustas materiæ qualita- »tes esse arbitraris: malorum profecto causa Deus erit, »qui quæ malæ per sese non erant, eas in malas commuta- »rit. At forte ne malas quidem qualitates Deus in meliores »convertit, sed reliquas tantum, hoc est eas, quibus nihil »esset cum bonis malisve commune, ut major ex ea muta- »tione ornatus existeret. Ita quidem jam inde ab initio sen- »tiebam. Quomodo igitur quæ malæ per sese erant, eas sine »ulla mutatione relictas ab eo fuisse ais? An quod illas ut »tollere similiter ac delere potuisset, noluerit tamen? an »potius, quod id perficere nullo modo potuerit? Si potuisse »concedis, negas voluisse: illarum causam in Deum confe- »ras necesse est, qui cum eas innata malitia liberare pos- »set, suam tamen iis conditionem relinquere maluerit, quo »potissimum tempore materiam elaborandam conforman- »damque susciperet. Nam si materiam susque deque habuis- »set, non jam qualitatum earum, quas integras manere »sinebat, causa diceretur. Nunc vero, cum ejusdem mate- »riæ partem expoliret, partem indigestam ac rudem, uti

» erat, relinqueret : qui quod malorum supererat, melius » efficere potuisset, is mihi quidem culpæ alicujus affinis vi- » detur fuisse, dum in altera materiæ parte nativam etiam » tum malitiam, in ejus, quam elaboraret, exitium hærere » pateretur. Et quidem gravis prorsus hoc in genere, huic, » quam elaboravit, materiæ parti, eo nomine facta videtur » injuria, quod tantam malorum vim subire ac sustinere co- » gatur. Quisquis enim accurate rem æstimare volet, is » longe deteriorem hoc tempore, quam impolita dum esset, » materiæ conditionem esse reperiet. Nam antequam varias » digereretur in partes, nullum ea malorum suorum habebat » sensum, quo nunc partes ejus singulæ vehementer labo- » rant. Atque ut ab homine sumatur exemplum. Priusquam » animal opificis arte conformatum esset, a natura hoc ha- » bebat, nihil ut omnino mali pateretur. Ex quo autem a » Deo procreatus homo est, mali etiam imminentis sensu affi- » citur. Ita, quod tu divini erga materiam Numinis beneficium » interpretaris, hoc ipsi jam in deterius cessisse reperies. » Jam vero, si quod mala Deus tollere non potuerit, eadem » perstitisse voles, Deum ergo impotentem facis. Impotens » autem, si erit, aut propter nativam imbecillitatem erit, » aut quod servilem in modum, potentioris alicujus terrore » superetur. Natura imbecillum, citra manifestum salutis pe- » riculum, affirmare audebis nunquam. Sin majoris formi- » dine victum esse dices, mala Deo simul antepones, quæ » vim ejus impetumque voluntatis impediant. Quod sane de » natura divina prædicari nonnisi absurde potest. Quidni » enim mala ipsa potius Deorum loco habeantur, si et Deum, » ut ais, superare possunt, et Deum illud esse demum agnos- » cimus, quod summam habeat rerum omnium potestatem? » Sed juvat præterea, nonnulla ex te de materia quærere. » Dic igitur, amabo te, simplicem ne materiam an compo- » sitam fuisse putes? Nam rerum tanta diversitas ad hujus

» me disceptationem quæstionis adducit. Si enim simplex, » uniusque duntaxat formæ ac figuræ materia fuit : quomodo » tandem compositus ex ea mundus, ex tanta substantiarum » ac temperationum varietate consistit? Quod enim compo- » situm dicitur, id sane plurium simplicium mixtionem in- » volvit. Si eamdem compositam fuisse vis; ex simplicibus » igitur composita fuit. Quod si verum est, fuerant jam olim » simplicia illa per sese, quorum ex compositione materia » conflata est. Hinc porro genitam esse materiam efficitur. » Nam si composita materia est, composita vero ex simpli- » cibus coagmentata sunt, tempus illud certe fuit, quo » nulla-dum materia esset, hoc est antequam ea simplicium » inter sese conjunctio fieret. Quod si tempus ejusmodi ali- » quod fuit, quo materia necdum esset; nullum autem un- » quam fuit, quo res ortu principioque carens, nondum » existeret, ortu materia caruisse non poterit. Cæterum plura » deinceps ortu carentia statuemus. Si enim et Deus, et » simplicia ista, ex quibus concreta materia est, ortu care- » bunt, non jam duo tantum ortu carentia censebuntur. Pos- » tremo, num tu rem plane nullam, quæ secum ipsa pu- » gnet, esse concedis? Nullam. Cum igne vero num aqua » pugnat? Pugnat sane. Similiter et luci tenebræ, et frigido » calidum, et sicco humidum adversatur? Utique. Igitur si » res nulla secum ipsa pugnat, sequitur omnino, nec uni- » cam esse materiam, nec unica tantum ex materia universa » constare. Cui persimile ac geminum illud est, quod sequi- » tur. Quid enim, an non partes aliis alias exitium ac pestem » creare confiteris? Equidem. Materiæ vero partes, ignem, » aquam, et reliquas esse concedis? Et libenter. Ignem » porro aqua, lux tenebras, atque ejusmodi cætera, non » tollere sese mutuo ac perimere videntur? Plane. Si ergo » partes nullæ mutuum sibi exitium afferunt, nec mutuarum » ista partium rationem obtinere, nec proinde unius tan-

» tum materiæ, aut vero materia prorsus esse poterunt, cum » res nulla interitum sibi pestemque creet, uti contrariis » contraria solent. Nec enim idem contrarium est, ipsi sibi, » contraria siquidem, aliis duntaxat contraria sunt : quem- » admodum nec album albo, sed nigro tantum; nec luci, » sed tenebris contraria lux est, similiterque de aliis pleris- » que philosophari potes. Quare, si materia quoque una » quædam et simplex esset, nunquam secum ipsa pugnaret. » Ex qua tandem propria contrariorum ratione concluditur, » locum omnino isti materiæ nullum superesse. » Et Maximus quidem hactenus. Nos vero cum sua huic volumini justaque magnitudo sit, quæ deinceps affecta disputatio desiderat, octavo, qui sequitur, Præparationis Evangelicæ libro, favente Divino Numine repræsentabimus.

LIBER OCTAVUS.

CAPUT PRIMUM.

Procœmium ; ac de piis Mosaicæ reipublicæ institutis.

Priscorum Hebræorum vitam, qui antequam Moses ullus esset, vere Deo carissimorum nomen et laudem, virtutum sibi omnium ornamentis et insignibus defenderunt, simulque religiosas ac pias, summaque cum veritate conjunctas eorum doctrinæ ac theologiæ rationes, quarum nos amore desiderioque captos fassi ultro sumus, libro superiore complexi, suo deinceps ordine ad Mosaicæ reipublicæ instituta progredimur. Ea quippe secundum a primo illo pietatis gradum tenuere, in quo soli tum Judæo populo consistendum erat. Nam solis tum Judæis, non reliquis totius orbis gentibus, aptas illas Mosis et congruas fuisse leges, nec hominum genus universum, Græcos, inquam, omnes et Barbaros, qui procul a Judæa semoti essent, iisdem servandis pares esse potuisse, suo tempore ostendemus. Cæterum Mosaicæ quoque hujus disciplinæ ritus, non jam meis ipse verbis, sed ipsimet, quomodo adhuc feci, eorum duntaxat, qui præcipua quadam apud Judæos patrii moris cognitione floruerunt, vocibus repræsentabo, eamdem mihi viam insistendum ratus, quam suis ac propriis in cujusque rei fidem testimoniis producendis atque laudandis institui. Quem-

admodum igitur, ex Phœnicibus, Ægyptiis, atque Græcis, qui nominis inter eos celebritate præstarent, suo loco testes appellavi : sic Judæos etiam homines suscepta nunc disputatio jure suo postulare videtur, non autem ut ipsimet exteri populi mores leviter ac negligenter adumbremus. Sed antequam eo progredior, facturum me necessarium operæ prætium existimo, si qua via eorum ad Græcos oracula commearint, simul quænam creditarum ipsis divinarum litterarum interpretationis concinnandæ ratio, quot præterea et cujusmodi hominum industria, quantoque regum studio, Græcis illa vocibus mandata fuerit, operis nostri lectoribus aperiam : cum præsertim haud inutilis mihi ad certum Evangelicæ Præparationis argumentum, rerum istarum enucleatio futura videatur. Nam cum felix illud tempus instaret, quo salutaris hujus Servatoris nostri doctrinæ lux, sub Romanis imperatoribus in cunctos sese homines longe lateque diffunderet : adeoque præcipua tum quædam ratio postularet, ut quæ de ipso extarent oracula, nec non Hebræorum illorum vita, ac religiosæ disciplinæ leges, quos longe Deus ipse carissimos habuisset, cum tot eæ seculorum intervallo patrii sermonis integumentis clausæ latuissent, cæteris tandem aliquando nationibus, quæ postmodum in cognitionis Divinæ communionem vocandæ erant, omnibus paterent : Deus ille tantorum bonorum auctor, Divinæ scientiæ vi futurum intuitus, singulari egit providentia, ut quæ de venturo paulo post generis humani Servatore, eodemque sanctioris erga unum præpotentem Deum religionis omnibus sub sole gentibus Doctore futuro, prædicta jam olim essent, ea demum accurata explicatione patefacta, et publicis in bibliothecis collocata cunctorum in lucem venirent, immissa hac Ptolemæo regi mente divinitus : nimirum ut quædam quasi penus esset, unde illa postmodum in populorum omnium usum fructumque pro-

merentur. Enimvero quorum aliter nulla nobis unquam a Judæis, suorum nobis oraculorum cognitionem invidentibus, copia fieret, eorum divino consilio provisam interpretationem accepimus: atque ab illis ipsis, qui plurimum apud eos cum prudentia, tum gentilitiarum quoque litterarum scientia præstabant, elaboratam. Atque hæc testatur Aristæus, vir cum eruditus in primis, tum etiam is, qui rebus Ptolemæi secundi, cognomento Philadelphi, tempore gestis interfuit. Eo enim regnante, imo id agente præterea studiose, sacra Judæorum monumenta græce translata sunt, et Alexandrinis in bibliothecis reposita. Sed illum ipsum audire præstiterit, rem verbis totidem hunc in modum enarrantem.

CAPUT SECUNDUM.

Ex Aristæo de Judaicarum Scripturarum interpretatione.

«Demetrius Phalereus, *inquit*, regiæ bibliothecæ præ»fectus, ad libros ex orbe terrarum universo congerendos, »magna vi pecuniarum a rege accepta, coëmi alios, alios »excribi vertique curavit, ut quantum in se erat, ejus fa»ceret voluntati satis. Ac nobis aliquando præsentibus, »quærenti ex eo regi, quam multa jam librorum millia »corrogasset, amplius ducenta respondens, addidit conti»nuo, daturum se operam, ut brevi post tempore quingen»torum millium numerus impleretur. Cæterum audire se, »Judæorum quoque monumenta, quæ describerentur, ac »regiam bibliothecam augerent, esse dignissima. Cui rex,

» Quid ergo, *inquit*, moræ esse potest, quo minus id abs te » fiat? quidquid enim opus eam in rem habes, id abunde » tibi jussu meo suppetit. Ille autem, Interpretatione, *in-* » *quit*, opus præterea est. Suum enim ac proprium charac- » terem Judæi, quemadmodum Ægyptii peculiarem littera- » rum figuram ac situm, habent; uti propriam quoque lo- » quendi rationem. Et nonnulli quidem eos Syriace loqui » opinantur; errant illi tamen; alio enim utuntur dialecti » genere. Quæ cum rex audiisset, Demetrium jussit ad » summum Judæorum Pontificem scribere, uti res ea sedulo » ac mature curaretur. » Quibus, post alia quædam, hæc subjungit. « Quibus perfectis, *inquit*, rex Demetrium jus- » sit, de curanda Judaicorum librorum descriptione libel- » lum sibi offerre. Cuncta enim ab iis regibus, et propriis » quibusdam mandatis, et præcipua cum diligentia fieri » consueverant, negligenter ac temere nihil. Quamobrem et » libelli hujus, et epistolarum exemplaria seposuimus ipsi » quoque, ac seorsim reddidimus, nec non missorum etiam » donariorum copiam, cum proprio singulorum apparatu, » quippe quorum amplitudo esset artificiumque singulare. » Ergo libelli exemplar ita habet. »

CAPUT TERTIUM.

Epistola Demetrii Phalerei ad Ptolemæum Ægypti regem.

« Regi magno Demetrius. Quod mihi dederas in manda- » tis, o rex, ut qui ad bibliothecæ complementum dees- » sent, ii per me libri conquirerentur, et quæcunque negli- » gentius excidissent, ea studiose ac sedulo sarcirentur: id

» abs me summa cum diligentia curatum ad te perscribo.
» Desiderantur tamen, cum paucis aliis, Judaicæ legis volumina, quod Hebraicis ea litteris ac vocibus continentur.
» Extat earum quidem, sed negligentius, atque ut ex peritis » audio, perperam expressa significatio; nec mirum, regiæ » enim curæ opus illud non fuit. Ea vero, ut non minus » quam cætera, ad amussim exacta penes te habeas, vel hoc » nomine plurimum interest, quod altioris cujusdam sapientiæ, ac sincerissimæ integritatis plena lex ea sit, utpote » lata divinitus. Quare tam oratores, quam poëtæ, et quotquot historiam conscripsere, ab ejusmodi librorum, adeoque hominum illorum commemoratione, qui ex eorum » præceptis vitam instituere, longissime abfuerunt, quod » iis casta quædam et augusta sensus et intelligentiæ ratio » contineantur, quemadmodum Hecatæus Abderita testatur. Quod igitur, o rex, te approbante fiat, cum summo Hierosolymorum Pontifice per litteras agendum erit, uti viros » morum integritate præstantes, ætate maturos, et eorum, » quæ patriam ad legem pertinent, omnium cognitione præditos, sex tribubus e singulis ad te mittat: ut quem in » sensum plures convenisse, diligenti examine constiterit, » eum seligamus, et accuratam eorum librorum interpretationem, prout res ipsa et voluntatis tuæ ratio postulat, » honesto et illustri in loco reponamus. Vale, ac rebus in » omnibus fortuna secunda utere.

» Quibus acceptis a Demetrio litteris, Ptolemæus cum ad » Eleazarum eam in rem scribi, tum etiam de captivis ab » sese libertate donatis mentionem fieri jussit. Idem crateribus, phialis, mensæ, vasisque libaminum perficiendis, » auri pondo talenta quinquaginta, argenti septuaginta, vimque lapidum non exiguam attribuit. Ærarii denique præfectos voluit, et operis eorum, quæ mallent, omnium optionem » relinquere, et in sacrificiorum, aliarumque rerum expensas,

» ad centum pecuniæ talenta numerari. Quorum tibi operum » molitionem exponemus, si prius epistolarum ipsarum exem- » pla recitaverimus. Ac regis quidem epistola hunc in modum » se habet. »

CAPUT QUARTUM.

Epistola Ptolemæi regis ad Eleazarum summum Hierosolymorum Pontificem.

« Ptolemæus rex Eleazaro summo pontifici salutem. Quo- » niam ita casu factum erat, ut plurimi Judæorum, quos » Persæ, quo tempore rerum potiebantur, Hierosolymis cap- » tivos abduxerant, partim nostris in regionibus constituti » essent, partim in Ægyptum una cum parente nostro com- » migrassent; eorumque permultos ipse, cum in numerum » ordinemque militum amplioribus stipendiis ascripserat, » tum etiam quorum sibi fides probata jam fuisset, eorum » aliquot in arcibus eum in finem extructis, ad Ægyptiorum » terrorem præsidia collocasset. Nos suscepto regno, majori » etiam cum reliquos omnes, tum cives in primis tuos hu- » manitate complexi, captivos supra centum millia in liber- » tatem asseruimus, justo dominis pretio persoluto, et si » quid forte multitudinis impetu secus actum esset, emen- » dato. Qua in re, præcipuæ cujusdam nostræ pietatis, et » gratæ adversus Deum præpotentem voluntatis monumen- » tum extare voluimus, qui regnum adhuc nostrum cum » alta pace tranquillissimum, tum maxima per universum » orbem gloria celeberrimum conservavit. Ad hæc, non tan- » tum ætate florentibus suum in exercitu locum assignavi-

» mus, sed etiam quotquot explorata perspectaque fides eo » dignos honore reddiderat, in comitatum aulamque nos- » tram allegimus. Cæterum pro nostro erga te, Judæosque » simul omnes, tum qui toto nunc orbe diffusi vivunt, tum » qui deinceps futuri sunt, animo ac studio, curandum id » nobis agendumque statuimus, uti lex vestra, ex ea, quam » Hebraicam appellatis, græcam in linguam convertatur, ut » illa cum cæteris voluminibus regiis nostra in bibliotheca » collocetur. Rem ergo cum tibi honestam, tum benevolen- » tia mea dignam feceris, si viros contestatæ probitatis, æta- » tisque maturæ, legisque simul peritos, atque ad eam in- » terpretandam idoneos, sex tribubus e singulis delectos ad » me miseris : ut quoniam de rebus gravioribus agitur, cer- » tiorem hoc in genere consensionem ex plurium concursu » habeamus. Atque id, si bene feliciterque cesserit, non vul- » gari nobis gloriæ futurum arbitramur. Eum in finem ad te » misimus Andream, unum ex præsidiariorum militum præ- » fectis, et Aristæum, ambo summæ apud nos auctoritatis, » qui tecum ea de re colloquantur, et donariorum nostro- » rum primitias, cum talentis argenti centum in sacrificia » ac reliqua id genus expendendis, in templum perferant. » Tu vicissim, quacumque de re libuerit, ad nos scribas » velim. Rem enim et mihi pergratam, et amicitia nostra » dignam feceris : et quidquid postularis, id ut quampri- » mum fiat, operam dabimus. Vale.

» Ad hæc Eleazarus, ut par erat, in eum, qui sequitur, » modum rescripsit. »

CAPUT QUINTUM.

Epistola Eleazari summi Sacerdotis ad Ptolemæum regem.

« Eleazarus summus Pontifex Ptolemæo regi, vero ac
» sincero amico salutem. Si vales tu, reginaque Arsinoe,
» soror, liberique valent, bene est, atque ex voto nostro :
» nos quidem valemus. Acceptis litteris tuis, magnam ex
» tua voluntate consilioque sanctissimo lætitiam cepimus,
» convocataque multitudine universa, palam eas recitavi-
» mus, ut omnes tuæ adversus Deum nostrum pietatis sen-
» sum intelligerent. Phialas etiam abs te missas protulimus,
» aureas viginti, ac triginta argenteas, crateres item quin-
» que, mensam consecratis muneribus excipiendis addictam,
» et sacrificiis faciendis, ac cæteris omnibus, quæ opus tem-
» plo fuerint, comparandis argenti talenta centum, quæ
» Andreas unus ex familiæ tuæ clarissimis, et Aristæus, viri
» honestissimi atque integerrimi, summæque eruditionis,
» tuaque simul cum disciplina, tum æquitate rebus in omni-
» bus dignissimi attulerunt. Ii tua quoque mandata nobis
» exposuerunt, rebusque tuis aptum a nobis et commodum
» responsum tulerunt. Quidquid enim e dignitate usuque
» tuo fuerit, in eo, ut minus etiam cum natura nostra sen-
» suque conjunctum sit, morem geremus. Hoc enim ami-
» citiæ et charitatis argumentum est. Et sane magna in
» primis, nullaque unquam oblivione delenda omnis ge-
» neris beneficia nostros in cives contulisti. Quare hostias
» confestim, et tua et sororis, liberorum, amicorumque
» causa immolavimus : et votis ac precibus Deo præpotenti

» nuncupatis, universus ab eo populus flagitabat, uti omnia tibi feliciter atque ex animo cederent, ac perennem » regno tuo pacem gloriamque concederet. Cæterum, ut » commode tutoque succedat sacræ legis interpretatio, sex » tribubus e singulis, in omnium conspectu delegimus, viros probos ac seniores, quos ad te una cum lege misimus. » Æquum igitur fuerit, rex æquissime, hanc abs te sacrorum librorum interpretationem sedulo curari, uti ad nos » illi continuo salvi et incolumes remittantur. Vale. » Hæc Aristæus. Quibus ille deinceps (pluribus tamen de suscepto opere interjectis), secundum illam divinarum litterarum interpretationem, verbis totidem, quæ sequuntur, attexit. « Perlectis, *inquit*, voluminibus illis, stantes erectique sacerdotes, unaque seniores non interpretes modo, sed etiam » hujus reipublicæ administratione perfuncti, cum populi » moderatoribus, una voce omnes : Quandoquidem, aiunt, » rite ac religiose perfecta, atque in omnibus ad amussim » exacta interpretatio est, ut integra puraque servetur, nihilque prorsus artis irrepat, omni cura studioque providendum. Quam vocem, fausta cunctorum acclamatione » consecuta, diris more suo eum devoveri jussere, qui vel » addendo, vel transferendo, vel detrahendo, universi operis quidquam adulteraret : atque id jure quidem ac merito, uti sacer ille fons limpidis ac jugibus aquis perpetuo » scaturiret. Quibus omnibus regi nuntiatis, magnam ipse » quoque voluptatem animo cepit, quod suum illud consilium felicem exitum habuisse videretur. Atque illi cuncta » etiam recitata sunt, ex quibus legislatoris mentem summopere admiratus : Qui factum est, inquit, o Demetri, » ut tot tantisque rebus gestis, earum tamen nemo vel historicus, vel poëta meminerit? Cui Demetrius : Quod augustior, inquit, a Deoque ipso lata lex ea sit. Ac nonnulli » quidem ejusmodi aliquid moliri ausi, percussique divini-

»tus susceptum opus abruperunt. Enimvero se ex Theo-»pompo quodam audiisse dicebat, quod ex lege nonnulla, »græce jam reddita, audaciori quodam orationis genere »vulgare statuisset, mentis eum perturbatione dies amplius »triginta laborasse. Cujus morbi causam, quoties intermit-»teret, cum multis a Deo precibus intelligere studuisset, »hanc demum in somnis unam didicisse, quod divina mys-»teria rimari curiosius, ac profanis hominibus enuntiare »voluisset. Ita mutato abjectoque consilio pristinæ sanitati »restitutum fuisse. Quinetiam Theodectem sibi quemdam »tragœdiarum scriptorem narrare solitum, quod aliquid ex »iis, quæ sacris voluminibus continentur, in fabulæ argu-»mentum detorquere conaretur, sese in oculorum glaucoma »incidisse, quo nonnisi post multos dies, ubi morbi fontem »suspicione attigisset, Numenque sibi conciliasset, liberari »potuerit. Itaque rex, his omnibus, uti supra dixi, ex De-»metrio intellectis, summa interpretationem veneratione »complexus, sacros proinde libros summa cum diligentia »castos integrosque conservari jussit.» Atque hæc ab Aristæo sumpta, et in epitomem contracta sufficiant. Nunc vero ipsam Mosaicæ reipublicæ legisque formam, in eorum, qui apud Hebræos summopere floruerunt, scriptis expressam contemplemur. Initium a Philone ducemus, quæque de Judæorum ex Ægypto migratione Moyse duce suscepta commemorat, ex primo librorum eorum, quos Hypotheticos inscripsit, repetemus, ubi Judæorum adversus illorum accusatores, defensionem instituens, hunc in modum loquitur.

CAPUT SEXTUM.

Ex Philone de Judæorum ex Ægypto profectione.

« Enimvero, antiquissimum generis parentem sui ex » Chaldæis oriundum esse, hunc vero populum ex Ægypto, » in quam ex Syria jam olim commigraverat, profectum, » partim quod eum infinita multitudine auctum terra illa » non caperet, partim quod is exaggeratam animi vim et » magnitudinem ab educatione ipsa haustam foveret, par- » tim quod Deus ipse non modo tam visis, quam somniis, » eos ad emigrandum invitaret, sed etiam (quo stimulo non » vehementior alius fuit), ardens illis antiquæ patriæ desi- » derium injecisset : ex qua nimirum, ille generis sui prin- » ceps, cum in Ægyptum commeasset, sive quod ita Deo » videretur, sive occulta quadam Providentiæ vi, cæteros » omnes adeo sortis felicitate superasset; ut ab illo tempore » in hodiernum usque diem, constantissime propagata gens » illa sit, et fœcunditate sobolis admirabili pullularit. » Tum paucis interjectis. « Ac virum quidem, *inqnit ille*, profec- » tionis simul itinerisque ducem habuere, nihil admodum, » si ita vis, hominum vulgo excellentiorem. Nam eum præs- » tigiarum quoque, ac veteratoriæ orationis insimulabant. » Demus id vero, sed præstigias accipe, versutiamque lau- » dabilem, qua populum universum, siti, fame, viarum » ignoratione, ac rerum omnium penuria laborantem, per- » inde ut in summa cunctorum bonorum abundantia, et » suppeditato ab interjectis nationibus commeatu, salvum

» et incolumem præstitit; verum etiam illum ut a mutuis » animorum dissidiis liberum habuit, ita sibi rebus in om- » nibus obsequentem. Atque id non ad breve aliquod exi- » guumque tempus, sed tamdiu certe quidem, quamdiu in » simili voluntatum concordia, ut affatim cuncta suppete- » rent, manere ac persistere ne familia quidem una potuis- » set. Ita neque sitis, neque fames, non lues corporum, » non imminentium periculorum metus, non casuum igno- » ratio futurorum, adversus præstigiatorem illum, tantam » populi multitudinem, et illius fraudibus dolisque circum- » ventam, et passim aliquando pereuntem concitavit. Qua- » lem obsecro te, hominis hujus tantam sive artem, sive » orationis vim, sive sapientiam fuisse dicemus, quæ tot ac » tam varias discriminum monstrorumque formas, præsens- » que omnibus exitium sæpe minitantes una superaret? Opor- » tuit videlicet, aut eorum, quibus imperabat, ingenia, » non jam imperita rerum esse, ductuque difficilia; sed cum » ad obtemperandum ex sese prompta, tum vero ne futuri » quidem improvida : aut, licet insigni morum improbitate » forent, Deum tamen hoc ipsis naturæ vitium asperita- » temque lenire : et præsentis simul futurique rationes Pro- » videntiæ suæ consilio moderari. Utrum autem dederis, id » profecto erit ejusmodi, quod ad præcipuam quamdam uni- » versorum laudem atque dignitatem pertinere videatur. Et » profectionis quidem hæc ratio fuit. Jam ubi terram illam » attigissent, quemadmodum suarum ibi rerum domicilia » collocarint, eamque regionem tenuerint, sacræ quidem » eorum litteræ loquuntur : malo tamen hoc loco, non tam » rei gestæ historiam, quam ratiocinando, quod verisimile » fuerit, persequi. Utrum enim eos mavis, hominum adhuc » valentes numero, tametsi perpetuis fractos debilitatosque » laboribus, auctis tamen confirmatisque viribus, ea loca » postmodum armis occupasse, Syrosque simul ac Phœni-

» ces suis in penatibus focisque patriis dimicantes subegisse ?
» An imbelles potius et ignavi cum essent, adeoque paucis-
» simi, et a rebus omnibus bello gerendo necessariis impa-
» rati, aliis tamen et aliquem erga se venerationis sensum
» injecisse, et a volentibus ultroque cedentibus regionem
» accepisse : tum eosdem paulo post ædificasse templum,
» ac cætera, quæ ad pietatem religionemque spectarent,
» constituisse ? Nam id quidem argumento est, quam certam
» vel apud hostes divini erga se amoris opinionem excitas-
» sent : hostes enim eos necessitas ipsa faciebat, quorum
» ipsi patriam invadere molirentur. Ab illis ergo si obser-
» vantiæ tantum et honoris auferre potuerunt, quis non eos-
» dem felicitate reliquis omnibus præstitisse fateatur ? Jam
» quid secundum postea, quid tertium commemorem ? An
» integritatem instituti, obedientiæque constantiam ? An
» vero sanctimoniæ decus, et illibatum æquitatis religionis-
» que florem ? Quippe virum illum, quiqui demum is fuerit,
» usque adeo suspexere, ut quidquid ipsi visum est, proba-
» rint universi ; atque ita, sive hanc reipublicœ formam suo
» ipse sensu arbitrioque descripserit, sive divinitus illam ac-
» ceperit, eam certe non alteri, quam Deo acceptam tule-
» rint, totque annorum spatio (certum equidem numerum
» definire non possum, sed tamen amplius bis mille) ne
» vocem quidem unam, in iis, quæ scripta reliquit, immu-
» tarint : milliesque potius emori, quam legibus aliis vivere
» moribusque malint. » Hæc ille. Quibus summa legum ea-
rum capita subjungit, quibus suam Judæis rempublicam
Moses informarat : his verbis.

CAPUT SEPTIMUM.

De religiosa Mosaicæ reipublicæ forma. Ex eodem.

« Num quid istorum, *inquit*, aut saltem iis affine, locum » apud eos habet, quod speciem mansuetudinis ac facilitatis » aliquam habere videatur : litium intentiones, tergiversa- » tiones, comperendinationes, mulctæ, mulctarumque a » reis quæsitæ diminutiones? Nihil plane : at simplicia cer- » taque omnia. Si puerorum amoribus, si adulterio pecca- » veris : si puellæ (marem enim hoc in genere ne appelles » quidem) stuprum obtuleris : si tuam ipse pudicitiam pro- » dideris : si præter ætatem turpe quid aut perpessus eris, » aut statueris, aut molitus fueris; scelus morte luito. Si aut » servo, aut libero injuriam feceris, si aut habueris in vin- » culis, aut abductum vendideris : si profani sacrive quid- » piam furto sustuleris : si non opere modo, sed verbo te- » nus impie feceris, non in Deum quidem (absit enim, ut » vel hoc nobis verbum excidat, propitiusque nobis Deus » ille sit, quibus in mentem vel ipsa hoc de crimine cogita- » tio subierit) : sed in patrem aut matrem, aut eum, qui » beneficiis te sibi obstrinxerit : morte similiter luito, eaque » non communi quidem ac vulgari : sed quisquis vel lingua » tantum hoc in genere deliquerit, lapidandus is est, quasi » nihil ei, qui impie quid fecerit, improbitate concedat. » Alias præterea leges id genus habent, cujusmodi eæ sunt, » quæ sequuntur. Uxores viris non ullam ad contumeliam, » sed quoties obedientiæ ratio postulabit, rebus in omnibus

» obtemperanto. Parentes imperium in liberos habento, quo » tamen ad eorum saluti præcipua cura studioque consu- » lendum utuntor. Suarum quisque facultatum dominus » esto, nisi si eas Deo, vel dicatas utcunque, vel omnino » sacras esse voluerit. Nam si vel ore tenus sponsionem ejus- » modi aliquam nuncuparit, nihil eorum deinceps attingere » poterit, sed omnibus ei continuo interdictum erit. Apage » vero, quidquam ex iis, quæ Numinibus consecrata forent, » aut ex donariis alienis rapere : nam res etiam cujusque » proprias, ut jam dixi, vel unum, quod imprudenti do- » mino exciderit, verbum consecrabit. Ita, cujus ea vox fue- » rit, cunctis ille spoliandus erit : imo, si eam, mutata sen- » tentia, revocare conabitur, vita quoque spoliandus. Atque » eadem cæterorum præterea, in quos potestatem quis ha- » beat, ratio est. Si vir uxoris suæ alimenta Deo sacra esse » voluerit, alimentis ei suis abstinendum. Si de filio pater, » si princeps de subditis, simile quiddam statuerit, fixum » idem habendum ac ratum. Porro votorum ejusmodi solu- » tio, si de perfectissima et maxima loquimur, Sacerdotis, » qui ea sibi probari neget, propria est : eum enim suum » quasi vicarium Deus esse voluit, qui ea vel suscipere, vel » repudiare summo jure posset. Altera vero est ab iis, pe- » nes quos præcipuus semper manet rei dominatus, fas » quoddam et facultas profecta, qua quis placatum sibi » propitiumque Numen esse pronuntiet. Ita consecrationes » illas ratas habendi, nulla subest necessitas. Alia insuper » infinita sunt, quæ partim sine scripto, moribus tantum » et consuetudine, partim scriptis etiam legibus continen- » tur. Ac posterioris etiam generis sunt, quæ sequuntur. » Quæ quis moleste graviterque ferret, ea ipse ne facito. » Quæ non deposuerit, ea ne tollito. Nihil penitus quantu » lumcumque sit, ex alterius vel horto, vel torculari, vel » area, vel acervo furtim subtrahito. Ne cuiquam petenti

» ignem invideto. Fluentium aquarum usu neminem exclu-
» dito. Pauperibus et corpore mutilis stipem mendicantibus
» Dei causa pie subvenito. Mortuum neminem sepeliri prohi-
» beto, sed ei potius, religionis saltem causa, terram in-
» jicito. Defunctorum loculos aut sepulcra, ne leviter qui-
» dem commoveto. Neque nexum, neque mali quidquam
» aliud hominis ad egestatem ac necessitatem adjungito.
» Ne virilis seminis jam decisi vim, aut mulierum abortio-
» nibus, aut aliis artibus obtundito. Animantibus aliter,
» quam aut Deus, aut Legislator ipse præscripserit, ne uti-
» tor. Semen ne disperdito. Partum servituti ne mancipato.
» Ne lancem iniquam, ne modium justo minorem, aut num-
» mum adulterinum subjicito. Ne inimicorum arcana priva-
» tis impulsus inimicitiis prodito. Busygia autem illa, quo
» per Deum nobis tandem abiere? Sed attende porro, quæ
» atteximus. Ne parentes a liberis, ut mancipia tua sint, neve
» uxorem a conjuge, ut eorum legitimo pretio persoluto do-
» minus sis, tecto sejungito. Atque hæc graviora plane sunt
» ac majora. Sunt et minora quædam atque humiliora. Cu-
» jusmodi sunt: Domesticum nidum pullis ne spoliato. Nul
» lius animantis, quæ ad te confugerit, obsecrationem reji-
» cito. Et si quid hoc in genere levius est. Minuta hæc tibi
» forte ac nihili facienda videantur. At de iis sancita lex et
» magna est, et omni cura studioque servatur; magnæ item
» denuntiationes, imprecationes magnæ, quas pestis ultima
» consequatur: magnus denique rerum illarum inspector
» Deus, et criminum ubique vindex.» Idemque paucis inter-
jectis: « Quid? hoc non admiratione dignum existimas, in-
» tegro sæpe die, imo non uno duntaxat aliquo, sed pluri-
» bus, iisque non aliis alios continenter, sed ex intervallo
» consequentibus; et ejusmodi quidem intervallo, quod in
» septimum quemque desinat; profanorum licet dierum con-
» suetudine (ut fit), maximam obtinente, nullum tamen

» omnino præceptum violari? An id forte probandæ tantum
» et exercendæ continentiæ causa institutum fuit, ut non
» minus functiones suas intermittere, si quando opus esset,
» quam aliquid agere possent? Cave credas. Sed hoc in magni
» cujusdam et eximii operis loco ponendum Legislator puta-
» vit, ut non cæteris modo rebus, tam intermittendis, quam
» gerendis idonei, sed etiam ut patriarum legum et consue-
» tudinum gnari peritique forent. Quid igitur septimis illis
» diebus instituit? Eos nimirum eumdem in locum una con-
» venire voluit, ut silentio summaque cum modestia consi-
» dentes, legum recitationi aures accommodent, itaque nihil
» ipsos omnino fugiat. Atque hunc illi conveniendi simul con-
» sidendique morem, sic perpetuo retinent, ut multitudo qui-
» dem universa sileat, nisi cum ea, quæ leguntur, faustis ac
» lætis acclamationibus prosequitur: e sacerdotibus autem
» vel senioribus aliquis, sacras leges palam recitans, omnes
» sigillatim exponat, donec alta jam vespera discedant uni-
» versi, tum divinorum mandatorum instructi cognitione,
» tum etiam admodum pietate aucti. Numquid hoc quovis
» studii genere magis tibi necessarium videtur? Enimvero
» causæ nihil est, quamobrem istos legum enarratores de
» rebus agendis consulant, quorum ut responsis careant,
» nihil tamen, vel apud se unquam, earum ignoratione per-
» peram molientur. Quemcunque enim ipsorum appella-
» veris, ac de patriis institutis percontatus eris, cum respon-
» dere per sese commode ac facile poterit; tum ejusmodi
» sane videbitur, qui seu vir uxorem, seu liberos pater, seu
» famulos dominus, legum notione informare queat. Jam
» septimi quoque anni facilis et expedita ratio est, tametsi
» forte dissimilis. Nec enim eo, quemadmodum septimo illo
» die, ab omni opere vacant, sed terram in consequentem
» annum otiosam, uberioris proventus expectatione, jacere
» patiuntur. Multum enim ad soli feracitatem interesse sen-

»liunt, ut secundum hoc quietis intervallum, sequente »deinceps anno coli denuo incipiat, non autem ut assidua »et continenti aratione laceretur. Quod ipsum ad corporum »etiam firmitatem et robur valere cognoscimus, cum eas »intermissiones, et a quotidianis functionibus vacationes, »non tantum veletudinis causa medici præcipiant: quod as- »siduitas omnis ac perpetua similitudo, ac præsertim ope- »rum, detrimenti aliquid afferre consueverit. Atque ut ip- »sorum hoc in genere consilium argumento certiore con- »stet : Existat forte non nemo, qui anno septimo, et suam »illis ipsis agris multo quam ante diligentius colendis ope- »ram, et messe tamen integra sese iis cessurum polliceatur: »hanc illi conditionem nunquam acceperint, quippe qui a »laboribus soli vacare nolint (quod tamen si facerent, mi- »rum nemini jure videretur), sed ipsum quoque solum in »aliquam induciarum quietisque partem vocandum existi- »ment, ut novum deinceps culturæ laborem suavius faci- »liusque patiatur. Nam si ea causa non suberat, quidni, per »Deum immortalem, solum hoc aliis superiore anno loca- »rent, atque ab operis totum illum consequentis fructum »et proventum acciperent? Nimirum, pro ea solum, ut ante »dixi, qua terram ipsam prosequuntur, cura ac studio, »nihil horum, ut mihi quidem videtur, ullo modo probare »possunt. Ac præcipuum quoddam illud est, quod sequitur, »eorum humanitatis documentum. Quoniam enim septimo »illo anno vacaverint, quæ per sese fruges extiterint, eas »sibi, quod nullo suo labore provenerint, nec metendas ipsi, »nec recondendas arbitrantur : sed divinæ benignitati vo- »luntarium hunc terræ partum assignantes, quemvis eo, »seu viator ille, seu quilibet alius fuerit, pro arbitrio vel »inopia secure uti, libenter omnino patiuntur. At de his »modo satis. Nam quod ista lex in septimaum quemque diem »potissimum imperarit, hujus rei causam, opinor, ex me

» non requiras, qui forte jam a pluribus vel medicis, vel » physiologis, vel philosophis sæpe numero audieris, quan- » tus numerus iste septenarius cum in cæterorum omnium, » tum in hominis quoque naturam vires obtineat. Hæc igi- » tur sabbati ratio fuit. » Atque hactenus Philo. Gemina sunt, quæ libro de Judæorum antiquitate secundo Josephus his verbis commemorat.

CAPUT OCTAVUM.

Ex Josepho de Mosaicæ reipublicæ forma.

« Jam vero, *inquit ille*, qui tandem ex omnibus et per- » fectissimam legum rationem instituerit, et æquissimam de » Deo notionem atque sententiam animo informarit, vel ex » mutua legum ipsarum contentione quivis intelligat. Tem- » pus enim est, ut ad eas veniamus. Enimvero, ut infinita » quædam, si expendere singula volueris, morum atque le- » gum toto passim hominum genere, discrimina sint, eas » tamen omnes in summa hæc capita facile colligas. Alii » quippe uni tantum, paucis quibusdam alii, alii denique » populo summam reipublicæ potestatem commiserunt. At » legislator noster, hisce neglectis omnibus, theocraticam » (liceat enim hac voce, tametsi paulo duriore uti) reipu- » blicæ formam instituit: atque ita, summo principatu Di- » vino Numini attributo, id egit maxime, ut in eo cuncto- » rum oculi ac mentes acquiescerent, tanquam in eo, qui » et bonorum omnium, seu quæ universe hominum generi » eveniunt, seu quæ privatim singuli, difficilioribus suis

» temporibus, votis ac precibus impetrant, auctor et causa
» sit : atque ejusmodi, cujus cognitionem nullum omnino
» factum, cogitatio nulla fugere ac latere possit. Eum præ-
» terea cum ortu carere, tum nullam tota æternitate mutatio-
» nem subire, omnis quoque mortalis formæ dignitatem pul-
» chritudine superare, postremo ut sua nobis potestate no-
» tum, sic natura et essentia prorsus ignotum esse profitetur.
» Mitto sane Græcorum sapientissimos hujus de Deo senten-
» tiæ magistrum illum ac ducem habuisse : quam præclara
» quidem illa quamque Dei cum natura et majestate con-
» juncta foret, gravissime testatum ipsi quoque reliquerunt.
» Pythagoras enim, Anaxagoras, Plato, quique Platonem ex-
» cepere Stoici philosophi, ac cæteri prope omnes, in hujus
» de natura Divina sententiæ communionem societatemque
» venerunt. At enimvero, cum isti fere nonnisi cum paucis
» philosopharentur, et dogmatis hujus veritatem in vulgus
» aliis jam opinionibus occupatum efferre metuerent : tum
» noster hic legislator, qui suarum ad legum æquitatem
» operam consensionem adjungeret; non eos modo, qui sua
» ætate viverent, in eam secum mentem adduxit, verum
» etiam nepotibus ac posteris illorum omnibus, firmam hanc
» atque constantem de Divine Numine fidem inseruit. Quod
» autem in ea legum suarum informatione fructum etiam
» fuerit longe quam cæteri majorem secutus, eo maxime
» factum est, quod non religionem virtutis partem aliquam
» fecerit, sed religionis potius alia partes esse quasdam et
» viderit, et vero statuerit : justitiam, temperantiam, pa-
» tientiam, ac mutuam civium inter se rebus in omnibus
» conjunctionem. Quippe, actionum enim, studiorum, ac
» sermonum omnium rationes ex una Divini Numinis reli-
» gione suspensas habere nos oportet : cum nihil penitus aut
» non expensum, aut non definitum constitutumque reli-
» querit. Nam cum duæ omnino sint cujusvis disciplinæ,

» ac morum instituendorum viæ; quarum altera præceptis, » altera conformatione vitæ continetur: cæteri quidem legislatores dissidentium opinionum varietate distracti, atque alterutram suo quisque sensu viam secuti, alteram omisere. Ita enim Lacedæmonii simul et Cretenses, moribus ipsis docebant, non præceptis: Athenienses autem Græcique propemodum universi, quid agendum esset, quidve fugiendum, legibus edicebant, suos tamen ad utrumque rebus ipsis consuefacere negligebant. At legislator hic noster præcipuo quodam studio ambo ista conjunxit, dum neque mutam vitæ morumque conformationem reliquit, neque legis præcepta operum societate carere permisit: sed jam inde ab ipsomet alimenti genere, et domestica singulorum victus ratione auspicatus, ne minutissimum quidem aliquid eorum, qui uterentur, potestatis et arbitrii facere voluit. Imo, quibus abstinendum cibis, quibus item vesci liceat, quinam in victus communionem ac societatem vocandi, quam in operibus contentionem adhibere, quem in otio tenere modum oporteat, certis quasi legis finibus regulisque descripsit, uti sub ejus tanquam parentis cujusdam aut dominæ imperio nutuque viventes, nihil omnino vel malitia, vel ignoratione peccemus. Ita, ne ignorationem illam, velut aliquam deprecandæ pœnæ speciem relinqueret, longe pulcherrimum nobis maximeque necessarium disciplinæ genus, legem ipsam esse voluit, nec satis id futurum putavit, ut semel, iterum, aut sæpius eam audiissemus, nisi hebdomadis quoque singulis, ab alio quolibet opere feriatos omnes, ad illam, dum recitaretur, audiendam, animoque penitus informandam convenire juberet. Id quod ab reliquis omnibus legislatoribus prætermissum videmus. Quare, plerique mortalium a vita suarum ex legum præceptis instituenda tantum absunt, ut in summa fere illarum ignoratione

» versentur, atque ubi peccaverint, eas tum demum abs se » violatas, ex aliis intelligant. Quam ignorantiam summi » quoque ac principes eorum magistratus confitentur, dum » eos rerum administrationi præesse potissimum, ac sibi as- » sidere volunt, qui præcipuam quamdam legum peritiam » præ se ferant. At ex nostris, quemcumque de legum nos- » trarum capitibus interroges, universas facilius quam suum » ipse nomen edisseret, quippe quas jam usque ab ea, qua » primum aliquid sentire cœpimus, ætate, haustas, menti- » bus deinceps inustas quodammodo impressasque tenea- » mus. Ita, et rari admodum sunt, qui eas violent, et qui » violarit, nulla prorsus ei deprecandæ pœnæ ratio superest. » Atque hic admirabilis inter nos animorum consensionis » fons est præcipuus. Nam et idem omnes de Deo sentire, et » nullo vitæ morumque dissidio laborare, id vero pulcherri- » mam ac jucundissimam hominibus animorum studiorum- » que conjunctionem afferre solet. Enimvero, soli omnino » sumus, apud quos neque discrepantes unquam de Deo » sententias audies, quod apud alios frequentissimum est » (nec enim vulgaris tantum ac plebeius quilibet, prout pe- » culiaris animi sensus impulerit, de Deo loquitur : sed hoc » temeritatis vitium ad nonnullos etiam philosophos perma- » navit, quorum alii omnem Dei naturam funditus extermi- » nare conati sunt, alii eumdem omni hominum cura provi- » dentiaque spoliarunt) : nec ullum in vitæ rationibus dissi- » dium videbis. Imo vero, cum summa quædam apud nos » omnium est operum functionumque communio, tum vox » similiter eadem, et cum ipsa lege consentiens, quæ om- » nia Divini oculi sapientia regi profitetur. Quinetiam, quod » ad vitæ instituta spectat, ex ipsis quoque mulierculis ac » mancipiis intelliges, nihil non ex cæteris ad unum religio- » nis finem esse referendum. Atque hinc profectum illud est, » quod a nonnullis probro nobis et crimini vertitur, nemi-

»nem ex nobis ullum aut novæ orationis, aut operis novi »auctorem prodiisse. Nam cæteri quidem, in nulla patria- »rum consuetudinum acquiescere, præclarum quiddam ac »laude dignum arbitrantur, eosque potissimum, qui ali- »quid earum labefactare conantur, a singulari prudentiæ »vi solertiaque commendant. Nos contra, unam hanc et »prudentiam, et virtutem esse statuimus, nihil omnino, »quod cum legibus ante sancitis quoquo modo pugnet, aut »invehere, au moliri. Quod sane argumento certissimo est, »optime conditam hanc fuisse legem. Quæ enim secus in- »stituta sunt, ea vero correctione indigere, experientia com- »probatur. At nos, qui hanc primum legem ex divinæ vo- »luntatis arbitrio latam fuisse credimus, eam deinceps vio- »lare sine impietate non possumus. Et vero, quid tandem »aut ex ea mutare quis possit, aut excogitare melius, aut »ab aliis convenientius mutuari? Num forte genus ipsum »reipublicæ totum immutabit? At quodnam, obsecro, pos- »sit eo vel melius vel æquius institui, quod Deum quidem »rerum universarum Moderatorem constituat, Sacerdotes »vero ita publicæ maximorum negotiorum administrationi »præficiat, ut illis ipsis Sacerdotibus summum omnium »Pontificem præesse velit? Adde quod eosdem ab ipso jam »initio legislator, non pro census magnitudine, aut alia- »rum ejusmodi rerum, quam fortuna pepererit, copia, in »tanto honoris gradu collocari voluerit; sed iis duntaxat, »qui secum aliis partim orationis vi, partim etiam æquitate »morum anteirent, Divini cultus religiones ritusque commi- »serit. Id quod sane ad accuratam et legis ipsius, et reliquo- »rum institutorum conservationem, maxime pertinebat: »cum et summi omnium quæsitores, et controversiarum »judices, et damnatorum punitores constituti Sacerdotes »essent. Quodnam igitur imperii genus hoc sanctius esse »queat? aut qui Deo cultus convenientior exhiberi? ubi

» non multitudo tantum universa ad pietatem studiosis- » sime informetur, sed etiam et insignis quædam a sacerdo- » tibus in rerum administratione diligentia exigatur, et so- » lennem sacri alicujus festi religionem tota reipublicæ ra- » tio imitetur? Nam quæ cæteri paucis aliquot diebus myste- » ria, ut appellant, statasque cerimonias custodire non » possunt, ea nos perpetuo cum suavissime, tum etiam con- » stantissime retinemus. Quænam vero, et cujusmodi nostra » illa vel edicta sunt, vel interdicta? Simplicia prorsus et » illustria. Princeps quidem et caput omnium illud est, quod » ita de Deo statuit: Deum universa complecti: perfectissi- » mum illum esse atque beatissimum: sibi ipsi ac cæteris » omnibus satis unum esse: principium, medium, finem- » que cunctorum: eumdem ut operibus ac beneficiis cons- » picuum, imo rerum omnium longe notissimum, ita cum » natura, tum etiam magnitudine obscurissimum: mate- » riam omnem, ut genere ipso pretiosissima videatur, vilem » tamen et abjectam, si ad ejus imaginem exigatur, futuram: » artem similiter omnem, si ad alius imitationem aspiret, » inertem jacere: nihil ejus simile nec videri a nobis, nec » cogitari posse, imo ne leviter quidem animo informari fas » esse. Hujus tamen opera sub aspectum cadere, lumen, » cœlum, terram, solem, lunam, aquas, animantium pro- » creationes, fructuumque proventus: hæc autem a Deo, » non manibus, non labore ullo, non precaria cujusquam » opera, sed uno voluntatis suæ nutu perfecta continuo, » proque eo ac statuerat, bonitatem sortita esse. Ad illum » omnes adhærescere, unum virtutis exercitio colere opor- » tere, quod ea cultus divini ratio una omnium castissima » sit atque sanctissima. Unius Dei templum unum esse, » quod simili simile delectetur; adeoque commune cum om- » nibus, quia Numini omnium communi sacrum. Ac Sacer- » dotum quidem proprias ejus placandi partes esse, iis tamen

» unum semper aliquem præesse generum principem, cui » cum aliis Sacerdotibus Deo sacrificet, leges custodiat, si » quid erit controversum, arbitrio definiat, peractos deni» que reos justo supplicio coërceat. Ei quisquis minus pa» ruerit, pœnam huic luendam esse nihilo leviorem, quam » si adversus Deum impie fecerit. Cæterum ea sacrificiorum » nostrorum lex est, uti ne ipsis ad gulæ et crapulæ turpitu» dinem abutamur; cum enim horret ista Deus, tum vero et » injuriarum et luxus occasionem præberent : modica igitur, » honesta, et sobria illa sint oportet, ut ii præsertim, qui » sacris operam dant, castigatam modestiam præ se ferant. » Jam inter sacrificandum, in primis quidem pro communi, » tum pro sua cuique salute nuncupanda vota sunt. Cum » enim ad mutuam societatem nati simus, is profecto Deum » sibi maxime conciliet, qui eam vita sua potiorem habue» rit. Porro votorum ac precationum summa hæc est, non » uti beneficia nobis ipse conferat, confert enim ille per » sese atque omnibus passim ingerit; verum ut ea cum rite » accipere, tum accepta diligenter conservare possimus. Ad » extremum, cui sacrificium faciendum erit, ei lex certa » quædam præscribit lustrationum genera, quibus susceptæ » si quæ sint ex funere, lecto, uxoris consuetudine, et aliis » plerisque rebus, quas nunc percensere longum esset, la» bes expientur. Atque hujusmodi nobis et de Deo doctrina, » et divini cultus tradita ratio est, quæ legis ipsa quoque » vim obtinet. De nuptiis vero quid? Eam tantum consue» tudinem, quam cum uxore natura concedit, lex nostra » probat, modo tamen ea prolis suscipiendæ causa ineatur. » At marium cum maribus congressiones execratur, ejus» que flagitii reos capitali supplicio damnat. Cæterum in » matrimonio contrahendo, neque dotis rationem haberi, » neque per vim rapi conjugem, neque dolo malo pellici » vult : sed ab eo, qui collocandæ potestatem habeat, pos-

»tulari; sic tamen ut propinquitatis etiam et sanguinis ratio »habeantur. *Ac mulier quidem*, inquit Scriptura, *viro per »omnia deterior est.* Viro igitur obtemperet, non tamen »contumeliæ causa, sed ut alterius imperium ac ductum »sequatur : vim enim atque potestatem viro Deus concessit. »Unius porro tantum, qua cum matrimonio conjunctus »fueris, expetenda consuetudo est; alterius enim uxorem »cogitare, nefas. Quod in scelus quisquis inciderit, certum »capitis supplicium : quemadmodum si quis aut virgini al- »teri cuipiam desponsæ vim obtulerit, aut alii nuptam il- »lexerit. Liberorum quidquid susceptum erit, educari lex »jubet. Vetat eadem, ne qua mulier susceptum semen aut »ejiciat, aut extinguat : quæ secus facit, eam pro libero- »rum interfectrice haberi vult, perinde ac si re ipsa et fœ- »tus vitam oppresserit, et generis sui propagationem inhi- »buerit. Quisquis ergo ad alienum torum violandum acces- »serit, is purus et integer manere non potest. Itaque post »legitimam quoque viri cum uxore consuetudinem, lex »corpus ablui jubet: quod ex ea sordis aliquid ad corpus si- »mul et animum allinatur : quasi animus in exteram quam- »dam hoc facto regionem commearet. Quippe animus enim, »ubi corporibus implicatur, damni aliquid ac detrimenti »subire solet; quorum concretione, mortis beneficio rur- »sum ipse liberatur : ideoque certa quadam, similibus pro- »curandis, expiationum genera legislator instituit. Jam ne »liberorum quidem natalitia lautioribus conviviis celebrari »voluit, ne gulæ color inde aliquis et species quæreretur: »sed eos ab ipso jam ætatis ineuntis exordio cum ad mode- »ratum victum assuescere, tum litteris informari, legisque »præcepta simul, et res a majoribus præclare gestas edo- »ceri : ut harum quidem ad imitationem excitentur, illa vero »cum ipso lacte combibentes, nec deinceps violare conen- »tur, nec eorum ignorationem excusare possint. Defuncto-

» rum etiam justis ita prospexit, ut neque profusis exequia-
» rum sumptibus, neque magno illustrium sepulchrorum
» apparatu luxus aleretur : sed quæ funeri curando necessa-
» ria forent, ea propinquioribus perficienda mandarentur :
» et quicunque, dum cadaver efferretur, illac iter haberent,
» ii ad funebrem sese pompam, lacrymasque suas adjunge-
» rent. Domum præterea totamque familiam lustrari a funere
» voluit, ut ex eo jure quivis intelligeret, quam ille conta-
» minatus haberetur, qui cædem aliquam fecisset. Libe-
» rorum erga parentes observantiam secundum a divino
» cultu locum tenere jussit : et quisquis mutuam eorum
» beneficiis gratiam referre quacunque demum in re ne-
» glexerit, eum lapidibus obruendum esse statuit. Junio-
» ribus suum erga seniores omnes, quia rerum omnium
» antiquissimus Deus est, honorem imperavit. Amicis oc-
» cultum mutuo nihil esse patitur, quod nulla ea sit ami-
» citia, quæ amicorum fidei omnia sua non credat. Quod
» si postea suboriantur inimicitiæ, eorum tamen arcana
» vulgari prohibet. Judex si munera acceperit, capitis sup-
» plicio luit. Qui supplicem, cui præsto esse potuisset,
» neglexerit, reus est. Quod non deposueris, auferre non
» licet. Alieni quidquam attingere nemo potest; nemo fœ-
» nus pro mutuo exigere. His aliisque similibus vinculis
» mutua inter nos societas continetur. Sed operæ quo-
» que pretium fuerit videre, qua nos adversus ipsos etiam
» extraneos æquitate ac facilitate noster hic legislator esse
» voluerit. Quivis enim intelliget, omnium optime prospec-
» tum ab eo ac provisum id fuisse, uti nec patriorum ipsi
» rituum integritatem labefactemus, nec eorum tamen com-
» munionem rerum nostrarum cupidis invideamus. Quot-
» quot enim legibus nostris vivere optaverint, omnes pera-
» manter excipit, utique non solo genere, sed etiam volun-
» taria instituti societate communionem istam contineri ratus.

» Qui vero nonnisi obiter ad nos, atque aliud agentes acce-
» derent, eos in consuetudinem penitus admitti noluit. Cæ-
» terum alia quædam edixit, quorum omnino copiam fieri
» necesse est: cujusmodi sunt, indigentibus omnibus ignem,
» aquam, cibumque suppeditare, commonstrare viam, in-
» sepultum neminem præterire. Imo suam quoque adversus
» hostes appellatos æquitatem constare voluit, dum nec illo-
» rum agros igne vastari, nec mites arbores succidi permisit.
» Quinetiam et eos, qui in acie cecidissent, a victoribus
» spoliari prohibuit, et captivos maximeque mulieres ab om-
» nibus injuriis vindicavit. Ac nos ita quidem ad mansuetu-
» dinem et humanitatem repetitis longius præceptis condo-
» cefecit, ut ne brutarum quidem animantium curam ne-
» glexerit. Nam ubi a legitimo, quem unum concedit,
» earum usu discesseris, omni alio prorsus interdixit. Si quæ
» supplicum instar nostras in ædes confugerint, eas inter-
» fici vetuit: aut parentes cum pullis e nido tolli, aut ani-
» mantes illas, quarum opera homines uti solent, etiam in
» hostili solo mactari noluit. Tantopere benignitati consul-
» tum esse omni ex parte cupiebat: partim ferendis iis, quæ
» adhuc commemoratæ sunt, quæque ad morum informa-
» tionem pertinent, legibus; partim aliis quibusdam sancien-
» dis, quibus in superiorum violatores, citra excusationem
» omnem, pœnæ statuuntur. Pœnam enim capitis plerisque
» proposuit; qui adulterium patraverit: qui puellæ vim at-
» tulerit: qui vel marem de stupro appellare usus, vel ap-
» pellanti sponte obsecutus erit. Extat etiam de servis lex
» ejusmodi, quam deprecari nemo queat. De mensuris
» item atque ponderibus, si quis flagitium hoc in genere
» commiserit, aut injuste quidpiam doloque malo vendide-
» rit: qui vel ex rebus alienis furatus aliquid fuerit, vel quod
» abs se depositum non esset, abstulerit: pœnæ omnium
» sunt, non quales utique apud cæteros obtinent, sed quales

» summa fere severitas postulabat, constitutæ. Nam aut de
» parentum injuria, aut in Deum impietate, qui vel apud se
» cogitarit, is ad mortem continuo rapitur. Jam qui legis ad
» præcepta rebus in omnibus adhærescunt, propositum iis
» præmium est, non argentum, vel aurum, non corona ex
» oleastro, vel appio, aut aliquod ejusmodi præconium : sed
» conscientiæ quisque suæ testimonio freti, quod et legisla-
» tor ante prædixit, et Deus certissimæ fidei pignore confir-
» mavit, futurum omnino credant, ut qui leges constanter
» servaverint, iis vero, ut earum causa nonnunquam opor-
» teat, morte alacriter strenueque perfunctis, et novum
» deinceps ortum, et vitæ vicissim alterius longeque melio-
» ris fructum Deus ipse largiatur. Quæ profecto scriberem
» ipse nunquam, nisi cognitum id omnibus, ac perfectum
» esse intelligerem, hominum plerosque nostrorum, ne vel
» una sibi contra legem vocula excideret, omnia jam sæpius
» fortiter pertulisse. Quod si non usque adeo in hominum
» omnium cognitionem gens nostra venisset, neque singulare
» voluntatis nostræ studium, quo legibus obsequimur, in
» eorum oculis ac luce versaretur : si quis existeret, qui vel
» instituta nostra, quæ descripta abs sese diceret, Græcis
» audientibus recitaret, aut extra noti orbis terminos, in eos
» si alicubi homines incidisse narraret, qui cum tam gravi-
» ter ac sublime de Deo sentirent, tum etiam iis legibus
» plura jam sæcula constantissime viverent : equidem in
» summa omnes admiratione tum futuros existimo, cum iis
» simul tam crebrarum apud se conversionem in mentem
» veniret. Enimvero qui ex illis affine quiddam ac simile
» de republica et legibus scribere conati sunt, eos quasi
» monstra quædam ac prodigia composuissent, et argumenta
» humanis viribus majora suscepissent, reprehendi ab om-
» nibus et accusari videmus. Alios ego philosophos pretereo,
» qui in simili disputationis genere versati sunt. Plato certe

» quidem, is qui propter singularem vitæ morumque gravi» tatem, et eximiam dicendi ac persuadendi vim, qua philo» sophorum nationem longe superavit, Græcorum omnium » ore ad miraculum usque celebratur : ille, inquam, Plato, » eorum, qui aliquid se in republica gerenda videre arbi» trantur, risu prope ac sibilis tanquam in theatro scenaque » traducitur : cujus tamen si quis hac de re scripta diligen» ter evolverit, is molliora pleraque, vulgique consuetudini » admodum gemina reperiet. Nam ipse quidem ita profite» tur, veram de Deo sententiam multitudinis stultitiæ secure » committi non posse. Cæterum ista Platonis instituta sunt, » quibus verba tantum inania, et exquisito quodam artificio » contexta videantur. At Lycurgum quod attinet, illum om» nes id admiratione habent, Spartamque hoc potissimum » nomine prædicant, quod ipsius in legibus diutissime acquie» verit. Ergo primum hoc habemus, virtutis argumento » esse, quod legibus obtemperent. Deinde præcones isti La» cedæmoniorum, exiguum illorum constantiæ tempus cum » duobus et amplius reipublicæ nostræ annorum millibus » conferant : tum ita secum ipsi reputent Lacædemonios » quamdiu solum antiquam libertatem retinere potuerunt, » suarum quoque legum retinentes fuisse : ubi enim fortunæ » inclinationes factæ essent, tum earum simul omnem prope » memoriam funditus abjecisse : cum interea nos infinitis ca» sibus, ob frequentes regnum Asiæ mutationes jactati, ne » in supremis quidem periculis, nostras unquam leges pro» didimus. » Hactenus etiam Josephus de Judæorum republica a Mose instituta. Jam vero, cum multa de adumbrato quodam et allegorico sancitarum ab eo legum sensu commemorare possim, Eleazari tamen et Aristobuli explicatione contentus ero, qui ambo et genus ab Hebræis suum longissime repetunt, et Ptolemæi Regis tempore floruerunt. Eleazarus igitur, is quem sacerdotii dignitate præstitisse

paulo ante docuimus, legatis ad sese ab rege missis, Hebraicas litteras Græca lingua donandi rationem informans, de allegorica sententia Divinarum legum verbis inclusa eam, quæ sequitur, disputationem instituit.

CAPUT NONUM.

Eleazarus Pontifex allegorici sensus Divinis legibus inclusi notionem informat. Ex Aristæi scriptis.

« Atque hic, *inquit Aristæus*, operæ pretium fuerit, eo-
» rum, quæ ad propositas a nobis quæstiones ipse respondit,
» paucis meminisse : quippe cum minutam nimis quibusdam
» in rebus legislatoris diligentiam fuisse plerique arbitrentur :
» cujusmodi sunt, quæ de esculentorum ac poculentorum
» discrimine, itemque de impurarum animantium condi-
» tione statuuntur. Nobis ergo percontantibus, quamobrem,
» cum una omnium esset eademque molitio, aliis tamen
» vesci, alia vel attingere, piaculum haberetur : hæc enim
» superstitiose ut plurimum lege sancita esse, quæ non mi-
» nus superstitiose a Judæis observentur : ille hunc in mo-
» dum respondere cœpit.—Vides, inquit, ipse, quanta vis sit
» mutuæ consuetudinis atque societatis : cum et improbo-
» rum ex commercio, morum corruptelam ejusmodi, quæ
» in totius vitæ pestem redundet, auferre vulgo soleant; et
» prudentium ac maturorum hominum familiaritas, pulsis
» ignorantiæ tenebris, longe saniorem instituendæ vitæ ra-
» tionem edoceat. Quare legislator noster, quæ ad religio-
» nem justitiamque pertinebant, ante omnia sigillatim et

» enucleate constitutis, atque ita, ut non modo criminis genus omne conceptis verbis prohiberet, sed etiam pœnas divinitus a scelerum auctoribus expetitas quasi digito indicaret. Primum enim hoc posuit, Deum unum esse, cujus sese rebus in omnibus potestas exerat, cum vis ipsius omnia permeet : nihil eum prorsus latere, quod in terris ab hominibus obscure licet occulteque fiat : imo non ea tantum, quæ reipsa fiant, sed etiam, quæ futura sint, ei cognita jam esse atque perspecta. Quæ cum ille tam accurate persequeretur, et in omnium oculis collocaret, simul hoc profecto docuit, nullum omnino scelus, vel animo tantum et cogitatione conceptum, ne dum ut reipsa patratum, divini oculi aciem effugere posse : quem in finem, summi Numinis potestatem tota passim lege commonstrat. Inde igitur auspicatus, ostendit continuo, si nos tantum excipias, invectam ab reliquis omnibus Deorum esse multitudinem, cum tamen ista colluvie longe potentiores illi ipsi sint, qui Divinos eidem honores frustra stolideque tribuant. Nam quæ vel ex lapide, vel ex ligno simulacra conflaverint, imagines illorum esse dictitant, qui aliquid ducendæ vitæ commodum invenerint, quosque suis ipsimet oculis omni sensu carere vident, eos flexo quoque genu venerantur. Et quidem eo potissimum, quod alicujus rei auctores fuerint, ad hanc divinitatis opinionem adduci, prorsus insani capitis est : quippe qui ex iis duntaxat, quæ procreata jam erant, inter sese nonnulla conjunxerint, atque utilitatis aliquid afferre posse ostenderint, at molitionem eorum ne attigerint quidem. Vecordis igitur ac dementis fuerit, huic hominum generi divinitatem affingere. Enimvero superioribus illis longe solertiores hodie quamplurimos, ac rerum cognitione præstantiores invenias, quos ab istis proinde tanquam Deos coli oportebit. Atque hi Numinum fictores et architecti, Græcorum sapientissimi

» audire volunt : (quid enim Ægyptiorum dicam, aliorumque » similium, qui in feris, serpentibus, ac spurcissimis ani- » mantibus spe omni collocata, eas divinis honoribus atque » sacrificiis non viventes modo, sed etiam mortuas prose- » quuntur ?) His, inquam, omnibus legislator ille noster, » uti sapientissimus erat, atque a Deo rerum ad omnium co- » gnitionem factus, diligenter expensis[a], inexpugnabili quo- » dam vallo, et ferreis quasi mœnibus septos esse nos mu- » nitosque voluit, ne cum aliis gentibus vel minimo rei cu- » jusque commercio jungeremur, sed corpore simul animo- » que casti, futiliumque opinionum erroribus expediti, unum » supra creaturas omnes ac præpotentem Deum coleremus. » Itaque nos ipsi quoque principes Ægyptiorum Sacerdotes, » qui altius in rerum nostrarum arcana penetrarunt, pro- » prio quasi nomine, Dei homines appellarunt. Id quod in » alios, qui a veri Numinis cultu alieni sunt, nullo modo » convenire potest. Eos enim potius cibi, potus, ac vesti- » menti homines appellaris, quippe quorum animus in re- » rum istarum cura totus et cogitatione versetur. Apud nos- » tros autem, qui vitæ tempus universum in una divinæ po- » testatis contemplatione defigunt, cuncta ista jacent. Ergo » ne ex ullius improbi usu et familiaritate vitii quidquam et » contagionis hauriamus, certis nos ac legitimis esculento- » rum, poculentorum, tactus, auditus, aspectus, legibus » ac religionibus vallatos undique ac munitos esse voluit. » Ut enim, si naturæ duntaxat rationem habueris, et similis » universæ conditionis omnia sint, et una eademque potes- » tate gubernentur; singula tamen, quibus aut abstinemus, » aut utimur, alto quodam consilio et ratione nituntur. At- » que, ut ex paucis æstimes cætera, unum aut alterum cur- » sim attingam. Cave enim, te humilis adeo subeat indigna- » que cogitatio, quasi murium, aut mustellarum, aut cæte- » rarum ejusmodi rerum causa valde sollicitus, ea Moses in-

» stituerit; caste omnia sancteque provisa sunt, atque ut ad » morum conformationem integre, sic ad æquitatem stabi» liendam graviter matureque sancita. Nam ex avibus qui» dem, vescas tantum eas esse voluit, quæ cum cicures es» sent ac mansuetæ, tum cæteris longe puriores, nonnisi » tritico et leguminibus vescerentur; cujusmodi sunt colum» bæ, turtures, attagenæ, perdices, anseres, ac reliquæ id » genus. Contra vero, quarum nobis esu interdictum est, » eas immanes esse, carnibusque pasci reperies, nec in alias » modo vim ac tyrannidem exercere, sed earum etiam, » quas cicures jam ante diximus, laniena injuriose saginari. » Quanquam non illas tantum, sed agnos etiam hædosque » rapiunt, hominesque mortuos pariter, viventesque lædunt. » Itaque dum impuras illas appellaret, eos simul, quibus » leges ferebantur, ipsarum notis ac symbolis admonebat, » æquitatem animo fovendam ac retinendam esse; potentia » viribusque suis ad opprimendam aliorum libertatem, aut » eos ullo rei genere spoliandos nunquam abutendum: sed » potius summa cum æquitate vitam instituendam ac ducen» dam esse: quemadmodum cicures istæ ac mansuetæ volu» cres, leguminibus ex terra satis contentæ, nec in minoris » turbæ, nec in earum, quæ generis ejusdem naturæque sint, » perniciem ullo modo sæviunt. His igitur atque similibus id » legislator egit, ut qui aliquid sensus haberent, colendam » esse justitiam, nihil per vim unquam moliendum, nec suas » opes in tyrannidem vertendas, esse intelligerent. Nam si » ejusmodi volucres, ob impetum naturæ singularem ac pro» prium, ne attingi quidem fas putavit, quis non sibi longe » diligentius cavendum esse statuet, ne in earum similitudi» nem moribus vitaque degeneret? Quarum ergo nobis ille, » non avium modo, sed etiam pecudum usum concessit, » eas ad morum informationem omnes revocavit. Nam quod » fissam ac bisulcam eorum pecorum ungulam esse vult, id

»nobis laborandum monet, ut actiones singulas, ad id, »quod rectum atque honestum est, prudenti adhibito dis»crimine, referamus. Vis enim corporum universorum, »cum opere ipso conjuncta, in humeros sese totam et crura »colligit. Ergo figurarum istarum similitudo, nostra omnia »diligenti examine ad æquitatem dirigendi, quamdam nobis »necessitatem imposuit. Quanquam eo quoque illa pertinet, »quod ingenti ab cæteris hominibus intervallo disjuncti si»mus. Nam plerique omnes infandis ac sceleratis ex con»gressionibus labem maculamque suscipiunt longe teterri»mam; regionesque passim et urbes integræ similibus flagitiis »maxime gloriantur, dum et marium commercia invehunt, »et puerperas simul filiasque suas contaminant. A quibus »sane distamus quam longissime. Jam ubi discriminis hujus »ratio locum haberet, ibi suum etiam memoriæ signum et »characterem impressit. Nam quæcumque animantes cum »ungula bifida conjunctam habent ruminandi vim, eæ »vero, saltem iis, qui aliquid intelligunt, memoriæ con»ditionem manifeste repræsentant: nec enim ruminatio »quidquam aliud est, quam aliqua vitæ et consistentis na»turæ recordatio, cum ex alimento vita consistat. Itaque »nos idem ille sacris Litteris ita cohortatur: — « Recor« dando recordaberis Domini Dei, qui fecit in te magna et « mirabilia. » — Etenim, magna certe quidem et illustria, »si cum animo ipse tuo reputaveris, hæc esse intelliges: »corporis totius conformationem, dispensationem alimenti, »ejusdem partes in omnes ac singulas divisionem æquabi»lem: tametsi cum elegans sensuum collocatio, tum vis illa »mentis, ejusdemque motus aspectum fugiens, acris et ex»pedita, quidquid demum occurrerit, agendi solertia, ar»tiumque omnium excogitatio, longe verius immensum »aliquid et infinitum complectuntur. Nos igitur ipse cohor»tatur, uti perpetuo meminerimus, vi ac potestate divina

» hæc omnia contineri pariter atque conservari. Nullum enim
» non locum ipse, non tempus constituit, ad eam complec-
» tentis ac moderantis Dei memoriam assidue usurpandam,
» rerum initia, progressiones, et exitus diligenter obser-
» vando. Nam in mensa quidem, tum demum cibis appositis
» uti jubet, si prius Deo libatum fuerit. In ipsis quoque ves-
» tibus expressa quædam et obvia hujus memoriæ signa esse
» voluit. Nec summis tantum in vestibulis ac januis divino-
» rum præceptorum oracula, quibus Dei memoria foveatur,
» collocanda : sed ipsis etiam manibus illigatum ejusmodi
» signum conceptis verbis circumferendum edicit : quo per-
» spicue omnibus ostendat, nullam non esse nobis cum
» æquitate functionem obeundam, ita quidem, ut cum nos-
» træ ipsorum molitionis recordemur, tum etiam divinum
» rebus in omnibus timorem conservemus. Quinetiam nos,
» seu lectum petimus, seu surgimus, seu iter facimus, di-
» vina simul opera nobiscum reputare jubet, atque ita, ut
» non ratione modo, verum etiam ipso temporis intervallo
» motum ipsi nostrum sensumque cogitemus, dum nos aut
» somno dedimus, aut ex eodem evigilamus, uti divina quæ-
» dam est, quamque mens nostra capere non possit, utrius-
» que rei vicissitudo. Vidisti præterea, distinctionis ac me-
» moriæ quam eximia sit excellensque ratio, cum bisulcæ
» ungulæ, ruminationisque vim et significationem aperire-
» mus. Neque enim temere, ac prout casu in mentem veni-
» ret, sed veritatis adumbrandæ, rectæque rationis insi-
» nuandæ gratia, cautum id lege est. Singulis enim, quæ vel
» ad cibum atque potum, vel ad contactum ipsum pertine-
» rent, jam constitutis, quidquam deinceps vel agere temere,
» vel audire, vel etiam orationis facultate in aliorum inju-
» riam abuti vetat. Quod idem similiter in prohibitarum ani-
» mantium natura et conditione reperias. Mustelarum enim
» et murium, ac cæterarum id genus, quibus haud vesci fas

» est, maleficum per sese ingenium est. Nam mures quidem, » cum nihil non alimenti captandi causa inficiant ac dete- » rant, tum etiam homini deinceps inutile prorsus, quid- » quid demum arroserint, efficiunt. Mustelarum vero singu- » lare quoddam ac proprium genus est. Nam præter id, quod » paulo ante diximus, exitialem habent nativæ constitutionis » rationem, cum et semen auribus suscipiant, et ore catu- » los pariant. Quo fit, ut similis hominum natio impura si- » militer et obscena habeatur. Quidquid enim auditione ac- » ceperint, ei dum oratione corpus et robur induunt, eadem » contagione cæteros involvere, adeoque omnibus ipsi macu- » lis ac sordibus impietatis notatissimi, non vulgarem utique » colluviem efficere consueverunt. — Quam hominum sec- » tam jure profecto rex ipse vester, ut fama est, funditus ex- » terminare conatur. — Hic ego, Delatores, inquam, ni fallor, » intelligis, cum eos perpetuo non tantum verberibus, sed » etiam capitalibus iisque admodum gravibus suppliciis in- » sequatur. — Ego vero illos ipsos, inquit; scelerate enim ho- » minum in perniciem invigilant. Atqui vel reipsa quem- » quam, vel etiam verbo violari lex nostra vetat. Et quidem, » hoc tibi adhuc, quam brevissime fieri potuit, ostendimus, » quemadmodum certis ad æquitatem regulis conformata » sint omnia, nihilque omnino vel temere, vel fabulose » Scriptura statuerit; sed eum duntaxat in finem, ut quid- » quid agamus, justitiæ officiis omne genus hominum toto » vitæ nostræ tempore prosequamur, jugem ac perennem » Dei præpotentis memoriam retinentes. Enimvero quidquid » seu de ciborum delectu, seu de rebus immundis, seu de » serpentibus aliisve animantibus præcipitur, eo tantum » spectat, ut antiquissimis legibus hominum inter sese so- » cietas communioque teneatur. — Sane quidem Eleazarus » sapienter omnino rationem de singulis reddere videbatur. » Nam de vitulis, arietibus, hircis, qui offerendi essent,

»idem adjungebat, providendum esse diligenter, ut ex ar»mentis et gregibus mansuetissima quæque legerentur, fe»rumque nihil et immane sacrificaretur : eo nimirum, ut, »qui sacrificium offerebant, ii de præcepto divino cogitan»tes, nullius superbiæ conscientia tenerentur. Qui enim »hostiam immolaturus est, is aliquod simul offerendum »omnium animi sensuum munus instituit. Quam illius, in »mutuo congressu nostro, susceptam his de rebus disputa»tionem, commemoratione dignam putavi : ac propterea, »ut ardori quoque discendi tuo, mi Philocrates, obsecun»darem, augustiorem illam Divinæ legis speciem, natura»lemque sententiam tibi aperire decrevi. » Hæc sunt, quæ Græcis ad se missis, de sensu legum sacrarum allegorico Pontifex enucleavit, ut quemadmodum susceptam earum interpretationem ab sese tractari oporteret, intelligerent. Jam vero, tempus est, uti Aristobulum, qui ad domesticam Sapientiam, Aristotelicæ philosophiæ studium adjunxerat, de membris, quæ Deo passim in Scriptura tribui videantur, disputantem audiamus. Ille autem ipse est, cujus liber Machabæorum secundus sub initium mentionem facit. Is igitur in eo, quem ad Ptolemæum regem scripsit, libello, hunc in modum ea de re disserit.

CAPUT DECIMUM.

Aristobuli, de membris, quæ voce tenus Deo tribuuntur.

« Sed quoniam, *inquit ille*, cum propositis quæstionibus »satis a nobis factum esset, succlamasti, o rex, deinceps

» ipse quoque, quorsum tandem lex ipsa nostra, manus, » brachia, vultum, pedes, ambulationem Divino Numini » attribuat : hanc præterea juverit superioribus disputatio» nem adjungere, quæ cum iis nullo modo pugnet. Quo » quidem in genere, hoc te in primis exoratum velim, uti » traditiones istas physice accipias, dignamque Dei notio» nem constanter retineas, ne in fabulosam quamdam hu» manæque similem corporis speciem delabare. Solet enim » Moses legislator noster, animi sensa multimodis exprimere, » dum rerum aliarum, quatenus in sensum cadunt, voces » ac nomina mutuatus, naturales quasdam affectiones, mag» narumque rerum molitiones commemorat. Et quidem, » quorum acrior intelligendi vis est, ii cum sapientiam ho» minis singularem, tum divinum illum Spiritum, cujus af» flatu Prophetæ nomen et famam assecutus est, magnopere » admirantur. Quorum in numero cum abs me jam comme» morati philosophi, tum alii plerique sunt, nec non et » poëtæ, qui haustis ab eo maximis scribendi argumentis, » in hominum admiratione versantur. At quibus facultas et » ingenium angustius est, ii dum ad unum Scripturæ cor» ticem adhærescunt, nihil augusti admodum et excellentis » ab eo narrari arbitrantur. Singulorum ergo significatio» nem aperire, quantum in me situm erit, aggrediar. Qui » si minus aut rem tetigero, aut aliis fidem fecero, maxime » velim, uti ne hanc in legislatorem, sed in me duntaxat » imperitiæ culpam derives, qui res ab eo sapienter excogi» tatas nequaquam explicare potuero. Manuum igitur, etiam » apud nos latius, ut constat, significatio patet. Nam cum » tu ipse, o rex, confecturus aliquid, copias mittis, regem » tum ingentem manum habere dicimus, quam vocem, qui » audiunt, de tuo exercitu omnes accipiunt. Quem in sen» sum utique Moses in lege nostra subinde loquitur, ut cum » ait : *In manu robusta eduxit te Deus ex Ægypto*. Itemque,

»*Mittam*, inquit Deus, *manum meam, et percutiam Ægyp-*
»*tios*[1]. Et de jumentorum morte sic Moses Pharaoni : *Ecce*
»*manus Domini erit super jumenta tua; et super omnia, quæ*
»*sunt in agris, interitus magnus*[2]. Itaque manus ad Divinæ
»potestatis vim pertinent, quandoquidem universum quo-
»que robur hominum ac vis agendi tota manibus continetur.
»Recte igitur omnino legislator hanc vocem, ad aliquam
»majestatis significationem transtulit, cum Divinæ potesta-
»tis opera manus appellavit. Jam quod stare dicatur Deus,
»id augustiore quodam sensu, de Mundi molitione accipi
»queat. Nam et omnibus Deus ipse præest, et omnia cum
»Deo subsunt, tum ab eo gradum, in quo consisterent, ac-
»ceperunt : ut eadem homines propterea, loco statuque suo
»moveri non posse intelligant. Enimvero neque cœlum in
»terram, nec in cœlum unquam terra mutata est : adeo-
»que nec solis in lunam est, nec lunæ in solem, nec flu-
»viorum in maria, nec maris in fluvios facta conversio.
»Quod ipsum in animantibus quoque locum habet. Nec
»enim aut homo bellua, aut bellua homo futura est. Quo
»etiam modo cum de plantis et arboribus, tum de reliquis
»omnibus philosophari liceat, quæ cum in alia mutari non
»possint, tum easdem semper in se ipsis mutationis et in-
»teritus vicissitudines constantissime patiuntur. Hac ergo
»sententia, quod Divino Numini cuncta obsecundent, stare
»Deus ipse non immerito dici possit. Idem, quo tempore
»legem hanc sanciebat, eo tum in montem legis ipsius
»verbis descendisse fertur, ut omnibus divinum opus illu-
»cescat. Nam descensus quidem manifestus per sese ac per-
»spicuus est : quæ vero cum eodem conjuncta sunt, ea,
»qui cohærenter et consentanee de Deo loqui voluerit, eum-
»dem in modum explicare debeat. Montem enim, quoniam
»Deus eo descenderat, passim arsisse, tubarum clangorem

[1] Exod. III, 20. — [2] Id. IX, 22.

» insonuisse, ac sine propria naturæ ratione, tantum ignis » incendium perstitisse legislator ipse commemorat. Quippe, » cum enim multitudo circum universa, quæ (præteritis » licet omnibus, qui justam necdum ætatem attigerant) de» cies centenis millibus haud minor erat, dierum quinque » spatio montem undiquaque cinxisset; quacumque prospec» tus e castris, quibus sese continebant, in orbem pate» bat, ignem omnes succensum intuebantur. Quare descen» sus ille ad propriam veramque loci rationem pertinere » non potest, cum Deus ubique sit. At vero vim illam ignis, » quæ quod omnia conficiat, tantum præ cæteris omnibus » admirabilitatis habet, nunquam propria natura spoliatam, » et flagrasse vehementius, nec quidquam tamen absumpsisse » diceret, nisi ea Divini Numinis potestate cieretur. Nam ex » iis omnibus, quæ toto passim monte pullulabant, facile» que admodum comburi potuissent, nihil omnino con» sumpsit, sed nativa cunctorum viriditas flammis intacta » permansit. Quin etiam acutissimus tubarum clangor au» diebatur, cum fulgurantis ignis coruscatione conjunctus, » cum tamen nec instrumentum id genus ullum, nec ullus » ibi tubicen appareret, sed divino quodam artificio cuncta » fierent. Ita vel eo præsertim descensum illum plane divi» num esse constabat, quod præsentes, quotquot intererant, » specie tenus singula perciperent, nec ignis, ut jam dictum » est, reculam ullam absumeret, nec tubarum clangor aut » hominum arte, aut similium instrumentorum opera per» sonaret, sed Deus ipse, rejectis omnibus, suam per sese » unus ac proprie Majestatem ostenderet. » Hactenus Aristobulus. Nunc vero, quoniam et sacrarum legum mandata, et ipsorum allegoriis inclusum aliquando sensum expressimus; operæ pretium deinceps fuerit, illud etiam animadvertere, gentem hanc Judæorum universam duas in partes sectam ac divisam fuisse. Nam multitudinem quidem, ritibus

illis omnibus, quomodo legum ipsarum verbis concepti erant, obstrictam Moses teneri jussit. At cæteros, quorum mens esset virtusque constantior, cum eo cortice liberatos esse, tum ad diviniorem aliquam et hominum vulgo superiorem philosophiam assuescere, atque in altiorem legum sententiam mentis oculo penetrare voluit, Atque hæc fuit Judæorum philosophorum natio, cujus vitæ morumque rationes infinitos etiam alienigenas admiratione complerunt. At Gentilium suorum clarissimi Josephus et Philo, aliique complures, eosdem memoriæ posteritatis sempiternæ suis etiam operibus commendare voluerunt. Ego vero plerisque omnibus prætermissis, uno duntaxat in præsentiarum Philonis testimonio, dicis causa, contentus ero, quod suis ille passim monimentis inspersit. Primum ergo lege tu mihi, quæ de illis, in sua pro Judæis defensione, hunc modum ipse commemorat.

CAPUT UNDECIMUM.

De veterum apud Hebræos philosophorum vita, summa cum virtute conjuncta.

« Maximam, *inquit*, eorum multitudinem, qui in ejus sese » disciplinam tradiderunt, legislator noster ad mutuæ so- » cietatis communionem informavit, qui Essæorum nomine, » παρὰ τὴν ὁσιότητα, ut mihi quidem videtur, hoc est a sanctitate, » appellantur. Plurimas illi Judææ civitates, pagosque per- » multos habitant, ingentesque admodum et copiosas homi- » num sodalitates instituunt. Sua illis vitæ ratio, non ge-

» nere constat (nec enim eorum, qui voluntarie conveniunt,
» genus proprie vocari solet) : sed quadam æmulatione vir-
» tutis, et humanitatis studio perficitur. Nullus inter eos aut
» puer admodum est, aut in prima adhuc vel pubertate, vel
» etiam adolescentia constitutus : quod similium fere versa-
» tiles adhuc flexibilesque mores infirmioris ætatis mutabili-
» tatem imitentur. At viri jam perfecti, quique nonnihil in
» senectam vergentes, ut non amplius aut corporis æstu ac
» fluctibus hauriuntur, aut perturbationum impetu rapiun-
» tur, ita plane vera illa solaque libertate potiuntur. Ac tes-
» tis quidem hujus libertatis ipsa vitæ ratio est. Peculiare
» cujusquam ac proprium nihil est, non domus, non servus,
» non prædium, non pecus, non aliud quidquam eorum,
» unde opes ac divitiæ comparantur. At ex promiscua re-
» rum inter sese omnium communione, omnium etiam in
» singulos fructus atque utilitas redundat. Eodem in loco
» domicilium habent, suorum hominum cœtu in aliquot so-
» dalitates et contubernia distributo, consiliaque sua omnia
» in publicum et communem usum assidua opera et studio
» conferunt. Aliorum tamen alia occupatio est, in quam di-
» ligenter et impigre nemo non incumbit, ut non modo ne-
» que vim frigoris, neque æstum, neque alias cœli mutatio-
» nes injuriasque causentur, sed ipsum quoque solis ortum
» operis sui tractatione antevertant, vixque post occasum
» sese tandem recipiant. Quo tempore lætitiæ sensum præ se
» ferunt, nihilo minorem, quam qui gymnicis certaminibus
» exerceri solent. Sic enim intelligunt, longe se cum hu-
» manæ vitæ utilioribus, tum animo simul et corpori jucun-
» dioribus exercitationibus operam dare, imo etiam longe
» diuturnioribus, quam quæ athletarum propriæ sunt, cum
» illæ non una cum ipsius corporis flore marcescant. Nam ex
» iis alii agricolæ sunt, ac sementis faciendæ et subigendæ
» terræ peritissimi. Alii pascendis gregibus omnis generis

» operam impendunt suam. Aliis apum examina et alvearia » curæ sunt. Alii quotidianas artes factitant, ut molestiis » omnibus, quas afferre necessitas et inopia solet, expediti » vivant, adeoque nullam omnino functionem, si modo » culpa vacet, quæ ad tuendam vitam commoda sit, obire » detrectant. Jam quidquid singuli ex tanta operum varietate » pretii acceperint, id totum communibus suffragiis creato » quæstori tradunt in manus. Quod ille continuo in necessa- » riis coëmendis expendit, quæque vel ad victum, vel ad » reliquum humanæ vitæ commeatum opus fuerint, prolixe » suppeditat. Atque illi eodem quotidie cibo communique » mensa utuntur, et victus similitudine delectati frugalitatem » amant, luxum tanquam animi corporisque pestem aver- » santur, quanquam non minus apud eos vestium est, quam » mensæ communio. Nam hyeme hirsutis ac villosis omnes » lænis induuntur, æstate vero simplicioribus ac levioribus » palliolis; ut facile cuivis integrum sit, quamcumque libue- » rit, accipere, cum et quæcumque unius sunt, ad omnes » æque pertineant, et quæ vicissim omnium, unius esse » censeantur. Quod si quispiam in morbum inciderit, is » communibus curatur impensis, atque omnium studiis of- » ficiisque recreatur. Seniores quod attinet, ut liberis ipsi » careant, non minus tamen, quam quibus et fœcundissima » soboles et optima fuerit, in felicissima ac suavissima se- » nectute finem vivendi faciunt : dum eos tam multi præ- » miis auctos potioribus omni honore prosequuntur, qui ad » hoc officii genus voluntate potius certoque consilio, quam » ulla naturæ necessitate ducantur. Præterea, quod sane vel » unum, vel omnium maxime communionem illam dissipare » potuisset, solertissime providentes, ita nuptias repudiare » solent, ut integerrimæ continentiæ laudem sibi præcipuam » defendant. Ita Essæorum nemo uxorem ducit, quod mu- » lier ejusmodi sit, quæ cum seipsam vehementius amet,

» ac zelotypia laboret immodica : tum viri quoque mores et » facile transversos agat, et assiduarum blanditiarum illece- » bris ac lenociniis emolliat. Nam ubi verbis ad assentatio- » nem adulationemque compositis, ac reliquo simulationis » artificio, tanquam in scena, oculos semel auresque deli- » niit, tum vero perinde ac circumventis subditis, ducem » ipsum ac principem animum eumdem in errorem inducit. » Quæ si liberos quoque susceperit, mox procaciæ confi- » dentiæque plena, quidquid simulate prius ac subdole insi- » nuabat id palam atque audacius loquitur, exutoque pudore » omni per vim extorquere conatur. Quæ quidem a societate » aliena sunt omnia. Quisquis enim aut uxoris irretitus ille- » cebris, aut cura liberorum, quadam naturæ necessitate, » implicatus est, is adversus alios idem, qui prius esse non » potest, sed plane aliud, hoc est ex libero servus, sensim » ac sine sensu efficitur. Atque ejusmodi est illorum vitæ » ratio, digna profecto, quam certatim omnes imitentur. » Quare non privati modo, sed maximi quoque reges id ho- » minum genus vehementer admirati, ad propriam instituti » dignitatem, novum honoribus suis et prolixa commenda- » tione decus addiderunt. » Hæc Philo in Apologia. Cujus item, in eo libro, quo probos omnes liberos esse defendit, hæc verba sunt.

CAPUT DUODECIMUM.

Iterum de iisdem.

« Nec ipsa quoque Palæstinæ Syria hoc integritatis ac » virtutis proventu caret, quam Judeorum amplissimæ na-

» tionis pars incolit tenetque non exigua. Apud eos genus » quoddam hominum est, plus quatuor millia, Essæos vo- » cant, ἀπὸ τῆς ὁσιότητος, hoc est, a sanctitate (non satis ta- » men, ut mihi quidem videtur, ad Græci vocabuli rationem » accurate) : quod præcipua Deum inter omnes religione » venerentur, non jam victimas immolando, sed mentes » ipsi suas, uti homines sanctimoniæ professores decet, » quam studiosissime informando. Ac primum quidem illi » vicatim habitantes, sese ab urbibus segregant, ob facilia » nimium et quotidiana oppidanorum vitia, cum probe in- » telligant, ex eorum quibuscum versemur usu, veluti ex » corrupto pestiferoque cœlo morbum, ita contagionem in- » sanabilem in animum redundare. Alii colendis agris, alii » pacis, et otii sociis artibus factitandis occupati, ita cum » suæ, tum eorum etiam, qui ad sese ventitant, utilitati » serviunt, ut nec argenti aurique thesauros recondant, nec » immensa prædia fructuum ampliorum cupiditate possi- » deant, sed ea modo comparent, quæ tolerandæ vitæ ne- » cessitas postulat. Soli enim ex omnibus prope hominibus, » sine pecunia, sine possessionibus (quibus tamen eos vo- » luntas sua potius et instituti ratio, quam iniquior fortuna » spoliavit), habentur locupletissimi, dum in usu rerum » modico atque parabili sitam esse, uti est, veræ abundantiæ » rationem intelligunt. Non telorum apud eos, non jaculo- » rum, non pugionum aut galearum, non loricarum aut » scutorum, denique non armorum cujusvis generis, aut » machinæ cujusquam bellicæ fabrum ullum reperias. Imo » nec eorum quidquam moliuntur, quorum, ut pacis amica » sint, facilis tamen ad improbitatem lapsus esse queat. Ita- » que de mercatura, cauponaria, navicularia ne per som- » nium quidem cogitant, pabula cupiditatis omnia longe lon- » gius amandantes. Servus apud eos nemo, liberi omnes : » mutuam sibi navant operam : dominatus genus omne dam-

» nant, non modo quod injustus, æqualitate tollenda, sed » etiam quod impius convellenda naturæ lege videatur. Nos » enim ab ea, tanquam a communi parente, procreatos at- » que educatos omnes, germanos proinde fratres, non verbo » tenus, sed re ipsa constitutos esse : quam tamen cogna- » tionem insidiatrix illa cupiditas, læto rerum successu fe- » licior, alienationem pro necessitudine, pro benevolentia » odium invehendo, distraxit. Philosophiæ partem eam, » quæ in disserendi ratione versatur, quasi minus parandæ » virtuti necessariam, verborum argutiarumque captatori- » bus; quæ vero de natura tractat, quasi humanæ naturæ » viribus superiorem, ventorum nubiumque sectatoribus re- » linquunt, nisi quatenus de Divina essentia et Universi » molitione philosophatur : in eam, quæ mores informat, » quam diligenter incumbunt, patriarum legum usi magis- » terio, quarum intelligentiæ humanum ingenium, nisi di- » vinitus afflatum, par esse nos possit. Eas porro, cum aliis » quoque temporibus, tum præsertim septimo quoque die » doceri solent. Sacrum quippe diem illum habent, quo ab » alio quolibet opere feriati, sanctioribus in locis, quas Sy- » nagogas ipsi vocant, ita conveniunt, ut descriptis pro ætate » ordinibus, juniores seniorum ad pedes consideant, sum- » maque cum honestate ac modestia docentes audiant. Nam » dum unus quispiam, e sacris aliquid voluminibus recitat, » alius quidam e peritissimis, quidquid obscurius fuerit, enu- » cleat : pleraque enim illi figuris et umbris involuta, anti- » quitatis studio quodam et imitatione tradiderunt. Cæterum » pietatis, sanctimoniæ, æquitatis, rei tum familiaris tum pu- » blicæ præceptis informantur, eorumque simul, quæ vere » seu bona, seu mala, seu denique indifferentia sunt, cognitio- » nem hauriunt, ut expetenda persequantur, fugiantque » contraria. Quibus in rebus, tribus quasi finibus ac regulis » uti solent, amore divino, studio virtutis, et hominum ca-

» ritate. Ac divinus quidem amor infinitis argumentis com-
» probatur, quæ partim constans ac perpetua totius vitæ cas-
» timonia, partim ab omni jurejurando abstinentia, partim
» fuga mendacii, partim denique præclara illa de Deo tan-
» quam omnium bonorum fonte, malique nullius auctore
» sententia suppeditat. Iidem virtutis quam studiosi sint, ex
» divitiarum, gloriæ, voluptatisque contemptu, nec non ex
» temperantia, tolerantia, frugalitate, simplicitate, modes-
» tia, demissione, legum observantia, morum vitæque con-
» stantia, ac similibus animi dotibus intelligas. Postremo
» suam erga homines caritatem, benevolentia, æqualitate,
» quæque orationem omnem superat, omnium inter se re-
» rum communione declarant. De qua sane pauca hoc loco
» subjungere, non abs re fuerit. Primum ergo nemini pro-
» pria vel una domus est, quæ non omnium similiter ac pro-
» miscue sit. Nam præter quam quod in sodalitates distri-
» buti, simul habitant, eadem præterea omnibus etiam
» aliunde convenientibus ejusdem æmulis instituti patet.
» Deinde commune omnes ærarium, impensasque communes
» habent, vestem pariter cibumque communem, dum com-
» munibus utuntur contuberniis. Enimvero, laudatam illam
» ejusdem tecti, victus, mensæque communionem, alibi
» nusquam reipsa tam constanter usurpatam invenias. Nec
» sane mirum. Quidquid enim singuli diurno ex labore lucri
» fecerint, id non jam proprium ac sepositum habent, sed
» in medium conferunt universum, dum operæ suæ fruc-
» tum ad omnes pervenire volunt. Ergo qui morbo laborant,
» ut ejus per se sumptibus impares illi sint, non tamen de-
» seruntur, cum in promptu habeant a re communi subsi-
» dium, libereque omnino ac secure ex ampliore illa copia
» promere haurireque possint. Seniores a junioribus, per-
» inde ut parentes a liberis, summa cum reverentia et solli-
» citudine observantur, milleque adeo manuum pariter ac

»mentium opera, senectutem in rerum omnium abundan-
»tia degunt. Tales apud eos, sua illa, Græcorum nominum
»pompa et ambitione carens philosophia, virtutis athletas
»efficit, quæ non alia quam rerum laudabilium exercitia
»proponit, quibus libertas illa servitutis omnis impatiens
»maxime confirmatur. Quod quidem vel ex eo quivis intel-
»ligat, quod variis varii temporibus eam in regionem prin-
»cipes incubuerint, tam instituto quam ingenio dissimiles.
»Cum enim alii belluarum quoque feritatem immanitate
»superare conarentur, atque, ut nihil prætermitterent quod
»summa crudelitas exigeret, non ante subditos modo gre-
»gatim immolare, modo vivos adhuc et spirantes membra-
»tim atque frustatim laniorum in morem concidere desine-
»rent, quam in similes ipsi pœnas, agente illa rerum hu-
»manarum moderatrice justitia, incidissent; alii vero quam
»animo rabiem furoremque conceperant, in alium impro-
»bitatis vultum speciemque vertentes, excogitato novæ
»acerbitatis genere, comiter omnes ac suaviter appellarent,
»itaque barbaram atrocemque naturam voce molliori dissi-
»mulantes, dum instar canum morsu venenato sævientium
»blandirentur, ejusmodi tamen, insanabilibus exitiis passim
»importatis, miserorum calamitates, quæ nulla unquam
»oblivione delebuntur, omnibus in urbibus tanquam per-
»petua cum impietatis suæ, tum horribilis in humanum
»genus odii monimenta reliquissent: nemo tamen vel effe-
»ratorum illorum, vel fraudulentorum atque pellacium,
»huic Essæorum, vel Hosiorum (hoc est Sanctorum) so-
»dalitio, crimen ullum vel affingere potuit: sed omnes
»omnino ab illorum probitate victi, iis tanquam a natura
»liberis jurisque sui factis usi sunt, eorumque contubernia,
»singularemque rerum omnium communionem, quod ar-
»gumentum est integerrimæ ac beatissimæ vitæ certissi-
»mum, suo etiam ore celebrarunt.» Ac de castigatiore

atque sanctiore Judæorum disciplina hactenus. Nam de cætero vitæ genere, quod gentis universæ multitudini Divinis legibus imperatur, paulo ante disputavimus. Quid ergo superest, nisi ut posterorum quoque theologiam cum majorum suorum religionibus consentire doceamus, ut hac etiam de re suis absoluta numeris tractatio habeatur? Et quoniam superiore libro Divinæ Scripturæ oracula produximus, age jam, eorum deinceps, qui apud Judæos sapientia præstitere, mentem sensumque videamus, ut quam non in theologia modo, verum etiam in cæteris artibus atque doctrinis Hebræorum nepotes rationem tenuerint, ex illorum nobis auctoritate constet. Atque in primis eumdem rursus Philonem, in eorum primo, quos de lege conscripsit, hac de re disserentem audiamus.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Ex Philone de Deo, quodque mundus ortum habuerit.

« Mundum, *inquit ille*, permulti potius quam mundi Con- » ditorem admirati, eum ortu carere ac sempiternum esse » voluerunt. In quo sane turpem admodum indignumque » Deo veternum affinxerunt: cum longe verius fuisset, hu- » jus quidem tanquam auctoris parentisque vires ac potes- » tatem obstupescere, illum vero nequaquam supra ejus con- » ditionem celebrare. At Moses, qui et summum philosophiæ » culmen attigerat, et præcipua naturæ occulta ex divinis » responsis cognoverat, id etiam maxime necessarium esse

» intellexit, ut in rerum natura duo præsertim essent, effi-
» ciens alterum, quæ mens est universi purissima atque sin-
» cerissima, eademque cum scientia, tum ipso quoque bono
» atque honesto melior : alterum patiens, quod anima simul
» atque motu cum per sese careat, tum ab ipsa mente im-
» pulsum, mutatum, atque animatum, mundum hunc aspec-
» tabilem in perfectissimi operis formam rationemque con-
» vertit. Quem profecto qui ortu caruisse defendunt, ii
» Providentiam, quæ res una omnium ad retinendam foven-
» damque religionem utilissima est maximeque necessaria,
» rescindi ab sese tollique non sentiunt. Rem enim auctori
» quamque parentique suo curæ esse, vera nos ratio docet :
» cum et liberorum pater, et operum suorum conservationi
» artifex studiose prospiciat, et quidquid infestum illis atque
» perniciosum est, omni contentione depellere, quidquid
» fructuosum et commodum esse potest, omnibus opibus
» comparare ac suppeditare conetur. Quod vero natum ali-
» quando non fuerit, ejus sane cura ad illum, a quo effec-
» tum non sit, pertinet omnino nihil. Tam vero contentione
» plenum est, quam utilitate vacuum, omnem ex hoc mundo,
» tanquam ex aliqua civitate principatum tollere, ubi nullus
» aut timori, aut moderatori, aut judici, a quo regi admi-
» nistrarique omnia deceat, locus relinquatur. At magnus ille
» Moses, cum absurdissimum esse statueret, ut idem et sub
» aspectum caderet, et ortu omni caruisset (quidquid enim
» sensibus usurpatur, id sive dum oritur, sive dum subinde
» mutatur, sui nunquam simile manet) : ut ei rei, quæ non
» oculis, sed intelligentia sola cerneretur, æternitatem quasi
» geminum aliquid et cognatum attribuit; sic ei, quæ sensu
» perciperetur, proprium quoddam et singulare nomen im-
» posuit. Quoniam igitur hic mundus, ut spectari sentirique
» potest, ita necessario sui quoque ortus principium habuit,
» ipsius etiam ortum magna cum ratione, summoque digna

» theologo gravitate conscripsit. » Ac de mundi ortu hactenus Philo. Qui rursus in eo, quem de Providentia edidit, Universum Providentia regi, luculentissima et acerrima disputatione contendit, quæque ab impiis objiciuntur, ita proponit, ut ea deinceps omnia confutet. Quam ego disputationem, ut longior ea cuipiam videri fortasse possit, quia tamen hoc loco necessariam existimo, partem maximam describere statui, paucioribus verbis comprehensam. Sic igitur suum illum sermonem instituit.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Divina Providentia mundum administrari.

« Tune Providentiam, *inquit*, tanta cum perturbatione et » confusione rerum esse defendis? Quid enim est in hominum vita rectum atque compositum? imo, quid non perperam ac perverse geritur? An tu solus ignoras sceleratissimos quosque bonis omnibus, divitiis, fama, populique » honoribus usque ad lasciviam abundare; quinetiam principatus, florentem valetudinem, vim sensuum acrem et » vegetam, corporis dignitatem et robur, impunitam denique omnium licentiam affatim iis suppetere, quas partim » commoditatum maximarum copia, partim corporis optima » sedatissimaque constitutio conciliat? contra vero, sapientiæ ac virtutis amatores omnes, ut plurimum videas, inopes, obscuros, ignobiles, abjectos humilesque permanere?» Quæ quidem ille, ac sexcenta id genus alia, refutandi animo

et voluntate complexus, tum illa omnia, quæ hoc in genere pugnare videbantur, ita dissolvit. « Tyrannus, *inquit*, » Deus profecto non est, qui crudelitate, vi, ac cæteris bar- » baræ potestatis conditionibus delectetur : sed Rex, qui » placido justoque principatu gaudens, cœlum orbemque » universum omni cum æquitate moderatur. Regi autem » non alia magis, quam Patris appellatio conveniat. Quod » enim erga liberos in communione sanguinis et naturæ pa- » ter, hoc ipsum uti rex erga rempublicam, ita Deus erga » mundum est, qui perennibus ac propriis naturæ legibus, » duo longe pulcherrima, principatum atque providentiam » sempiterno fœdere ac societate conjunxit. Ergo, quemad- » modum liberos profligatos et nequam parentes non dese- » runt : sed eos, commiseratione permoti, lenius ac suavius » habent, capitalium inimicorum esse rati, afflictis et ja- » centibus insultare, amicorum autem et affinium casus » gravitatem allevare : quinetiam iis plerique benignius, » quam modestis et frugi, indulgere solent, quod probe in- » telligant his amplum satis ac luculentum in temperantia » repositum esse subsidium, illis spem in parentibus unam » superesse; qua si exciderint, rebus illis omnibus necessa- » riis esse carendum : sic omnino Deus, ejus, quæ cum » ratione conjuncta est, intelligentiæ Parens, cum eos om- » nes curæ habet, qui ratione præditi sunt, tum improbos » etiam perversosque fovet : in quo et illis corrigendi sui » tempus facultatemque concedit, et naturæ obsecundat » suæ, cui ad præclaram divini hujus mundi administratio- » nem virtus, et in homines benevolentia comitatur. Hanc » tu, interim, o anime, tanquam aliquod ipsius depositum, » rationem accipe, ad eamque simul alteram, quæ sequi- » tur, cum illa congruentem et cohærentem adjunge. Absit » enimvero, ut a veritatis sensu tantum aberres, ut scele- » ratum quempiam beatum existimes, licet opibus Crœsum,

» Lynceum oculorum acie, robore Milonem Crotoniatem, » specie Ganymedem superet,

» Quem Superi rapuere, Jovi qui vina coronet,
» Egregiam propter speciem.

» Nam qui suum ipse dæmonem, hoc est mentem suam, mille » dominorum, amoris, inquam, cupiditatis, voluptatis, » metus, mœroris, stultitiæ, petulantiæ, formidinis, injus- » titiæ, tyrannidi subjecerit, is εὐδαίμων (hoc est beatus) » nunquam esse queat : tametsi vulgus hominum, ut falso de » rebus ac præpostere judicat, geminoque illo morbo, fastu » et inani gloria, facile corrumpitur, leviculos animos ad ea » deflectendos esse ac transversos agendos existimet, quo- » rum in cupiditate pars hominum maxima fato quodam mi- » serabili contabescit. Quod si erectis et intentis animi ocu- » lis divinam illam Providentiam, quantum humanæ fas est » intelligentiæ, circumspicere volueris, tum quidem illus- » triori ac sinceriori ejus, quod vere bonum est, informata » notione, quas tu res nostras antea mirabaris, eas continuo » ridebis omnes. Semper enim, meliora dum absunt, quæ in » eorum locum deteriora succedunt, habentur in pretio : » eadem, ubi existere meliora cœperint, dejiciuntur illico, » nec nisi secundas tenere possunt. Itaque speciem illam » boni honestique divinam obstupescens, prorsus intelliges, » eorum per sese nihil, quæ paulo ante commemoravimus, » in bonis divino judicio numerari. Quippe, illa enim ar- » genti aurique metalla, ex terræ parte deterrima oriuntur, » quæque ab ea, quam producendis frugibus natura destina- » vit, sine ulla exceptione superatur. Nam plurimum sane » inter alimentum, sine quo vita consistere nequeat, et di- » vitiarum copiam interest. Cujus utriusque una quasi ob- » russa, eaque certissima, fames est, qua quid vere neces- » sarium atque utile sit, exploratur. Tum enim profecto,

» quidquid ubique thesaurorum est, nemo non libenter cum
» exiguo cibo commutaret. At ubi rerum necessariarum abun-
» dantia, immenso quodam et infinito proventu, per oppida
» passim omnia circumfluere cœperit, his naturæ bonis ad
» delicias et luxum abusi, haudquaquam in iis solis acquies-
» cere possumus, sed injuriosum quoddam fastidium vitæ
» quasi nostræ ducem secuti, ad omnem argenti aurique
» possessionem ardenter imminemus. Unde si qua spes lucri
» affulserit, tum enimvero cæcorum instar præcipites feri-
» mur, nec jam amplius, ob nimiam pecuniarum cupidita-
» tem, mentis oculo videre possumus, nihil esse nisi terræ
» pondera, quorum causa perpetuo quodam, ac sine ulla
» mentione pacis, infinito bello agitamur. Nam vestes sane,
» aut flos quidam ovium sunt, ut loqui poëtæ solent, aut si
» elaborandi artem spectare mavis, laus una textorum. Glo-
» ria vero si quis insolescit, improborum commendatione
» plausuque delectatus, hoc ipso improbum sese esse nove-
» rit. Simile enim simili gaudet. Idem porro piacularibus
» deinceps sacrificiis usus, aurium sanitatem, per quas in
» animum graves morbi solent incumbere, votis omnibus
» impetrare conetur. Discant præterea, quicumque firmitate
» corporis intumescunt, minus cervicem tollere, dum par-
» tim in cicures, partim in feras animantes illas intuentur,
» quæ nativo quodam robore antecellunt. Summæ enim stul-
» titiæ fuerit, hominem belluarum, quibus ipse longe mul-
» tumque concedat, viribus gloriari. Jam quid tandem esse
» potest, quamobrem vir sapiens sua sibi pulchritudine pla-
» ceat, quam tempus brevissimum extinguere soleat, men-
» daci ejus specie, antequam diutius floruerit, obscurata
» penitus atque deleta? Maxime vero, cum in rebus etiam
» inanimatis excellentissima pictorum atque fictorum et cæ-
» terorum id genus artificum opera videat, atque ejusmodi,
» quæ seu penicillo seu scalpro ducta, seu phrygionum manu

»summa cum varietate contexta, in omnibus passim non »Græcis modo, sed etiam barbaris urbibus admodum cele- »brentur! Horum, inquam, nihil divino judicio bonorum »in numero collocatur. Divino autem? Imo ne hominum »quidem eorum, qui Deo cariores, id quod vere bonum »atque honestum est, in pretio habere solent, cum et feli- »cem indolem nacti fuerint, et meditatione simul atque usu »naturam ipsam excoluerint, cujus utriusque parens et ar- »tifex legitima philosophia est. At qui doctrinæ genus spu- »rium adulterinumque sectantur, ne ipsos quidem medicos »animæ famulos corpori curationem adhibentes imitentur, »cum tamen sanandos ipsius dominæ morbos susceperint. »Illi enim, si ex beatulis quispiam adversa valetudine labo- »raverit, ut rex ipse maximus fuerit, porticus tamen et am- »bulationes omnes, omnia virorum mulierumque septa præ- »tergressi: picturis, argento auroque tam facto, quam »infecto, poculorum, textique operis copia, cæteroque per- »insigni regum apparatu neglecto: quinetiam cuncto satel- »litio, et amicorum pariter, aut sanguine conjunctorum, »aut virorum etiam principum, ac præsidiariorum quoque »militum comitatu perrupto, ad ipsum usque lectum aspi- »rant; adeoque nulla rerum illarum, quæ adjunctæ corpori »sunt, ratione habita, nihilque vel cubilis aurei ac gemmis »unionibusque distincti, vel stragulorum aut partim subti- »lissime aranearum more textorum, partim lineo subteg- »mine pictorum, vel denique vestium coloris figuræque »multiplicis aspectu commoti, detractis etiam aliquando »lænis, manus ipsas tractant, pressisque venis, pulsusne »ratio salutaris sit, diligenter explorant. Imo reductis non- »nunquam interulis, alvusne gravior sit, an inflammatum »pectus, an cor præpostero ac perturbato motu subsiliat: »tum suam adhibent propriamque morbo curationem. Sic »plane philosophos oporteret, qui sese animæ suapte natura

» reginæ medicos profitentur, contemptis ac despectis om- » nibus, quæ stolidæ hominum opiniones, cæcorum more » confingunt, interius subeundo mentem ipsam attentare, » num ea forte motibus iracundiæ inæquali celeritate vibran- » tibus, ac præter naturam incitatis ageretur : attentare lin- » guam, num asperior, et in maledicta proclivior, num sese » profundat intemperantius, custodiæ silentiique prorsus » impatiens : attentare ventrem, num insaturabili cupiditate » fœdum in modum intumuerit : singulas denique perturba- » tiones, morbos, ægritudinesque singulas, si quibus affecta » videatur, solertius attentiusque scrutari, ne quibus resti- » tui salus possit, remedia ignoratione prætereant. Nunc » vero rerum exteriorum luce perstricti, quod spiritale lu- » men ferre non possent, perpetuo quodam errore jactati, » nunquam ad reginam usque rationem aspirarunt, sed ubi » ægre admodum vestibulum attigissent, quæ pro virtutis » foribus occurrerunt, opes, gloriam, sanitatem, ac cætera » id genus mirati adorarunt. At enimvero summæ est ex- » tremæque dementiæ, uti vel colorum cæcos, vel sono- » rum modulatorum surdos, sic etiam improbos homines ve- » rorum bonorum judices adhibere; cum principe sui parte, » hoc est mente, capti sint, cui stultitia densissimas tenebras » offuderit. Et miramur deinceps, aut Socratem, aut alium » quemlibet morum integritatis studiosum continenti penuria » laborasse : homines, qui nihil unquam ad vitæ lautitias quæ- » rere voluerunt, ac ne illa quidem, quorum sibi vel ab amicis » locupletioribus, vel ab ipsis aliquando regibus, magnam ul- » tro vim munerum ingerentibus, copia fieret, accipere vo- » luerunt? cum enim unam illam virtutis possessionem boni » honestique nomine dignam esse statuerent, deque una com- » paranda laborarent, reliquam bonorum turbam valere jusse- » runt. Et sane, quis non, ut vera germanaque consequatur, » spuria facile adulterinaque contempserit? Jam vero, si et

» mortale corpus sortiti, et humanis casibus involuti cum es- » sent, et in tanta sceleratorum multitudine viverent, ut facile » numerus iniri non posset, nonnullorum insidiis odiisque » patuere; quid causæ est, quamobrem cum eorum, a quibus » oppressi sunt, crudelitatem accusare oporteat, naturam » ipsam injuriose criminemur? Quippe si pestilenti cœlo » uterentur, hujus illis plane foret subeunda contagio. Atqui » vel magis, vel nihilo certe minus, quam pestifera quædam » lues, exitialis improbitas est. Et quemadmodum, imbre » decidente perplui, si sub dio versabitur, virum sapientem » oportebit, eumdemque vel frigidiore Borea spirante, frigo- » ris vim subire, vel æstate ardentiori æstuare (ut enim an- » nuas mutationes corpora sentiant, lex naturæ quædam » est) : ita quisquis in ejusmodi locis habitat, ubi cædes, ubi » fames, ubi tot casuum ac miseriarum examina, varias illum » ac multiplices earum subinde mulctas subire necesse est. » Quippe, Polycrates enim ille, ad ea scelera, quæ cum in- » juriose, tum impie perpetravit, deteriorem iniquæ fortunæ » manum operamque sortitus est : sed adde tu porro, qualem » ipse regis maximi jussu pœnam sustinuerit, cum ad stipitem » clavis affigebatur, expletoque oraculo, Memini, inquiebat, » mihi etiam me paulo ante visum, inungi a sole, a jove la- » vari. Denuntiationes enim istæ, symbolis, ænigmatum » in morem, adumbratæ, ut ante hominum intelligentiam » fugerent, reipsa tamen exituque fidem sui fecerunt longe » certissimam. Quanquam non sub exitum modo, sed etiam » toto illo, quo imperavit, tempore, clam ipse quidem, vere » tamen animo prius, quam corpore, suspensus hæsit. Assi- » duo enim conjuratorum densa manu irruentium terrore » percellebatur, cum probe intelligeret, qui bene sibi vellet, » neminem, infestos sibi omnes esse, ac nulla unquam sua » calamitate placandos. Et vero, quam sibi anxie perpetuo- » que metueret, ex rerum Sicularum scriptoribus quivis au-

» ferre possit, qui vel ipsam ei quoque, observantissimam li-
» cet ac suavissimam, conjugem suspectam fuisse tradunt.
» Nam interioris cubiculi vestibulum, quo ipsi aditus ad sese
» foret, tabulato sterni jussit, ne quando furtim irreperet,
» sed illius adventus ipso subeuntis sonitu strepituque pro-
» deretur. Eam deinde, non modo sine vestibus, sed omni-
» bus etiam, quas a viris videri nefas est, partibus nudam
» intrare voluit. Præterea continens illud, quod viæ objace-
» bat, regii liminis solum in rusticæ fossæ latitudinem alti-
» tudinemque deprimi, ne quid moliendis clam insidiis com-
» paratum latere posset, cum aut saltibus, aut longioribus
» trajiciendi moris facile detegeretur. Quot obsecro scatebat
» ille miseriis, qui adversus uxorem, cui præ cæteris omni-
» bus fidem habere debuisset, tam multa compararet atque
» moliretur? Iis utique persimilis erat, qui naturas illas,
» quæ in cœlo versantur, clarius nosse cupientes, per ab-
» ruptum præcipitemque montem ingressi, ubi vix demum
» ad prominentem usque cervicem evaserunt, nec ultra pro-
» gredi, ea, quæ superest, jugi altitudine fracti debilitati-
» que, possunt, nec descendere audent, dum ad tantæ sub-
» jectarum labium hiatuumque vastitatis aspectum attoniti
» obstupescunt. Nam qui semel tyrannidem, perinde ac di-
» vinum aliquid, atque omni contentione dignum affectasset,
» nec in ea se tuto hærere, nec se illi subducere secure posse
» statuebat: quippe si hæreret, confertas et inexplicabiles
» in sese quotidie calamitates confluere; sin aufugere cona-
» retur, certissimum vitæ sibi periculum imminere, cum tot
» suum in caput, si minus corporibus, at animis certe qui-
» dem armatos esse intelligeret. Atque id ex ipsomet Dionysii
» facto satis superque constat, quo ipsum ad eum refellen-
» dum, qui felicem tyrannorum vitam esse dictitabat, usum
» esse ferunt. Hominem cum ad lautum valde opiparumque
» convivium invitasset, peracutam securim, quæ summis

»ejus cervicibus immineret, tenuissimo funiculo suspendi »jussit. Quam ille ubi accubuisset, repente suspiciens, cum »nec surgere præsente tyranno auderet, nec cibi ullius »suavitatem degustare præ nimio timore posset, vim tan- »tam exquisitissimarum deliciarum aspernatus, supina cer- »vice intentoque vultu, momentis singulis interitum expec- »tabat suum. Hic Dionysius sensum hominis animumque »pervidens : Jamne nosti, inquit, vitæ hujus nostræ tam »splendidæ tamque expetitæ conditionem? talis enim pro- »fecto illa est, nisi si quis fucum ipse sibi facere voluerit. »Abundat opibus illa quidem, bono tamen penitus frui nullo »potest : sed assiduis continuisque terroribus, inextricabi- »libus periculis, morbo denique agitatur, qui cancro tabe- »que omni dirior, perpetuum et insanabile importat exi- »tium. At imperiti plerique ac stolidi, illustri nescio qua »specie pompaque decepti, persimiles iis sunt, qui se a pu- »tidis meretriculis inescari patiuntur, quæ deformitatem »corporis cultu, auro, multisque medicamentis obtegentes, »dum nihil habent veræ pulchritudinis, adulterinam ac spu- »riam irretiendis spectatoribus moliuntur. Eadem homines »nimium beati fortunæ laborant iniquitate, cujus ipsi vim »et magnitudinem, quam suopte sibi arbitrio sensuque »finxerunt, premere taciti ac dissimulare non possunt : sed »(quemadmodum arcana pandere nonnulli solent, necessi- »tate compulsi) voces illi quasdam emittunt longe verissi- »mas, atque acerbitate calamitatis extortas : dum in sup- »pliciorum partim præsentium, partim impendentium »consortio vivunt, altilium pecudum simillimi, quæ ad sa- »crificium saginantur. Illis enim ad lanienam curæ pluri- »mum ac sollicitudinis impenditur, quo epulum ex sese »lautius præbere possint. Quinetiam pœnas a quibusdam sa- »crilegiorum suorum palam ac manifeste persolutas fuisse »constat. Quorum et hoc loco seriem texere, quia inutilis

» operæ fuerit, exemplum unum duntaxat omnium instar » proferre contentus ero. Igitur sacri Phocensis belli scrip- » tores memoriæ prodiderunt, cum lex sacrilegum aut dari » præcipitem, aut in mare demergi, aut igne cremari jube- » ret, tres illos, qui Delphicum templum spoliaverant, Phi- » lomelum, Onomarchum, et Phayllum, inter se tria illa » suppliciorum genera divisisse. Quippe unum enim illorum, » cum per difficilem ac salebrosum montem incederet, dis- » rupto saxo præcipitem actum, ejusque mole obrutum » periisse. Alterum, equo, cui tum insidebat, habenis ex- » cussis, in mare ipsum desiliente, inundantis æstus impetu » abreptum, et immenso gurgite una num ipso quadrupede » haustum fuisse. Phayllum denique aut fœda tabe con- » sumptum esse, aut simul cum Abensi templo conflagrasse : » duplex enim ejus de morte fama circumfertur. Enimvero, » casu ista contigisse, nemo unquam nisi contentiosissi- » mus dixerit. Nam si unus aut alter, si diversis tempori- » bus, si alia pœnarum genera subiissent, fortunæ mutabi- » litas et inconstantia prætexi fortasse posset. Nunc vero, » cum et simul omnes, et sub idem tempus, nec aliis quam » lege sancitis affecti pœnis fuerint, utique fatendum est » reos illos divino judicio peractos damnatosque periisse. » Quod si ex tyrannis reliquis, nonnulli cum multitudinem » oppressissent, nec alios tantum populos, sed patriam » quoque suam in servitutem redegissent, nullas tamen pœ- » nas subiere, nihil profecto mirum. Primum enim, longe » aliud hominis est, aliud Dei judicium : cum obvia solum » ac manifesta quæque rimari et explorare soleamus, Deus » autem in intimas usque animorum latebras atque recessus » absque ullo strepitu subiens ac penetrans, mentem ipsam » perinde ut in Sole conspicuam illustremque pervideat, ac » subductis, quibus tegebatur, involucris omnibus, consilia » sensusque nudos contempletur, et quidquid fucatum adul-

» terinumque fuerit a probo legitimoque secernat. Caveamus » ergo, ne judicium ipsi nostrum, Divino illi, tanquam ve- » rius ac sapientius anteferre unquam velimus. Nefas enim » id prorsus. In nostro quippe fraudis multi sunt errorisque » fontes, sensuum fallaciæ, perturbationum insidiæ, objectæ » scelerum moles gravissimæ. In Divino autem, quod deci- » piat, omnino nihil : æquitas contra veritasque regnant, » quibus expensa constitutaque singula, laudabiliter solent » feliciterque succedere. Deinde vero, cave sis, mi homo, » inutilem, in tempus saltem aliquod, tyrannidem arbi- » trere : neque enim punitio supervacaneum quiddam est, » sed potius expeti exigique pœnas, aut viris etiam probis » utilius est, aut ab iis certe non alienum. Itaque cum id » optimis quibusque legibus comprehensum esse, tum ipsos » quoque illarum auctores ab omnibus laudari videmus. » Enimvero quod tyrannus in populo, hoc ipsum in lege » punitio est. Ubi ergo ingens quædam urbes virtutis penu- » ria solitudoque pervadit, ubi existit passim abundatque ve- » cordia : tum Deus hanc improbitatis colluviem, non secus » ac cursum aliquem impetumque torrentis, derivare cupiens, » omnem ut generi nostro labem eximat, homines natura sua » imperiosos vi ac potestate armat. Nec enim purgari scelus » nisi ab animo acerbiore potest. Et quemadmodum respu- » blicæ adversus homicidas, proditores, et sacrilegos, car- » nifices alunt, non quod eam vitæ rationem institutumque » laudent, sed quod utilem eorum operam esse intelligant: » ita summus ille magnæ mundi hujus reipublicæ mode- » rator, tyrannos iis nonnunquam civitatibus, perinde ac » tortores publicos præficit, quas vi, injuriis, impietate, » ac cæteris criminibus redundare intelligat, ut compressa » mali contagio tandem aliquando sopiatur. Tum enimvero » illos ipsos pœnarum auctores, quod in iis infligendis im- » probitatem ipsi suam, et propriam animi crudelitatem se-

» cuti fuerint, præ cæteris omnibus tanquam sceleris ac ne-
» quitiæ principes severe graviterque punit. Quemadmodum
» enim vis ignis ejusmodi est, quæ objectam depasta mate-
» riam, sese tandem ipsa conficiat atque consumat. Ita qui
» sibi auctoritatem in populos imperiumque sumpsere, ii
» spoliatis et hominibus exhaustis civitatibus, pœnas ipsi
» denique luentes universorum, digno insuper tolluntur
» exitio. Quid mirum autem, si hominum improbitatem in
» urbibus passim, regionibus, populisque grassantem, ty-
» rannorum manu Deus exterminet; cum ipsemet nulla cu-
» jusquam usus opera, id ipsum per sese nonnunquam effi-
» ciat, famem, pestilentiam, terræ motus, ac cæteras id
» genus calamitates cœlitus immittendo, quibus vis homi-
» num ingens quotidie tollitur, parsque magna terrarum,
» dum virtuti consultum esse vult, incolis exhauritur? Ve-
» rum, satis opinor, quantum saltem postulabat hic locus,
» improbum neminem vere beatum esse ostendimus : quo
» potissimum argumenti genere Providentiam esse confici-
» tur. Si tamen necdum omnino facta tibi fides est, age
» quidquid adhuc hæret scrupuli, fidenter eloquere : ambo
» enim conjuncta opera studioque facilius, utra ex parte stet
» veritas, cognoscemus. » Tum aliquot interjectis. « Vim, *in-*
» *quit,* illam impetumque ventorum et imbrium, non jam in
» nautarum, ut putabas, agricolarumque perniciem, sed
» in generis hominum universi utilitatem ac fructum Deus
» excitare solet. Aquis enim terras, ventis totam illam, quæ
» infra lunam est, regionem purgat : utroque vero animan-
» tes ac plantas alit, auget, ac perficit. Quod autem, qui
» alieno tempore, sive navigant, sive terram colunt, aliquid
» inde nonnunquam detrimenti capiant, mirum nihil : pars
» enim hominum perexigua sunt, cura vero ac providentia
» generis est universi. Quemadmodum igitur athletis inun-
» gendis utilis olei copia in gymnasio est, cum tamen exi-

»gentibus aliquando reipublicæ temporibus, certaminis »solemne tempus gymnasii moderator immutet, quo fit, »ut serius athletæ nonnulli conveniant. Sic Deus, mundum »hunc totum, perinde ut civitatem aliquam gubernans, »æstates interdum hyemi persimiles, verique geminas hye- »mes Universi commodo invehere consuevit, tametsi nautis »colonisve quibusdam infestior ea tempestatum inæqua- »litas sit futura. Nam mutuas illas quidem elementorum »mutationes, ex quibus mundus iste coaluit, etiamque »consistit ac viget, quod summam earum necessitatem »pervideat, nunquam fieri prohibet: at vero pruinæ, nives, »atque id genus reliqua, cœli refrigerationem, quemad- »modum et nubium collisionem attritumque fulgura at- »que tonitrua consequuntur. Quorum adeo, Providentiæ »consilio existit fortasse nihil; sed pluviæ solum atque venti; »quibus ea, quæ terræ sinu continentur, vivunt, aluntur, »et crescunt; quibusque antegressis cætera illa vulgo sub- »sequuntur. Ut enimvero, si qui forte minus elegantes ac po- »liti cum gymnasii moderator voluptarios, ut sæpe accidit, »magnificentiæ studio, sumptus fecerit, unguentis pro aqua »perfusi, labentibus guttis subjectum solum irrigarint, »unde lutum admodum lubricum oriatur: nemo quidem, si »sapiat modo, gymnasiarchæ consilio lutum istud lubri- »cumve contigisse dixerit, sed utrumque casu quodam ex »tanta unguentorum copia consecutum fuisse. Iris similiter, »corona, et cætera id genus, ex radiis sese medias in nu- »bes immiscentibus consequuntur, eoque non principalia »quædam naturæ opera sunt, sed potius ad res naturales »accedunt. Quamquam et solertioribus ipsa quoque, neces- »sario cuidam usui esse solent, qui ex illorum aspectu, aut »sudum fore serenumque cœlum, aut ventos ac tempesta- »tes imminere præsentiunt, atque prænuntiant. Num tu »porticus illas tota urbe vides? spectant pleræque omnes

» meridiem, ut inambulantes hyeme quidem incalescant, » æstate vero, aura vehementiore perflentur. Cæterum aliud » quiddam eo ex situ consequitur, quod omnino præter ejus, » qui porticum molitus est, animum mentemque contingit. » Quid tandem illud? quod projectæ pedibus umbræ, horas » nobis quotidiana quadam experientia denotent. Sic ignis » opus est naturæ pernecessarium; fumus autem, ut ejus » quædam quasi accessio sit, habet tamen interdum commo- » ditatis aliquid ipse quoque : cum enim faces interdiu tol- » luntur e speculis, solisque radii splendorem ignis extin- » gunt, fumo saltem indidem prorumpente hostium adven- » tus indicatur. Porro quod de iride statuimus, idem etiam » de solis ac lunæ defectionibus sentiendum est. Quæ qui- » dem ita divinioribus utriusque astri naturis accidunt, ut » simul imminentem aut regibus interitum, aut civitatibus » pestem denuntient. Id quod etiam Pindarus, cum similis » defectio contigisset, laudatis supra carminibus indicavit. » Lacteus item circulus, cum ejusdem plane, cujus astra » cætera naturæ sit, ut causas habeat explicatu difficiles, » absit tamen ut animum hoc in genere despondeant, qui » rerum naturalium rationes indagare solent. Cum enim cau- » sam ejusmodi aliquam invenisse utilissimum est, tum vel » eam investigare, hominibus sciendi cupidis, per sese ju- » cundissimum. Quemadmodum igitur sol atque luna, sic » etiam quidquid in cœlo est, ut a rimandis singulorum na- » turis ac viribus, assequendi desperatione, abstinendum » statuamus, divina providentia perfectum est. At vero terræ » motus, pestilentiæ, fulminum casus, aliaque id genus, » immitti divinitus illa quidem, sed minus vere, dicuntur; » nullius enim omnino mali causa Deus est; sed ex elemen » torum mutationibus ita gignuntur, ut præcipua quædam » ac primaria naturæ opera non sint, verum ex necessariis » atque primariis tantummodo consequantur. Quod si, eorum

» etiam nonnulli, qui probi videbantur, iis interdum calamitatibus et exitiis involvantur, causæ tamen nihil est, » quamobrem Divinæ gubernationis ratio accusetur. Primum » enim, probi continuo reipsa non sunt, quotquot esse arbitramur, cum humanæ cogitationes atque consilia Divinorum judiciorum certitudine longe multumque superentur. » Deinde vis illa Providentiæ res mundi partesque præcipuas » maxime spectare ac moderari solet, quemadmodum in » regnis ipsis ac militaribus imperiis fieri videmus, ut civitatum et exercituum integrorum, non abjecti cujuslibet » obscurique capitis salutem regum et imperatorum cura » complectatur. Addunt quoque hoc loco nonnulli, sicut in » tyrannorum cædibus, propinqui etiam atque cognati legum auctoritate tolluntur, ut cæteri a similibus injuriis » atque sceleribus supplicii magnitudine revocentur: sic » morborum exitialium contagione innocentes aliquot perire, » ut reliqui tanto ante his exemplis eruditi moderari sese ac » continere discant: ut illud omittam, quamdam iis, qui » morbido cœlo involvantur, contrahendi morbi, non secus » atque illis, qui navi tempestatibus jactata vehuntur, subeundi æqualiter periculi necessitatem imponi. Jam feroces illæ valentesque bestiæ (nec enim prætereundum illud est, tametsi nostram hanc, qua tu in dicendo » facultate es, defensionem occupando traduxeris), hominibus ad bellica certamina exercendis procreatæ sunt. » Assidua enim et gymnicorum ludorum et venationem » exercitatio, majorem in modum corporis firmitatem ac » robur auget, quodque corpore longe potius est, animum » ipsum ad repentinas hostium incursiones invicti pectoris constantia deridendas consuefacit. Nam qui mitioris » ingenii sunt, ii cum urbium mœnibus, tum etiam domesticis inclusi septique foribus secure degere possunt, » maximis cicurum animantium gregibus ad quotidianum

» usum abundantes. Quippe, sues enim, leones, ac gene-
» ris ejusdem cæteras, quæ naturæ suæ libertatem retinent,
» ne hominum insidiis gravius aliquid subeant, procul ab
» urbibus summotas videmus. Quarum lustris si qui forte
» negligentius armis præsidioque nudi sese commiserint,
» quidquid deinde pati contigerit, sese illi potius quam na-
» turam accusent, qui quod periculum effugere potuissent,
» incuria neglexerint. Prorsus ut in equestri certamine non-
» nullos aliquando vidi, qui temeritate præcipites, cum se-
» dendum et quiete spectandum esset, in medio consiste-
» rent, et impetu quadrigarum impulsi, equorum ungulis,
» rotisque curruum obtererentur, dignas stultitiæ pœnas
» luentes. Ac de his quidem hactenus. Nam ex repentium
» quidem animantium genere, qui veneno feriunt, ii non
» Providentiæ consilio, sed casu quodam ex rebus aliis, uti
» jam dictum est, consequente nascuntur. Tum enim ani-
» mari solent, cum innatus humor vehementius incaluit.
» Sunt etiam nonnulli, qui ex ipsa corruptione vitam hau-
» riunt, ut lumbrici, qui ex alimenti, pediculi, qui ex su-
» doris vitio oriuntur. Quos vero propria ex materia infuso-
» que semine, principaliter ac proprie natura producit, ii
» Providentiæ suo jure tribuuntur. Quanquam de prioribus
» etiam illis, quasi ad hominis utilitatem procreentur ipsi
» quoque, duo me quædam audire memini, quæ hoc loco
» dissimulare non placet. Alterum est, a medicis quibusdam
» commemorari solitum: in pluribus venenatos serpentes
» usui esse, ac peritis hujus artis, si modo illis, ubi opus
» erit, scienter abutentur, vim præsentium amuletorum
» maximam suppetere, quibus præter hominum opinionem,
» integra periculosissime laborantibus valetudo salusque red-
» datur. Itaque videas etiamnum eos, qui medicinam haud
» oscitanter ac perfunctorie tractant, conficiendis quotidie
» remediis, ex quolibet genere aliquid, nec obiter id qui-

» dem, admiscere. Alterum ex philosophorum potius, quam » ex medicorum fontibus haustum videbatur. Ea siquidem » comparata divinitus adversum improbos pœnarum instru- » menta esse statuebat, quemadmodum a ducibus et impe- » ratoribus flagella nonnunquam asperiora, ferrumque ipsum » adhiberi solet. Itaque cum alias quiescere ac mitius agere » consueverint, tum novis quasi viribus adversus damnatos » stimulantur, in quos Natura ipsa in illo suo integerrimo » castissimoque foro, capitalem sententiam tulerit. Nam » in ædibus nostris ut plurimum hoc animantium genus » delitescere, falsum omnino est : cum illud extra urbes, » in campis, ac solitudinibus, quod hominem utique tan- » quam dominum fugiat, vulgo degere videamus. Quod ta- » men dum secus interdum contingit, ne tum quidem sua » ratione caret, cum in locis quibusdam profundioribus in- » gens copia stercoris ac sordium aggeratur, quibus sese im- » mergunt illæ cupidius, præterquam quod ipse quoque ni- » dor propriam illiciendi vim habet. Jam hirundines nobis- » cum versari mirum profecto nihil, cum ab iis insequendis » abstineamus, salutisque tuendæ cupiditas, non tantum in » ratione præditis animantibus, sed etiam in ea carentibus » insita sit atque defixa. At quibus uti homines vescique pos- » sunt, earum vero nobiscum nulla degit, quod ab insidiis » sibi nostris metuant : nisi sicubi lege prohibitus earum » usus fuerit. Urbs quædam est Syriæ maritima (Ascalonem » vocant), ubi cum aliquando versarer, quo tempore pa- » trium in templum precationis et sacrificii causa proficis- » cebar, vim columbarum infinitam cum in triviis passim, » tum in singulis etiam ædibus videbam. Causam quærenti » mihi, eas capere nefas esse responderunt, quod jam olim » civibus earum usu interdictum esset. Usque adeo genus » hoc animantis securitate cicuratur, ut non tantum sub » eodem tecto, sed etiam in eadem mensa assiduum sit,

»concessaque pace ad delicias abutatur. Est tamen in »Ægypto, quod vehementius admirere. Nam crocodilus »ille hominum devorator, ac bestiarum immanissimus, quod »in sanctissimo Nili flumine nascatur alaturque, sensum »aliquem, ut fere sub aquis delitescat, præsentis commodi- »tatis habet. A quibus enim ipse colitur, apud eos multus »esse solet; quos autem infestos pateretur, apud illos ne »per somnium quidem videtur. Ergo qui Nilum navigant, »interdum, ut audacissimi fuerint, ac turmatim eo con- »fluant, in aquam ne summum quidem immittere digitum »audeant: interdum, homines etiam timidissimi ultro pro- »siliunt natantque ludibundi. Cyclopum in tractu (genus »enim id hominum fabulæ commentum ac fœtus quidam »est), quod nulla ibi sementis, agricolæ nulli, mitiorum »frugum nascitur omnino nihil, ut neque ex nihilo quid- »quam gigni potest. Græcia vero accusanda profecto non »est, tanquam arida nimium et infœcunda; habet enim »altioris mollioris que soli plerosque tractus. Quod si terræ »quædam barbaræ frugum ubertate præstant, ut abundent »alimentis, eorum tamen, qui alantur, quorumque causa »tantummodo alimenta proveniunt, paucitate laborant. Sola »quippe Græcia, si vere loqui velimus, hominum procrea- »trixest, utpote quæ cœlestem omnino plantam, divinum- »que germen, et omni ex parte perfectum, hoc est intelli- »gentiam ipsam pariat, cum scientia nativa quadam cogna- »tione conjunctam. Cujus rei causa hæc est, quod aëris »tenuitate mens hominis acuatur: ut non sine ratione »dixerit Heraclitus, ubi solum siccius, ibi solertissi- »mum animum esse ac præstantissimum. Id quod vel ex »eo quoque intelligas, quod homines sobrii frugique plus »ingenio valeant, potu contra semper ciboque graviores, »obtusi hebetesque reddantur, quod intelligentiæ vis ingesta »mole obruatur. Ergo, cum in barbaro solo non rami tan-

» tum caudicesque maximi, sed etiam rationis expertes ani-
» mantes longe fœcundissimæ propter alimentorum bonita-
» tem et abundantiam vulgo nascuntur; tum excellens inge-
» nium aut nullum existit omnino, aut valde rarum : quod
» perpetua quædam et continua exhalationum e terra simul
» et aqua prorumpentium copia per ipsummet sublime ferri
» soleat. Porro tanta illa piscium, avium, ac terrestrium
» animantium varietas, naturæ, quasi nos ad voluptatem il-
» liciat, probro esse non debet; sed potius in gravissimam
» intemperantiæ nostræ reprehensionem cedit. Prorsus enim
» ad universi perfectionem, ac singularum partium dignita-
» tem necesse erat, uti omnis generis animantia nasceren-
» tur : at hominem illum, illum, inquam, affinem sapientiæ
» conjunctissimum, induta ferarum immanitate, has gulæ
» delicias tanta cupiditate venari, necesse profecto non erat.
» Itaque, cum ii quibus temperantia cordi est, iis semel
» omnibus etiamnum sibi abstinendum statuunt, herbes-
» centibus oleribus, arborumque pomis, obsoniorum loco,
» vitam suavissime tolerantes : tum vero qui animantium il-
» larum esum naturæ consentaneum esse arbitrantur, ad-
» versus eos magistri, censores, ac legislatores singulis in
» urbibus constituti sunt, quorum muneris ac partium est
» vim cupiditatum immodicam coërcere, nec liberum om-
» nium omnibus usum promiscue concedere. Postremo si
» rosæ, si crocus, si reliqua florum existit varietas, sanita-
» tis utique causa, non voluptatis existit. Vires enim infini-
» tas habent, cumque sese odoris, quo universa complent,
» suavitate fragrantiaque juvant, tum vero in conficiendis
» maxime remediis. Nonnulla enim sunt, quæ inter sese per-
» mixta vim suam illustrius certiusque probant, ut ex maris
» ac fœminæ conjunctione intelligitur, cum seorsim efficere
» nullo modo possint, quod ambo simul efficiunt. Atque hæc
» sunt, quibus reliquis dubitationibus tuis faciendum satis

» putavimus : ejusmodi certe quidem, ut iis adductus quis-» quis minime contentiosus esse voluerit, res humanas Di-» vina Providentia regi fateatur. » Hæc ego summatim ex Philone contraxi, quibus ostenderem, non modo quales ex recentiorum testimonio Hebræorum posteri fuerint, sed etiam quam pie de Deo ac religiose senserint, quamque ipsis bene cum majoribus præclareque convenerit. Nunc tempus est, ut ad exterorum scriptorum de iisdem testimonia transeamus.

LIBER NONUS.

CAPUT PRIMUM.

Quam multæ e Græcis scriptoribus Judaici populi mentionem fecerint.

Quandoquidem certis jam rationibus demonstratum a nobis est, Hebræorum oracula non leviter a nobis ac temere, sed matura et accurata judicii æstimatione suscepta fuisse ac probata: tempus est, ut nunc quoque videamus, ne scriptores quidem Græcorum celeberrimos, rerum Hebræarum imperitos fuisse; sed alios testimonio suo, cum ipsorum vitæ genus institutumque laudavisse, tum historiarum, quæ apud eosdem circumferri solent, veritati suffragatos esse, alios non absimilem etiam theologiæ rationem doctrinamque sectatos. Ac primum quidem id, quod hoc in genere præcipuum est, oculis subjiciam, quam multi e Græcis scriptoribus Judæorum Hebræorumque nominatim, quæque jam olim apud eos viguit philosophiæ, ejusque adeo, quæ usque a prisco majorum suorum ævo ducitur, historiæ meminerint. Ordiemur autem ab ipsis populi moribus, ut intelligas prudenti nos sanoque consilio eorum disciplinam Græcorum philosophiæ prætulisse. Testes enim vero sunt non sacræ duntaxat Hebræorum litteræ, sed etiam

ii, qui et Græcos inter summopere floruerunt, hodieque maxime celebrantur philosophi, consentaneam iis, quæ superiore libro diligenter expendimus, eos vitæ morumque rationem tenere. Age igitur, ea mihi perlege, quæ Porphyrius in suos de rerum animatarum abstinentia libros hunc in modum ex Theophrasto retulit.

CAPUT SECUNDUM.

De Judæis. Ex Theophrasto, quem laudat Porphyrius primo de rerum animatarum abstinentia.

« Et sane, *inquit*, si ex Syris Judæi, qui, quod institu-
» tum apud eos jam inde ab initio hoc sacrificii genus fue-
» rit, etiamnum (inquit Theophrastus) animantes immo-
» lant, eodem, quo ipsi, ritu sacra facere nos juberent,
» numquam eo nos adduci pateremur. Nec enim cæsis vic-
» timis ad cibum uti solent, sed integras ac solidas, et multo
» melle vinoque perfusas noctu flammis absumere, ac to-
» tum sacrificium paucis aliquot horis peragere, utique ne
» oculus ille omnia pervidens indignum facinus aspiciat.
» Deinde vero, diebus illi singulis, dum ejusmodi sacris ope-
» ram dant, cum jejunio sese dedunt, tum de Divino Numine,
» uti homines ipso genere philosophos decet, toto illo tem-
» pore sermones inter se miscent : noctu autem sidera de-
» fixis in cœlum oculis contemplantur, suas interea preces
» atque vota Deo nuncupantes. Hi enim non cæteras tantum
» animantes, sed etiam semetipsos primi omnium offerre
» cœperunt, necessitate profecto, non cupiditate ducti. »

CAPUT TERTIUM.

Ex Porphyrio, de prisca et insigni apud Judæos philosophandi ratione.

Jam vero[1], quæ sequuntur, in quarto laudati operis libro, de iisdem Porphyrius ipse commemerat. « Essæi, *inquit ille*, gente quidem Judæi sunt, at mutuo sese amore » præ cæteris omnibus complectuntur. A voluptatibus abhorrent tanquam a scelere, continentiam et cupiditatum » victoriam virtutis loco ducunt. Nuptiis abstinent illi quidem, sed alienos liberos, dum ad capessendas disciplinas » molles adhuc et flexibiles ii sunt, educandos suscipiunt, » quos perinde ut propinquos et affines habent, suisque moribus instituunt. Atque hoc non eo consilio faciunt, quasi » matrimonium, quæque ipsius beneficio propagatur, sobolem ac posteritatem exterminatam velint, sed ut procacem » mulierum petulantiam effugiant. Divitias aspernantur, admirabili omnium inter sese rerum communione conjuncti, » usque adeo, ut neminem, qui alterum opulentia superet, » invenire possis. Lex enim apud illos est, ut qui hoc vitæ » institutum profiteri velint, suas ii facultates ad communes » sodalitatis universæ rationes conferant, atque ita nec in » quoquam egestatis humilitas, nec immodica vis opum ac » fortunarum appareat : sed potius confusis ac permixtis singulorum inter se rebus, una omnium sit tanquam fratrum » eademque possessio. Labis instar oleum habent, quo si

[1] Porphyr. lib. II.

» unctus forte quispiam invitus fuerit, corpus ei diligenter
» abstergitur : squalorem enim, non secus ac perpetuum
» candidæ vestis usum, honori ducunt. Communibus suffra-
» giis communes procuratores creant, nulloque omnium dis-
» crimine, quod cuique opus est, æqualiter suppetit. Non in
» singulari quadam civitate universi, sed in singulis plurimi
» domicilium collocant, ac procul advenientibus ejusdem
» sectæ sociis invicem ac mutuo patent omnia, atque ut
» quisque primus eos aspexerit, illis obviam continuo perinde
» ac notis et familiaribus procedunt. Quare dum iter ac pro-
» fectionem aliquam suscipiunt, nihil secum expensarum
» causa deferre solent. Imo nec vestem calceosve mutant,
» donec priora vel discissa omnino fuerint, vel ipsa vetustate
» detrita : nec emunt inter se, venduntve quidquam, sed
» alter cum altero suis de rebus, prout opus habet, accom-
» modat, vicissimque ab eo, quod sibi usui sit, accipit : qui
» tametsi nihil mutuo rependant, eos tamen, a quibuscum-
» que velint, accipere nihil vetat. Jam vero singulari erga
» Numen pietate ac religione sunt. Nihil enim profani ante
» solis ortum loquuntur, sed patrias quasdam ei preces nun-
» cupant, quasi ut illucescat obsecrando. Tum ad eam,
» quam quisque novit, artem præsidum sese jussu conferunt,
» in qua perpetuo et continenti ad quintam horam labore
» versati, eumdem simul in locum denuo conveniunt, ac
» lineis præcincti frigida corpus abluunt, moxque ab ea lus-
» tratione, proprium in domicilium, quo alterius sectæ ne-
» mini pedem inferre licet, una omnes confluunt, atque ab
» omni labe puri, non aliter in cœnaculo quam in delubro
» sanctiore versantur. His ergo placide ac quiete sedentibus,
» panes a pistore, unumque singulis ex eodem cibo ferculum
» a coquo non sine decoro et ordine apponitur. Cibos autem
» puros licet ac mundos, certis precibus sacerdos ante con-
» secrat (nec ulli nisi præmissa precatione quidquam gus-

»tare fas est) : idemque confecto prandio cunctis iterum »bene precatur sicque tam sub finem, quam sub initium, »Deo cultum honoremque persolvunt. Inde sacris quasi ves-»tibus positis, rursum opus quisque suum ad vesperam us-»que repetit, quo tempore cœnam eodem, quo prandium, »ritu sumunt, considentibus simul hospitibus, si qui forte »advenerint. Cœterum nullo unquam ædes aut clamore aut »strepitu polluuntur, sed aliis alii modeste atque ordine lo-»quendi locum cedunt; adeoque omnibus, qui foris illuc »adveniunt, horrendi instar mysterii eorum, qui domus »istius septis continentur, silentium est : cujus sane causa »est perpetua continensque frugalitas, qua fit, ut cibum »atque potum justæ necessitatis lege metiantur. Porro hujus »in sectæ atque instituti societatem venire cupienti non con-»tinuo patet ingressus, sed ei foris annum integrum ma-»nenti genus idem vitæ præscribunt, ac dolabellam, cin-»gulum, vestemque candidam tradunt. Qui postquam hoc »temporis intervallo abstinentiæ temperantiæque suæ do-»cumenta dedit, propius quidem ad instituti communionem »accedit, ac purioribus aquis una cum cæteris lustrari in-»cipit, necdum tamen ad convictum admittitur. Nam post »tolerantiæ probationem, aliis duobus annis mores ejus ex-»plorant; quibus exactis, si dignus habeatur, in consortium »tandem accipiunt. Priusquam tamen communem cibum »attingat, horrendi sese illis jurisjurandi formula obstrin-»git : in primis quidem, pium se ac religiosum adversus »Numen futurum; deinde illibata humanæ societatis jura »servaturum, adeoque nec sponte, nec alterius jussu in »cujusquam injuriam adductum iri; sed potius et injuriosos »omnes odio habiturum, et illatas probis injurias conjuncta »voluntate subiturum. Addit præterea, constantis et inte-»græ cum erga cæteros omnes, tum præsertim erga præsi-»des se fidei fore, quod nulli sine Dei Numine imperandi jus

» obveniat. Quod si forte sibi aliquando deferetur, daturum » se operam, ne potestati suæ labem inurat, nec in veste » corporisve cultu præ aliis, quibus imperabit, eximium » quidquam aut splendidum habiturum. Ad hæc, veritatis » amorem ac studium, hominumque mendacium fugam, » manus a furto, animum ab iniquo quæstu purum ac sin- » cerum, plana suis apertaque omnia, apud alienos vero al- » tum, quodque ne præsenti quidem necis timori cedat, eo- » rum de rebus silentium pollicetur. Ad extremum fore, uti » nec aliter, quam acceperit, cum aliis sectæ suæ dogmata » communicet, et ab omni latrocinio caveat, institutique sui » libros et Angelorum nomina pari diligentia studioque con- » servet. Hujusmodi ergo est sacramenti formula. Quisquis au- » tem gravioris criminis peractus ab iis, ac propterea ejectus » fuerit, eum male perire necesse est. Nam et jurejurando mo- » ribusque constrictus, ne aliorum quidem escis uti potest, » sed herbis aliquandiu victitando, misera tandem fame con- » tabescit. Quare multos ipsi miseratione commoti, supre- » mam ad necessitatem adductos, receperunt, rati videlicet, » graves satis peccatorum suorum pœnas ab iis esse hoc ad » mortem usque cruciatu persolutas. Cæterum ligonem suis » illi sectatoribus hac de causa tradunt, quod ipsimet non » nisi in fovea, quam humi pedis altitudine foderint, consi- » dere soleant, idque veste obvoluti, ne Dei splendori ac ra- » diis injuriam faciant. Et quidem tanta ipsorum est in victu » frugalitas atque parcimonia, ut ne septimana quidem in- » tegra egerendi sit ulla necessitas. Quam sibi abstinentiæ » legem dixere, partim ut ad hymnos Deo concinendos ap- » tiores sint, partim ut faciliori utantur somno. Atque hoc » perpetuo vivendi genere, eo tolerantiæ pervenerunt, ut » nec equuleo fidibusve torti atque distracti, nec flammis » usti, nec cæteris omnibus cruciatuum machinis tentati, ut » vel legum suarum auctori maledicant, vel in usitatum ci-

» bum attingant alterutrum ab sese unquam extorqueri pa-
» tiantur. Cujus rei singulare Romano bello specimen ac do-
» cumentum dedere. Nunquam enim ipsis exprimi aut erga
» tortores mollior ac blandior ulla vox, aut oculis lacrymula
» potuit : sed in mediis tormentorum doloribus subridendo,
» carnifices ipsos dicteriis salibusque mordebant, animum-
» que suum, tanquam denuo recepturi, placide atque hila-
» riter emittebant. Quippe, apud ipsos enim constans hæc
» sententia obtinuit, corpora quidem interitui esse obnoxia,
» nec solida ex materia perennique consistere, animos tamen
» immortales vitam agere sempiternam, qui tametsi tenuis-
» simo ac subtilissimo ex æthere, naturæ quodam impetu
» detracti, corporibus ad tempus illigentur, eorum aliquando
» tamen vinculis expediti, sic tanquam servitute diuturna
» liberati, exultent deinceps, ac sublimes ferantur. Hoc igi-
» tur ex instituto, et continenti veritatis pietatisque studio,
» mirum profecto non est, existere plurimos, rerum etiam
» futurarum scientia præditos, quippe qui a pueritia cum
» sacris litteris, tum variis lustrationibus, Prophetarumque
» dictis assidue ac diligenter informentur : ut raro admodum
» suis in prædictionibus illos a vero aberrare contingat. »
Hæc Porphyrius, ex antiquis, ut facile quivis intelligit, hausta monumentis, de Essæorum partim religione, partim hilosophandi ratione, in quarto sui de rerum animatarum Abstinentia operis libro testatus est.

CAPUT QUARTUM.

Ex Hecatæo, de Judæis.

Hecatæus autem Abderita, vir non modo philosophus, sed etiam rebus gerendis aptissimus, Judæorum historiæ singulare ac proprium volumen consecravit, ubi cum de illis multa commemoret, tum hæc in præsentiarum ex eo retulisse sufficiet. « Multæ quidem, apud Judæos, *inquit*, » arces pagique multi tota passim regione sunt : una vero » munita in primis civitas, Hierusalem, cujus ambitus non » pauciorum quam quadraginta stadiorum est. Hanc circiter » viginti supra centum incolunt hominum millia; Hieroso- » lymam vulgo nominant. Cujus in meditullio septum ædis » lapideæ cernitur, quinque fere jugerum longitudinis, lati- » tudinis cubitorum centum. Portæ omnes geminæ sunt. » Ibidem altare quadratum, ex integrorum et impolitorum » lapidum coagmentatione conflatum, cujus latera singula » viginti cubitorum sunt, altitudo vero duodecim. Præter » hoc altare, ingens tabernaculum est, quo et ara et can- » delabrum continetur, utrumque aureum, ponderis ta- » lentorum duum, ubi lumen inextinctum dies noctesque » continenter ardet. Nullum ibi simulacrum, donarium » omnino nullum, adeoque nec planta, nec lucus, nec » aliud quidquam ejusmodi. Sacerdotes in eo noctu pariter » atque interdiu assidui, certis quibusdam expiationibus » dant operam, quos in templo vinum gustare nefas. » Tum progressus ulterius, eosdem sub Alexandro ejusque successoribus militasse testatur. Mihi vero, quod in ista expe-

ditione, hominis sese Judæi factum, oculis aspexisse commemorat, ipsismet illius verbis referre satis erit. « Pergenti, » *inquit*, mihi, ad mare Rubrum, cum cæteris equitibus » Judæis, quos itineris duces habebamus, unus eorum ali» quis comitabatur, Mosomamus nomine, vir cum animi » magnitudine ac solertia, tum corporis robore non vulgari, » idemque sagittarius omnium tam Græcorum quam Barba» rorum confessione peritissimus. Is, cum ad vatis cujus» dam auguria captantis vocem, universa eorum, qui tum » iter illud agebant, multitudo repente subsisteret, rogat, » quorsum id fieret. Ostendit autem Augur avem, simulque » respondet, si quidem ibi resideret, omnibus etiam ut eo in » loco hærerent expedire; sin protinus volando contende» ret, porro pergerent ipsi quoque; sin denique retro, re» tro similiter illi redirent. Judæus nihil contra, sed intento » arcu jaculatur, avemque configit. Hic indignante graviter » Augure, aliisque nonnullis, ipsique una diras imprecanti» bus: Quid, *inquit*, miseri usque adeo furitis? Simulque in » manus sumpta volucre: Istane potuit, obsecro, quæ vitæ » ipsa suæ providere non potuit, sani quidquam de suscepto » a nobis itinere prænuntiare? Enimvero si prænosse futu» rum potuisset, nunquam utique hunc in locum venisset, ne » Mosomami Judæi sagittis confixa moreretur. » Hactenus Hecatæus.

CAPUT QUINTUM.

De iisdem, ex primo Clearchi, de somno.

At Clearchus Peripateticus philosophus, libro primo de Somno, Aristotelem de Judæis in eum, qui sequitur, mo-

dum loquentem inducit: «Longum esset, *inquit*, narrare »quamplurima; sed quidquid hoc in homine admirationis »aliquid habere, ac philosophum sapere videbitur, eodem »modo persequi nihilominus utile fuerit. Tibi autem, Hy- »perochida, res plane admirabiles, somniorumque persi- »miles referri abs me, sat scio, videbuntur. Cui Hypero- »chides verecunde: Quippe hæc enim, inquit, ipsa causa »nobis omnibus audiendi appetitum ciet. Ergo, subjicit »Aristoteles: Genus hominis, ut præcipiunt rhetores, in »primis aperiamus, ne scilicet non auditi a nobis esse nar- »rationum magistri videantur. Tu vero, uti libuerit, in- »quit Hyperochides. Ille ergo gente Judæus erat, ex Cœle- »syria. Hi porro a Calanis Indiæ populis originem ducunt, »qui apud Syros Judæorum nomen a loco accepere. Quæ »enim ab iis regio incolitur, Judæam vulgo nominant. »Urbis autem ipsorum nomen, tortuosum admodum et im- »peditum est, Hierusalem enim vocatur. Is, cum a pleris- »que hospitio exciperetur, et a superioribus partibus ad »maritima loca descenderet, non sermone tantum, sed »etiam animo Græcus erat. Nobis ergo tum in Asia forte »degentibus accidit, ut eadem appulsus ad loca, nobiscum »aliquandiu, simulque cum aliis quibusdam philosophiæ »studiosis versaretur, et eorum in sapientiæ partem ac so- »cietatem veniret. Atque, ut cum plurimis doctrina præs- »tantibus familiariter vixerat, plus aliquanto, quam acci- »peret, nobiscum ille communicabat.» Ita Clearchus.

CAPUT SEXTUM.

De iis, qui Judaicæ gentis meminerunt, ex Clemente, primo Stromate.

Atque istius etiam Clemens noster libro primo Stromatum his verbis meminit. « Clearchus Peripateticus, *inquit*, » Judæum quemdam, qui cum Aristotele versatus est, abs » sese visum esse commemorat. » Idemque pluribus, nonnullis interjectis. « Numa, *inquit*, Romanorum rex, ut Pythagoreus fuerit, hunc saltem Mosis e scriptis fructum cepit, » uti Romanos a Dei simulacro vel in hominis, vel in cujus- » quam animantis speciem fingendo averterit. Adeoque to- » tis saltem primis septuaginta supra centum annis, tem- » pla quidem ædificarunt, sed nullam omnino neque fictam, » neque pictam imaginem intulerunt. Hoc enim ipsos oc- » culte Numa docuit, non lingua, sed mente sola id, quod » optimum est, attingi posse. » Quibus hæc etiam deinceps adjungit. « Megasthenis autem, *inquit*, historici, cui cum » Seleuco Nicanore vixit, libro de rebus Indicis tertio, cla » rissimus hic locus est. Quidquid ab antiquis de natura » dictum est, eorum etiam, qui extra Græciam philosophan » tur, ut Brachmanum apud Indos, et Judæorum in Syria, » sermone celebratur. » Ac rursus idem Clemens Aristobulum Peripateticum, et Numenium Pythagoreum laudat his verbis : « Aristobulus in primo eorum, quos ad Philometora » scripsit, hunc in modum loquitur : Plato ipse quoque rei- » publicæ nostræ leges et instituta sectatus est, a quo partes

»eorum singulas curiose ac diligenter inspectas et excussas »esse constat. Nam ab alio quodam ante Demetrium, adeo-»que ante Alexandri ac Persarum imperium conversa Græce »fuerant, non ea modo, quæ dum ex Ægypto Hebræi ci-»ves nostri educerentur, sed etiam quæcumque illis singu-»larem ad famam insignia contigerunt, tum quemadmodum »ea regione potiti sint, adeoque legis universa complexio. »Quare nemini dubium esse potest, quin multa inde lauda-»tus philosophus excerpserit : plurimarum enim rerum »scientia floruit, quemadmodum et Pythagoras, qui et ipse »permulta nostris e legibus in sectæ suæ præcepta tra-»duxit. Quod autem Numenium philosophum Pythagori-»cum attinet, ipsissima hæc verba habet : Quid enim aliud »Plato est, quam Moses Attica lingua loquens? » Atque ista Clemens.

CAPUT SEPTIMUM.

De Judæis ex Numenii philosophi Pythagoræi libro primo, de Bono.

Libet autem ex primo ejusdem Numenii de Bono, hunc præterea locum subjicere. « Qui hanc, *inquit*, in disputa-»tionem ingressus, Platonis eam testimoniis obsignarit, »eamdem ab ipso quoque superiorem ad ætatem redeunte, »cum ipsius Pythagoræ verbis præceptisque copulari opor-»tebit. Gentes ei præterea celeberrimæ appellandæ erunt, »singularumque sacrificia, ritus, instituta, quæ cum Pla-»tonicis omnino consentiunt, proferenda, quotquot a Brach-»manis, Judæis, Magis, Ægyptiis sancita sunt. » Hec ille.

CAPUT OCTAVUM.

De Mose simul ac Judæis, ex libro ejusdem tertio.

Qui rursus libro tertio, Mosis mentionem his verbis facit. « Deinceps vero, *inquit*, Jannes et Jambres, scribæ re» rum sacrarum Ægyptii, quo tempore Ægypti finibus » ejecti Judæi sunt, claruere, viri, omnium judicio, rerum » magicarum scientia nemini concedentes. Quippe ambo » quidem communi Ægyptiorum consensu delecti sunt, qui » Musæo duci Judæorum, cujus apud Deum potentissimæ » preces erant, sese opponerent, adeoque gravissimas quas» que calamitates a Musæo in Ægyptum invectas omnium in » oculis dissolvere ac dissipare potuerunt. » Quibus sane verbis Numenius, cum editorum a Mose miraculorum, tum Divini erga ipsum amoris consignatam fidem ac testatam reliquit.

CAPUT NONUM.

Ex Chœrilo poëta de Judæis.

Jam vero Chœrilus etiam poëta vetustissimus Judaicæ gentis meminit, ex qua permultos susceptæ a Xerxe rege adversum Græcos expeditionis socios fuisse testatur his verbis.

« Trajicit inde hominum genus admirabile visu.
» Phœnicum similis grandi sonat ore loquela,
» Montibus in Solymis habitant, juxtaque paludem
» Immensam : attonsum squallens caput obsidet horror.
» Pro galeis, derepta ab equis, durataque fumo
» Ora ferunt. »

Ac Judæos quidem his ab eo verbis expressos ac designatos esse vel inde constat, quod et Hierosolyma in montibus iis, quos Solymos Græci vocant, sita sit, et prope ab Asphaltite palude absit, quæ, ut poëta loquitur, latissima est, omniumque Syriæ paludum maxima.

CAPUT DECIMUM.

Apollinis de Hebræis oracula, ex Porphyrio æquali nostro.

Porphyrius autem libro primo de Oraculorum Philosophia, suum ipsius Deum, Hebrææ gentis, una cum cæteris prudentiæ fama nobilibus clarisque populis, sapientiam testimonio suo laudantem inducit. Apollinis autem responsum illud est, qui ad prius edita de sacrificiis oracula, hæc deinceps adjungit, quibus tanquam omnis Divinæ Sapientiæ plenis diligentius attendendum esse præcipit :

« Ardua, et innumeris divum est via consita saxis.
» Ac primum e valvis rigido stridentibus ære.
» Panditur : hinc cæci ambiguo discrimine calles,
» Quos fructu immenso primi docuere nepotes,
» Niliaco undantes potant qui gurgite lymphas :

» Plurima quin etiam ad superas via cognita sedes
» Phœnici, Assyrio, Lydo, Hebræoque colonis. »

Et quæ sequuntur, quibus explicandis auctor ita subdit. « Nam quæ ad Deos via ducit, æreis obstructa vinculis, ar- » duaque simul et aspera est, cujus cum Barbari calles se- » mitasque plurimas invenerint, Græci tamen partim ab ea » prorsus aberrarunt, partim eam cum jam tenerent, etiam » depravarunt. Cæterum illius inventionem Ægyptiis, Phœ- » nicibus, Chaldæis (Assyrii enim illi sunt), Lydis, et He- » bræis Deus assignandam esse testatur. Præterea in altero » quodam oraculo idem Apollo sic fatur:

» Chaldæo Hebræoque unis sapientia cessit,
» Qui casto æternum venerantur numen honore.

» Idemque consultus, quo sensu cœlestes orbes multos esse » dicerent, ita respondit:

» Unicus in toto curvatur circulus orbe,
» At septem zonis astrorum eductus in oras.
» Has Chaldæus ait, famaque illustris Hebræus,
» Nomine cœlestes, septeno serpere cursu. »

Ac de Judæorum quidem Hebræorumque nomine, deque summa, qua jam olim præstiterunt, pietatis ac philosophiæ laude, modo satis. Nunc vero patriæ ipsorum historiæ veritati quam multi suffragentur, attende. Ac primum, illud, quod in antiquissima universi orbis historia diluvium Moses commemorat, a quo is, quem Hebræi Noemum vocant, arcæ ligneæ beneficio cum reliqua familia servatus fuerit, a Beroso Chaldæo, Hieronymo Ægyptio, et Nicolao Damasceno historicis referi, Josephus libro primo Antiquitatum hunc in modum prodidit.

CAPUT UNDECIMUM.

Ex Josephi Antiquitatibus, quam multi scriptorum gentilium Mosaici diluvii meminerint.

« Hujus, *inquit*, tum diluvii, tum arcæ meminerunt, » quotquot Barbarorum historias conscripserant. Quos in- » ter, Berosus Chaldæus, in ea, quam habet, diluvii nar- » ratione ita scribit. Atque hujus navigii partem etiamnum » aliquam in Armenia, circa montem Cordyæorum servari » ferunt, ex qua derasi bituminis aliquid, loci ejus indigenæ » ad procurandam maxime et averruncandam Numinis iram » gestare consueverint. Ejusdem rei mentionem quoque » facit Hieronymus Ægyptius, qui priscam Phœnicum histo- » riam conscripsit, itemque Mnaseas, aliique complures. » Quibus Nicolaum Damascenum adde, qui libro nonagesimo » sexto hæc habet : Est, inquit, supra Minyadem mons in- » gens in Armenia, Barin vocant, ad quem plerique cum » diluvii tempore confugissent, eos periculum effugisse nar- » rant. Præterea certum quemdam arca vectum, summum » ad montis verticem appulisse, ac lignorum ibi reliquias » perdiu conservatas fuisse. Is vero non alius utique fuerit, » quam qui a Mose Judæorum legislatore memoratur. » Hæc Josephus.

CAPUT DUODECIMUM.

Ex Abydeni scriptis, de diluvio.

Ego vero, ut ex Medorum etiam atque Assyriorum monimentis aliquid habeas, ex Abydeni commentariis locum hunc eadem ipsa de re subjiciam. « Huic, *inquit*, cum alii » plerique, tum etiam Sisithrus in imperio successit, cui » cum Saturnus imbrium vim maximam decimo quinto men- » sis Desii fore prædixisset, et quidquid litteris comprehen- » sum erat, id totum apud Heliopolim Sipparorum occultari » seponique jussisset, is Dei mandatis obsecutus, continuo » navigationem Armenios versus instituit, in qua repentino » Divinæ prædictionis eventu occupatur. Tertio autem die, » quam tempestas remitti cœperat, aves emittit explorandi » gratia, sicubi terram undis emersam atque existentem vi- » derent. Quæ cum immensum in pelagus incidissent, nec, quo » succederent, omnino quidquam occurreret, ad Sesithrum » denuo revolarunt, aliæque postea similiter emissæ. At cum » tertio idem fecisset, votique compos evasisset (quippe vo- » lucres alis limo plenis redierant), illico Deum Numine, » hominum societati oculisque subducitur; navigium autem » ad Armeniam appulsum, amuleta suis e lignis confecta, » quæ de collo suspensa gestarent, indigenis suppeditavit. » Hactenus ille.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Ex Josephi Antiquitatibus, longioris priscorum vitæ meminisse complures.

Præterea, quod hominum qui principes nati sunt, diuturni ævi fuisse Moses asseverat, ejus quoque rei testes Gentilium scriptores a Josepho laudantur, his verbis: « Nemo, » *inquit*, priscorum hominum vitam, cum nostræ annorum» que nostrorum brevitate componens, quæ de ipsis memo» rantur, falsa esse putet; dum ex longe brevioribus vitæ » nostræ spatiis, ne veteres quidem illos tantum vivendo » temporum conficere potuisse conjiciet. Nam illi sane, » partim quod Deo cariores, ipsaque illius manu sati essent, » partim quod cibis vim suam diutius integritatemque reti» nentibus uterentur, vitam in tot annos propagare commode » poterant. Adde verum etiam fuisse, ut partim in virtutis » suæ præmium, partim ad accuratiorem ac certiorem » cum astrologiæ, tum geometriæ, quas ipsi artes inve» nerant, usum et experientiam, longiorem eis Deus vitam » indulgeret; quippe qui nisi sexcentos minimum annos, quot » videlicet magnus annus absolvitur, vivendo complevissent, » certi nihil unquam iis de rebus posteris tradidissent. Cujus » equidem rei testes habeo, quotquot Græcos inter Barba» rosque rerum antiquarum monimenta reliquere. Nam et » Manethus, qui Ægyptiacam, et Berosus, qui Chaldaicam » scripsit historiam, et Molus, et Hestiæus, et Hieronymus » Ægyptius, quique res Phœnicum prosecuti sunt, uno » mihi omnes ore suffragantur. Imo etiam Hesiodus, Heca-

»tæus, Hellanicus, Acusilaus, Ephorus item et Nicolaus, »veteres mille annos vixisse tradunt. Ac de his quidem, »prout libuerit, quivis existimet.»

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Ex Abydeno, de turris molitione.

Rursus, quod a Mose de turris illius molitione, deque consecuta linguæ unius in plurimas divisione narratur, is, quem paulo ante nominavi, rerum Assyriarum scriptor his verbis confirmavit. « Sunt etiam, *inqait ille*, qui primos »homines e terra natos, cum et viribus et corporis mole »confiderent, potentiamque Superis ipsis majorem affecta»rent, immensæ altitudinis turrim, ubi nunc sita Babylon »est, molitos esse dicant; quæ cum jam propius abesset a »cœlo, ventos ipsos navata Diis opera, vastam et imma»nem eorum in capita substructionem effudisse, cujus ex »collapsæ ruderibus ea, quam Babylonem vocant, extiterit. »Homines porro, quorum ad id tempus una eademque lin»gua fuerat, multiplicem ac discrepantem ex eo vocem »emisisse, ac post modum Saturnum inter ac Titana bellum »esse conflatum.» Cæterum locus, in quo turrim excitabant, hodie Babylon nominatur, propter eam, quæ contigit, purioris ante illustriorisque sermonis confusionem: Hebræis enim confusio, Babel est.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Multos etiam alios ejusdem meminisse, ex Josephi Antiquitatibus.

Atque hujus etiam turris, et linguarum inter homines divortii hunc in modum Sibylla meminit : « Cum eatenus eadem lingua universi homines uterentur, altissimam turrim » ædificare nonnulli cœperunt, qua scilicet in cœlum usque » conscenderent. At Dii ventis immissis turrim evertere, ac » loquelam singulis propriam tribuere, quo factum, ut ea » civitas Babylon vocaretur. » Ejus quoque agri, quem Senaar nominant, in Babylonia regione siti mentionem Hestiæus facit his verbis : « Sacerdotibus, qui exitium effugerant, » raptis secum Jovis Enyalii sacris, in Senaar Babyloniæ » agrum sese primum receperint; inde vero quaqua terrarum » dissipantur, ac prout communem hi aut illi forte linguam » sortiti erant, communia quoque domicilia passim collo» cant, oblatam quique casu regionem occupantes. »

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De Hebræorum omnium parente Abrahamo, ex eodem.

Mosem præterea, in ea, quam fuse de Abrahamo Hebræorum parente scribit, historia, consentientes habere Genti

les historicos Josephus auctor est. Sic enim loquitur : « Ac »Berosus quidem Abrahami parentis nostri, suppresso licet »nomine, his tamen verbis meminit. Circa decimam post »diluvium ætatem, vir quidam apud Chaldæos vixit, summa »cum integritate morum, tum etiam dignitate rerumque »cœlestium cognitione præditus. Hecatæus vero, non ejus »tantum obiter meminit, sed etiam justum de ipso volumen »scriptum reliquit. Nicolaus autem Damascenus quarto His- »toriarum libro hunc in modum loquitur : Abrahames Da- »masci regnavit, cum ex regione Chaldæorum ultra Baby- »lonem sita cum exercitu profectus, eo commigrasset : inde »vero haud longo post tempore, mutatis denuo sedibus, »eam, quæ tum Chananæa, nunc autem Judæa nuncupa- »tur, cum suis incoluit, nec non illius posteri numero ac »multitudine aucti, quorum de rebus alium mihi sepono »dicendi locum. Et vero, illustris etiamnum Abrahamæ »nominis tota passim Damascena regione memoria est, ac »certus quidam vicus ostenditur, quod Abrahamæ domici- »lium nominant. Verum, ubi gravis postea fames in Cha- »nanæam incubuisset, is quod annonæ copia Ægyptios »abundare intelligeret, libenter omnino sese ad eos contu- »lit, partim ut ipsorum ubertate frueretur, partim ut Ægyp- »tiorum Sacerdotum de Diis opinionem acciperet : hoc uti- »que consilio, uti si meliora traderent, ea sectaretur; sin »autem verius ipse sentiret, eos contra saniorem ad men- »tem sententiamque traduceret. Ac deinceps ita subjungit. »Cum Ægyptiorum, inquit, eruditissimis familiariter ute- »retur, novum ipse non ad virtutem modo suam, verum »etiam ad nominis existimationem decus ac splendorem ad- »junxit. Nam quod Ægyptii discrepantibus moribus delec- »tari, suos ipsimet aliorum alii ritus verbis elevarent, mu- »tuoque propterea odio tenerentur, ille cum singulis ita »seorsim agebat, ut quidquid suis quique de rebus ac pla-

»citis disputarent, id totum ipse respueret, et ab omni ve»ritate vacuum esse demonstraret. Quo factum est, ut in »quotidianis eum mutuisque congressibus, tanquam sapien»tissimum, nec singulari tantum intelligendi vi præditum, »sed etiam ad persuadendum aliis, quidquid probandum »suscepisset, potentissimum admirarentur. Itaque arithme»ticam eos atque astrologiam prolixe ac liberaliter docuit, »quibus in artibus, ante ipsius adventum, Ægyptii hospites »omnino ac peregrini fuerant. Quippe a Chaldæis in Ægyp»tum, indeque ad Græcos utriusque præcepta permana»runt.» Hæc Josephus.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

De Abrahamo ex Eupolemo, quem laudat Alexander polyhistor, ubi de Judæis scribit.

Quibus polyhistor Alexander plane suffragatur, vir summi ingenii, multæque eruditionis, idemque Græcis hominibus, qui non leviter ac perfunctorie doctrinæ fructum degustarunt, longe notissimus. Is igitur in ea, quam de Judæis texit, historia, res Abrahami sic ad verbum exequitur. «Eupolemus, *inquit*, in ea, quam de Judæis Assyriis ha»bet, disputatione, auctor est, primum quidem Babylonem »urbem, ac postmodum turrim illam historicorum omnium »ore jactatam, ab iis, qui diluvium effugissent (gigantes »illi erant) excitatam, eaque deinde summa Numinis po»testate disjecta, toto passim orbe distractos ac dissipa»tos gigantes fuisse. Idem ætate decima, Camarinæ, quæ »Babyloniæ civitas est, quamque Urien nonnulli vocant,

»Græci Chaldæopolin interpretantur, Abrahamum natum »esse tradit, qui cum nobilitate ac sapientia omnibus an»teiverit, tum vero astrologiam pariter et chaldaicam inve»nerit, et singulari studio pietatis divinam sibi gratiam con»ciliarit. Hunc porro divino jussu, collocato rerum suarum »in Phœnicia domicilio, solis lunæque conversiones ac re»liqua id genus omnia Phænices docuisse, quæ res summe »gratiosum eum apud regem effecerit. Postea vero, cum »appetitos bello Phœnices Armenii superassent, ipsumque »Abrahami nepotem captivum abducerent, Abrahamum »servorum manu stipatum auxilium ei tulisse, victores suam »in potestatem redegisse, eorumque liberos et uxores belli »jure captos abegisse. Verum legatis ad ipsum ab hoste mis»sis, qui captivos pecunia redimerent, victis eum insultare »ferocius noluisse, sed militum suorum stipendio conten»tum, captivos liberaliter reddidisse. Addit insuper eum in »sacro urbis Argarize, hoc est, altissimi monte susceptum »hospitio, dona simul a Melchisedeco Dei sacerdote, qui »ibidem regnabat, accepisse. Postmodum urgente fame »Abrahamum in Ægyptum cum universa familia secessisse, »ibique fixa sede, cum ejus uxore, quam sororem ille suam »vocaret, Ægyptiorum regem matrimonium iniisse. Hic »vero fusius exequitur, quemadmodum nec illius congressu »frui rex potuerit, et populum ejus universum regiamque »adeo familiam gravissima pestis invaserit; tandemque rex, »consultis vatibus, ac minime viduam mulierem esse res»pondentibus, ubi eam Abrahami uxorem esse comperis»set, viro suo reddiderit. Cæterum, cum apud Heliopolim »Abrahamus Ægyptiorum sacerdotum consuetudine pluri»mum uteretur, multa ipsos, necnon astrologiam, quæque »ad eam pertinent omnia, illo docente didicisse tradit, sic »tamen eorum inventionem Babyloniis atque Abrahamo »ipsi attribuens, ut principem illorum auctorem Enochum

» fuisse statuat, quippe qui primus omnium astrologiam in» venerit, non autem Ægyptii. Enimvero Babylonios dicere » solitos, primum extitisse Belum, qui Saturnus vulgo no» minetur, quique Belum alterum cum Chanaane suscepe» rit : hunc vero Chanaanem Phœnicum parentem genuisse, » cujus filius Chumus extiterit, quem Asbolum Græci nomi» nant : eum Mestraimi fratrem, Æthiopumque simul et » Ægyptiorum parentem fuisse : tametsi Atlantem Græci as» trologiæ inventorem esse velint; sed nimirum Atlantem » eumdem esse, quem Enochum, qui Mathusalamum filium » habuerit ; huncque ab angelis Dei omnia didicisse, quæ » tandem ad nos cognitionemque nostram permanarint. »

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

De eodem, ex Artapano, quem citat idem polyhistor.

JAM vero Artapanus in rerum Judaicarum historia, « Ju» dæos scribit Hermiuth nominari, quæ vox, si græce loqui » velis, Judæos sonet; eosdem vero Abrahami ex nomine » Hebræos nuncupari. Abrahamum autem in Ægyptum cum » universa familia ad Parethonem Ægyptiorum regem sese » contulisse, quem cum astrologiæ præceptis instituisset, ac » viginti continentes annos ibidem egisset, in Syriam denuo » remigrasse, plerisque suorum ob regionis ubertatem in » Ægypto residentibus; quanquam in libris quibusdam, » quorum auctores incerti sunt, Abrahamum invenimus ad » Gigantes venisse. Hos porro cum Babyloniam incolerent, » a Diis propter impietatem extinctos ac sublatos fuisse, uno » tantum Belo superstite, qui exitio subductus Babylonem

» tenuerit, sedemque sibi in ea turri, quam ipsemet excita- » verat, quamque Belum conditoris ex nomine appellarunt, » delegerit. Abrahamum autem astrologiam apprime callen- » tem, primum in Phœniciam, ubi Phœnices eadem scientia » imbuerit, ac deinde in Ægyptum migrasse. »

CAPUT DECIMUM NONUM.

De eodem, ex Melone, ut refert idem auctor.

At Melo, is qui adversus Judæos opus integrum edidit: « Virum quemdam, qui cum filiis diluvium effugerat, ab » indigenis Armenia pulsum, ædibusque ac possessionibus » ejectum suis, intermedia regione peragrata in desertos » Syriæ montes secessisse commemorat. Abrahamum vero » post tertiam ætatem natum esse, cujus nomen patris ami- » cum significet. Eumdem, cum sapientiæ laude præstaret, » solitudinem percurrisse ac lustrasse universam: tum dua- » bus ductis uxoribus, altera quidem indigena et affini, » Ægyptia vero altera, quæ servitutem ante serviebat; ex » Ægyptia liberos duodecim genuisse, qui in Arabiam pro- » fecti eam inter se diviserint, locique hominibus principes » imperarint: ex quo factum sit, ut reges Arabum duode- » cim primis illis cognomines ad nostra usque tempora nu- » merentur. Ex legitima autem uxore filium unicum sus- » cepisse, cujus nomen apud Græcos γέλωτα, hoc est, risum » sonet, quique Abrahamo seniore jam defuncto, liberos ex » conjuge indigena duodecim procrearit, quorum postremo » Josepho nomen fuit, a quo Moses tertius numeretur. » Hæc

polyhistor, qui nonnullis interjectis rursus ita subdit : « Paulo post jussum a Deo Abrahamum fuisse ait, ut Isaa- » cum filium ipsi in holocaustum immolaret, eumque con- » tinuo adolescente secum in montem educto, succendisse » pyram, eique simul Isaacum imposuisse. Verum ipsi, cum » jamjam filium jugulaturus esset, ab angelo facinus inhi- » bente arietem ad sacrificium oblatum esse, quem ille sub- » ducto pyræ filio immolarit. »

CAPUT VIGESIMUM.

De eodem, ex Philone.

Hoc ipsum Philo libro primo eorum, quibus res ad Hieresolyma pertinentes complexus est, his versibus cecinit :

(Hic recensentur versus vetustioris poëtæ, quæ tenebræ videntur et nihil amplius. Saltu igitur hæc superare maluimus quam in singulis pene verbis offendere.)

Atque hæc ex laudato polyhistoris opere. Cujus etiam Josephus libro Antiquitatum primo his verbis mentionem facit. « Afrenem illum, *inquit*, Libyam expeditione in eam » suscepta occupasse memorant, quam ejus posteri colloca- » tis in ea sedibus, illius ex nomine Africam nuncuparint. » Cujus ego rei testem Alexandrum polyhistorem habeo, » dum sic loquitur. Cleodemus vates, quem et Malchan ple- » rique vocant, quique rerum Judaicarum scripsit historiam, » id ipsum quod a Moyse Judæorum legislatore narratur, de

» Abrahamo commemorat, natos ei plures ex Chettura li-
» beros fuisse, e quibus tres etiam nominat, Aferem, Asu-
» rem, Afranem. Et ab Asure quidem Assyriam, ab Afere
» autem atque Afrane cum Afran urbem, tum Africam uni-
» versam nomen accepisse. Hos porro Herculis in Lybiam
» Antæumque moventis socios fuisse, ipsumque Herculem
» ex Afranis filia, quam uxorem duxerat, Diodorum filium
» suscepisse, qui Sophonan deinceps genuerit, a quo Bar-
» bari Sophæ appellati fuerint. » Verum de Abrahamo qui-
dem breviter hæc nos retulisse sufficiat.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

De Jacobo, ex Demetrio.

Deinceps ad polyhistorem redeamus. « Demetrius, *inquit*,
» auctor est Jacobum annos quinque ac septuaginta natum,
» Charram Mesopotamiæ civitatem confugisse, idque paren-
» tum suorum voluntatem secutum, partim ut occulto sese
» Esau fratris odio subduceret, paternæ jactura benedictio-
» nis, quam sibi ipse furtim simulata Esau specie Jacobus
» expresserat, concitato; partim ut inde uxorem duceret.
» Sic igitur eum, relicto Isaaco parente septimum ac trige-
» simum supra centesimum annum agente, hanc in urbem
» pervenisse, ubi jam ipse annum septimum ac septuagesi-
» mum attigisset. Eumdem post septem annos, quam ibi ver-
» satus erat, filias Labani materni avunculi duas, Liam et
» Rachelem duxisse, circa annum ætatis quartum et octoge-
» simum, aliorumque septem annorum spatio liberos susce-

» pisse omnino duodecim. Quippe octavi anni mense decimo Rubenum genuisse, noni octavo Simeonem, decimi sexto Levinum, undecimi quarto Judam. Tum vero a Rachele, quod sterilis esset, muliebri adversus Sororem invidia flagrante, Zelpham ancillam in Jacobi lectum eodem tempore summissam fuisse, quo etiam Balla Nephthalimum conceperit, anni scilicet undecimi mense quinto, ac duodecimi secundo filium peperisse, quem Gathum Lia nominarit; alterumque deinceps ejusdem anni mense duodecimo, cui Aseris nomen eadem Lia dederit. Rursum vero Liam pro mandragoræ pomis, quæ Rubenus ad Rachelem attulerat, eodemque tempore Zelpham ancillam, hoc est anni duodecimi mense tertio filium concepisse, ejusdemque anni duodecimo genuisse, quem Issacharem nuncuparit. Atque iterum Liam decimi tertii decimo alterum suscepisse nomine Zabulonem; iterumque decimi quarti octavo Danum peperisse. Rachelem vero, quum eodem fere tempore, quo Lia Dinam filiam susceperat, uterum gestare cœpisset, anni decimi quarti mense octavo filium procreasse, quem Josephum appellarit; atque ita liberos omnino duodecim Jacobo, septem annis quibus apud Labanum vixerat, natos fuisse. Tum vero, ad patrem licet in terram Chananæam redire cupientem, Labani tamen precibus victum alios sex annos ibidem commoratum esse, itaque Charræ apud Labanum totos et continentes viginti annos egisse. Quibus exactis, patriam repetenti obvium Dei Angelum, postquam aliquamdiu cum eo luctatus esset, femur ejus qua parte latius est percussisse, Jacobumque simul eo membro torpescentem claudicare cœpisse (quo factum deinceps, ut ex pecudibus fœmoris nervum Judæorum attingat nemo). Ab Angelo autem futurum audiisse, ut in posterum non Jacobus, sed Israel vocaretur. Itaque in eam terræ Chanaan successisse partem,

»quæ Sicimis adversa esset, liberorum suorum comitatu »stipatum. E quibus Rubenus annos duodecim mensesque »duos natus erat, Simeon annos totidem et menses qua- »tuor, Levinus annos duodecim, mensesque sex, Judas »annos novem ac menses octo, Nephthalimus annos octo, »mensesque decem, Gadus totidem, Aser et Issachar an- »nos octo, Zabulon annos septem mensesque duos, Dina »et Josephus annos sex et menses quatuor. Cæterum Israe- »lem annis sibi decem juxta Emmorem domicilium delegisse: »cujus filiæ Dinæ annos natæ sedecim mensesque quatuor, »cum Sychemus Emmoris filius struprum obtulisset, Sime- »onem, qui mensem quartum supra annum vicesimum pri- »mum, et Levinum, qui mensem sextum supra annum vicesi- »mum ageret, Israelis filios, sororis injuria graviter commo- »tos, Emmorem ac Sychemum ejus filium, maresque univer- »sos impetu facto cecidisse; quo tempore annorum septem »supra centum Jacobus esset. Eum porro, cum Lusam Ba- »thelis urbem venisset, a Deo jussum, relicto Jacobi no- »mine, Israelem nuncupari cœpisse. Tum Caphratham, »indeque Ephratham, quam Bethleemum vocant, petiisse, »ubi Rachel, suscepto Benjamino, diem supremum obierit, »postquam annos tres ac viginti cum ea Jacobus vixisset. »Inde rursus Mambren Chebronis oppidum ad Isaacum pa- »trem venisse. At Josephum eo tempore cum esset anno- »rum septemdecim, Ægyptiis venditum, totos tredecim »annos in vinculis fuisse, donec ipse quidem tricesimum, »Jacobus vero decimum supra centesimum ætatis annum »confecisset, Isaaco jam anno superiore, hoc est ætatis »octogesimo supra centesimum vita functo. Ac Josephum »quidem post felicem regis somniorum explicationem toti »Ægypto annis septem præfuisse, quo tempore Asenethem »Pentephræ Heliopoleos Sacerdotis filiam conjugem duxerit, »atque ex ea Manassem Ephraimumque susceperit. Tum

»annis duobus fame laborari cœptum. Eumdem vero novem annorum spatio, quibus fortunate admodum vixerit, »patrem accersere noluisse, quod tam ipse quam fratres »pascendis ovibus operam darent, quæ vitæ ratio apud »Ægyptios probro duceretur. Atque hanc ei cur patrem »non acciret causam fuisse, ab eo reipsa declaratum. Fra»tribus enim suis, cum ad eum aliquando venissent, hoc »in mandatis ipsum dedisse, uti si forte a rege accer»serentur, rogati, ecquod vitæ genus profiterentur, equis »alendis vacare sese responderint. Benjaminum quod at»tinet, quæsitum a plerisque, quamobrem Josephus in»ter prandendum partem ei quintuplo singulis majorem »apponi voluerit, cum tot cibis adolescens par esse non »posset. Cujus rei hanc ille rationem afferebat, quod Ja»cobo patri septem ex Lia, ex Rachele vero matre sua, »duo tantum liberi nati essent; eoque Benjamino partes »quinque, sibi autem duas tribuisse, ut cum septenario Liæ »filiorum numero partium numerus æquaretur. Similiter »stolas quidem singulis geminas, at Benjamino quinque »cum aureis trecentis dedisse, totidemque ad patrem mi»sisse, uti ne qua in re materna familia alteri concederet. »Cæterum, ex quo Abrahamus universis e Gentibus divina »voluntate selectus, in terram Chananæam primum con»cesserat, ipsum quidem annos viginti quinque, Isaacum »vero sexaginta, Jacobum denique triginta supra centum, »ibidem egisse, qui omnes annorum quindecim supra du»centos summam efficiant. Atque hoc ipso, qui famis apud »Ægyptios tertius erat, cunctam eorum familiam in Ægyp»tum migrasse, cum Rubenus annos quinque supra qua»draginta natus esset, Symeon quatuor et quadraginta, »Levinus tres et quadraginta, Judas duos et quadraginta, »cum tribus insuper mensibus, Aser quadraginta et menses »octo, Nephthalimus unum et quadraginta mensesque sep-

» tem, Gadus totidem mensesque tres, Zabulon quadraginta, » Dina novem ac triginta, Benjaminus octo et viginti. Jose- » phum autem in Ægypto annis novem ac triginta vixisse. » Itaque ab Adamo ad illud usque tempus, quo Josephi » cognatio in Ægyptum migravit, annos sexcentos et vi- » ginti quatuor supra ter mille numerari : a diluvio usque » ad eumdem Jacobi in Ægyptum adventum, trecentos et » sexaginta supra mille : ex quo autem Abrahamus ex Gen- » tium medio segregatus, Charra in terram Chananæam » venerat, quindecim supra ducentos. Porro Jacobum ad » Labanum Charra pervenisse circiter octogenarium, ibique » Levinum genuisse, qui anno decimo septimo quam in » Ægyptum venerat, hoc est ætatis sexagesimo, Clathum » procrearit; eoque ipso anno Jacobum in Ægypto, post- » quam Josephi liberis bene precatus esset, annosque qua- » draginta septem supra centum exegisset, diem obiisse, » relicto Josepho annorum sex et quinquaginta. Addit Le- » vinum anno ætatis trigesimo septimo supra centecimum » vita excessisse; Clathum vero, annorum quadraginta » cum esset, Abrahamum genuisse, cujus anno decimo » quarto, Josephus circa annum ætatis decimum supra cen- » tesimum obierit: supremum autem Clathi diem anno illius » tricesimo tertio supra centesimum contigisse. Rursus, » Abrahamum cum avunculi sui filia, quam Jochabetem vo- » cabant, matrimonium iniisse, ex eaque anno ætatis suæ » quinto ac septuagesimo Aaronem, tertioque post anno » Mosem suscepisse : ac tandem annos natum sex et tri- » ginta supra centum ex hac vita migrasse. » Atque hæc om- nia ex Alexandri polysthoris Annalibus. Quibus sequentia ex Theodoto commodum attexemus.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

De eodem, ex Theodoto.

Ille enim eo, quem de Judæis conscripsit, libro Sicima a Sicimo quodam Mercurii filio, ejus urbis conditore, nomen accepisse auctor est; cujus situm his expressit versibus:

« Quippe hæc terra ferax, tenerisque aptissima capris,
» Irriguique soli : brevis unde excursus in urbem.
» At nulli fessos molli lanugine saltus
» Hic recreant. Tecti juncto prope vertice montes
» Hinc gemini excipiunt, herbasque, nemusque ministrant.
« Quos inter raro angustus discrimine callis
» Rumpit iter. Parte adversa se tollit in auras
» Urbs ingens Sicimum, radicem extructa sub imam :
» Qua circum lævi consurgunt mœnia saxo,
» Atque infra supraque urbem munimine cingunt. »

Eamdem ab Hebræis regnante Emmore occupatam fuisse, postmodum affirmat : Emmorem enim Sychemum genuisse. Sic autem cecinit :

« Illinc, o hospes, tandem vaga liquit Iacob
» Pascua, et immensam Sicimum successit in urbem,
» Dum socios Emmor populos, atque Emmore natus
» Imperio premeret Sychemus, patri æmula pestis.»

Tum Jacobi partim in Mesopotamiam adventum, partim nuptias duabus cum mulieribus initas, partim liberos ex

utramque susceptos, partim denique hanc ipsam e Mesopotamiæ finibus Sicimorum in urbem migrationem exequitur :

« At pecorum altricem in Syriam concedit Jacob ,
» Atque sonante vagos volventem gurgite fluctus
» Deserit Euphratem : irati simul aspera fratris
» Jurgia declinat. Blando pia tecta nepoti
» Pectore Labanus, Syriæ tum, stirpe recenti,
» Sceptra tenens, pandit. Cui mox promissa minoris
» (Sic male certa fides) natæ connubia mutat,
» Majoremque viro thalami in penetralia furtim
» Summittit Liam genitor : sed fraude retecta
» (Sensit enim conjux), natuque minore potitus ,
» Esse utramque dedit solerti prole parentem.
» Undenis maribus pulchro spectabilis ore
» Additur, et molli præstans in corpore Dina
» Exerit ingenium. »

Ab Euphrate vero Jacobum scribit cum ad Emmorem in Sicima venisset, exceptum ab eo humaniter, agrique parte donatum fuisse; ubi cum agriculturæ operam ipse daret, tum vero undecim filii in pastionem, Dinaque filia cum cæteris mulieribus in lanificium incumberet. Verum, quo die solemnis forte conventus Sicimis ageretur, Dinam tametsi adhuc virginem, in urbem tamen visendi studio penetrasse; ac Sychemum Emmoris filium, ejus simul ac vidisset amore captum, ipsi per vim raptæ ac domum abductæ stuprum cum obtulisset, paulo post una cum patre ad Jacobum venisse, ab eoque filiæ nuptias expetisse ; quas ille cum negaret, priusquam incolæ Sicimorum universi et circumcisionem et ritus Judaicos accepissent : Emmorem futurum spopondisse, uti eos hanc ad conditionem adducere conaretur. Et eos quidem circumcidi omnes oportere, Jacobus ita declarat :

« Hebræam divina vetant oracula gentem ,
» Externos sponsæ generos in tecta vocare ;
» Hæc patrius tantum novit commercia sanguis. »

Moxque de circumcisione :

«Qui magnum patriis Abraamum eduxit ab oris ,
» Cœlitus hunc tota jussit cum stirpe recurvo ,
» Glande sub extrema , præputia demere ferro.
» Paruit, atque Dei verbis immotus inhæsit. »

Emmor itaque in civitatem reversus , cum suos ad capessendum circumcisionis ritum hortatus esset , unum ex Jacobi filiis Symeonem , quod sororis injuriam iniquius graviusque ferret , Emmorem ac Sychemum interficere statuisse : communicatoque cum Levino fratre consilio, socium eum comitemque facinoris adhibuisse , cum decem ille Gentes Abrahami posteris Divino promissas oraculo fuisse jactaret. Sic autem Levinum alloquitur Symeon :

« Verba Dei penitus medio sub pectore servo ,
» Quem denas Abrahæ natis promittere Gentes
» Commemini. »

Ac Deum quidem propter Sicimitarum impietatem , hanc iis mentem injecisse , testatur his verbis :

« Ardenti vindex Sicimos Deus obruit ira ,
» Quo virtutis amans nemo inviolatus adiret :
» Hic ubi nulla æqui tenuit reverentia cives ,
» Sed tantum infandi sceleris vesana libido. »

Ergo Levinum ac Symeonem armatos in urbem venisse , obviisque primum cæsis , Emmorem ac Sychemum peremisse ; quam ille cædem ita describit :

« Tunc Emori vasti Symeon caput arduus ictu
» Amputat , ac læva truncam suspendere gestit

»Cervicem ; donec, quod pugna atrocior instet,
»Linquat humi singultantem. At violentior ardet
»Levinus, frustraque solo pedibusque volutum,
»Ausum immane nefas Sychemum, pendentibus hærens
»Crinibus, invadit. Jugulum delatus in altum,
»Mox toto gladius subit in præcordia ferro,
»Exturbatque animam.»

Postmodum vero fratres cæteros, ubi rem inaudiissent, conjunctis viribus civitatem diripuisse, ac sororem cum ipsa captivorum manu paternam in villam transtulisse. Hæc polyhistor.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

De Josepho, ex Artapano.

Quibus deinceps Josephi rerum commemorationem adjungit, hunc in modum. Artapanus autem in suo de Judæis commentario, « Josephum ait Abrahami nepotem, Jacobi »filium, cum reliquis fratribus ingenio, sapientiaque præ»staret, eorum insidiis appetitum esse; quorum ipse conju»ratione prospecta, vicinos Arabas, uti se in Ægyptum ab»ducerent, obsecrarit, ejusque precibus illos annuisse. »Arabum enim reges Israelis nepotes, Abrahami filios, et »Isaaci fratres esse. Ergo Josephum, paulo post quam »Ægyptum attigisset, eo regis studio ac benevolentia excep»tum esse, ut præfectus ab eo totius regni constitutus fuerit. »Eumdem vero, cum Ægyptii terram eatenus magna per»turbatione coluissent, quod neque divisa regio esset, ac

» tenuioris fortunæ homines a potentioribus iniquius habe-» rentur; agros ante omnia divisisse, certis passim finibus » terminisque descriptos, adeoque magnam soli partem in-» cultam prius atque sylvescentem, culturæ opportunam » commodamque reddidisse, suosque sacerdotibus agros sin-» gulares ac proprios assignasse. Mensuras præterea inve-» nisse, quibus ille officiis Ægyptiorum sibi voluntatem ma-» jorem in modum devinxerit. Cæterum, Asenethen Helio-» politani sacerdotis filiam uxorem duxisse, ac liberos ex ea » suscepisse. Postea vero, patrem cunctosque fratres, mul-» tis cum opibus ac facultatibus ad eum venisse, fixisque in » urbe Cæsana domiciliis, Syrorum in Ægypto auctam ad-» modum ac propagatam sobolem fuisse. Eosdem insuper » tum quod apud Athon, tum quod apud Heliopolim est, » templum condidisse, Hermiuthios vulgo nominatos. Pos-» tremo, Josephum, Ægyptiorumque regem obiisse. Ac Jo-» sephum quidem, cum Ægypto præesset, immensam fru-» menti vim, quæ toto septennio provenerat, in medium » contulisse, ac totius Ægypti dominum fuisse. »

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

De eodem, ex Philone.

Quinetiam Divinis litteris Philonis quoque testimonium suffragatur. Is enim libro decimo quarto de Hierosolymis ita scribit :

« Ollis ampla potens ultro dat jugera princeps,
» Fœcundoque solo locat incorruptus Ioseph,

» Abrami Isacique nepos, quemque almus Iacob
» Sustulit, obscuræ cui pervia somnia noctis,
» Qui solio incumbens Ægyptia regna tuetur,
» Ambiguo fati varie jactatus ab æstu. »

Et quæ sequuntur. Atque hæc de Josepho.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

De Jobo, ex Aristæa.

Nunc autem audi, sis, quæ de Jobo idem ipse commemoret. « Aristæas, *inquit*, in sua de Judæis historia, auctor est » Esaum ex Bassara conjuge Jobum in Idumæa filium genuisse, sedemque sibi in Ausitide regione ad ipsum Idumææ et Arabiæ confinium delegisse. Eumdem æquitate » præstantem, ac pecore in primis abundantem fuisse : » quippe, ovium enim septem, camelorum tria millia, paria boum quingenta, gregalesque asinas totidem numerasse. » Copiam agrorum non absimilem. Ac Jobum quidem Jobamum antea nominatum esse. Porro, Deum explorandæ » hominis probandæque virtutis gratia, diuturnis eum gravibusque calamitatibus exercuisse. Primum enim asinarum » boumque armenta a latronibus per vim abacta esse; tum » oves simul atque pastores igne cœlitus immisso conflagrasse; » mox et camelos a latronibus similiter abductas, filiosque » omnes ædium ruina oppressos fuisse : postremo illum etiam » eo ipso die fœdissimo totius corporis ulcere laborasse. Quibus in angustiis positus cum esset, ad eum invisendi causa » Elipham Themanitarum regem, Baldadem Sauchæorum

» tyrannum, Sopharem Mannæorum regem, et Elium Barachielis filium Zobitem convenisse. Qui cum eum alloquio » solarentur, ipsum, tametsi consolatione omni careret, fu» turum tamen respondisse, uti pietatis suæ laudem hac in » tanta malorum acerbitate perpetuam retineret. Deum vero » hac ejus integritatis et constantiæ vi majorem in modum » probata, non ipsum tantum morbo liberasse, verum etiam » ingentibus deinceps opibus ac fortunis cumulasse. » Hæc omnia Polyhistor.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

De Mose, ex Eupolemo.

Idem quoque plurima de Mose habet auditu digna. « Mo» sem, *inquit*, narrat Eupolemus primum sapientem fuisse, » Judæisque primum litteras tradidisse, a quibus eas Phœ» nices, ut a Phœnicibus Græci, acceperint; eumdemque » Judæis leges principem condidisse. »

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

De eodem, ex Artapano.

Artapanus autem in suo de Judæis opere scribit, « Abra» hamo cum Mempsasthenothe filio, ipsoque Ægyptiorum » rege, vita functo, Palmanothem alterum ejusdem filium

» Ægypti imperium capessisse, Judæumque populum durius
» habuisse. Ab hoc primum Cessam conditam, in eaque de-
» lubrum, mox templum apud Heliopolim excitatum esse.
» Ab eodem Merrhin filiam susceptam, ac Chenephræ cui-
» dam regioni supra Memphim sitæ imperanti desponsam
» fuisse : tum enim plures Ægyptum regulos habuisse. Hanc
» porro, sterilis cum esset, Judææ mulieris infantem sup-
» posuisse, quem Moysum ipsa primum, deinde vero Græci,
» cum ad virilem ætatem pervenisset, Musæum nominarint.
» Atque hunc Orphei magistrum fuisse memorant, ac per-
» multa humano generi utilissima tradidisse. Illi enim, et
» navigiorum, et machinarum, quibus adducti sursum lapi-
» des inter sese postea coagmententur, et armorum Ægyp-
» tiacorum, et instrumentorum partim hauriendæ vel dedu-
» cendæ aquæ, partim bello necessariorum, ipsiusque adeo
» philosophiæ inventionem acceptam ferunt. Ad hæc civita-
» tem ab eo in sex et triginta præfecturas divisam, suosque
» singulis Numini colendo ritus assignatos, litterasque sa-
» cras, puta felium, canum, ibium figuras sacerdotibus
» cum singulari ac propria regione attributas fuisse. Quæ
» omnia eo consilio perfecerit, ut summum Chenephræ im-
» perium stabiliret; cum nullo distincta ordine multitudo
» reges antea modo ejiceret, modo crearet, ac sæpe qui-
» dem eosdem, interdum etiam alios. Quibus ipse rebus non
» modo populorum sibi amorem conciliarit, verum etiam
» parem Superis honorem a sacerdotibus, qui Ἑρμῆν, hoc
» est Mercurium, sive interpretem, ob sacrarum litterarum
» ἑρμηνείαν, interpretationem, appellarunt, facile impetrarit.
» At vero Chenephren Moysi virtutibus invidentem, peri-
» mendi hominis colorem aliquem, honestamque speciem
» quæsivisse. Itaque cum in Ægyptum armati Æthiopes in-
» vasissent, commodam sibi facinoris oblatam occasionem
» esse ratum, Moysem imperatorem adversus eos cum exer-

» citu, ex gentilibus et propinquis ejus maximam partem
» conflato misisse, quod eum propter militum imbecillitatem
» ab hoste nullo negotio conficiendum putaret. Moysum au-
» tem ad præfecturam quamdam, cui Hermopolitæ nomen,
» quæque colonorum ad centum millia numerabat, profec-
» tum, castra ibi posuisse; legatorum suorum fortissimis ac
» strenuissimis quibusque præmissis, qui locum ac sedem
» occuparent. Quod bellum toto decennio gestum esse, ab
» Heliopolitanis sese accepisse testatur. Porro Moysum, co-
» piarum magnitudine instructum, eodem in loco urbem
» condidisse, Hermopolim nomine, in qua primum ibim,
» quod noxias hominibus animantes perimat, consecrarit.
» Æthiopes autem ipsos, tametsi hostes, tam propenso ta-
» men in Moysum animo fuisse, ut ipsius quoque circumci-
» sionis ab eo ritum acciperent. Id quod a sacerdotibus etiam
» omnibus præstitum fuerit. Cæterum Chenephren, confecto
» bello, tametsi benevolentiam ore simularet, clam ei tamen
» insidiari reipsa perrexisse. Itaque Moysi copias ita dis-
» traxisse, ut partim ad Æthiopiæ confinia per causam
» præsidii ablegaret, partim Diospoleos templum operis la-
» teritii diruere, aliudque, lapidibus ex vicino monte cæsis,
» lapideum ædificare juberet. Huic operi Nacherotem quem-
» dam ab eo præfectum esse, qui Memphim una cum Moyso
» profectus, quæsierit ex eo, num quid præterea humano
» generi commodum utileque nosset : cui Moysus, se vero
» nosse, boves nimirum, quibus in aranda terra uti liceret.
» At Chenephren, ubi tauro Apis nomen indidisset, ei con-
» tinuo templum a multitudine poni, eodemque translatas
» animantes a Moyse prius consecratas sepeliri voluisse, uti
» rerum ab eo institutarum memoriam una sepeliret. Verum
» abalienatos a se propterea cum Ægyptiorum animos intel-
» ligeret, clam jurejurando amicorum suorum fidem ob-
» strinxisse, uti ne quis Moyso paratas insidias aperiret, si-

» mulque futuros cædis auctores designasse. Reclamantibus » omnibus, Chanethothem, quem ex omnibus præcipue nominant, acerbius increpasse, qui regis tandem offensione » permotus, commodo se tempore facinus obiturum recep» perit. Ergo cum in eos forte dies Merrhis obitus incidisset, » Chenephren transferendi ultra Ægypti fines corporis, ibi» demque sepeliendi, Moyso et Chanethothæ potestatem fe» cisse, cum interfectum iri ab isto Moysum putaret. Verum » insidiis a conscio quodam in itinere sibi patefactis, Moy» sum saluti suæ diligentius cavisse : cui, post sepultam » Merrhin, Meroesque nomen fluvio atque urbi ad fluvium » ædificatæ impositum (quam quidem Merrhin, indigenæ » haud minori quam Isin ipsam religione venerentur), Aaron » frater, qui et ipse conjurationem resciverat, auctor fuerit, » uti fugam in Arabiam capesseret. Illum ergo consilium » fratris secutum, Memphi solvisse, Niloque trajecto in » Arabiam appulisse. Chanethotem vero fuga intellecta, insi» dias ei tetendisse, quibus exceptum opprimeret; adeoque » venienti stricto gladio occurrisse : at Moysum hominem » occupasse, nec ejus tantum inhibuisse manum, sed etiam » illum educto ense confodisse. E vestigio elapsum in » Arabiam, ad Raguelem ejus tum regionis principem adhæ» sisse, ab eoque filiam in uxorem accepisse. Porro cum » in Ægyptios movere Raguelus vehementer optaret, ut » Moysum eo deduceret, filiæque simul ac genero impe» rium assereret : Moysum, quod Gentilibus suis metueret, » ab ea ipsum mente dimovere conatum esse quidem, sed » tamen et Arabibus abstinere, et ex Ægypto prædas agere » a Raguelo jussum fuisse. Interea Chenephren elephantiæ » morbo mortalium omnium principem obiisse, cum in eum » incidisset, quod Judæos, laneæ vestis usu prohibito, sin» dones jussisset induere, quo facilius in eos hoc a cæteris » cultu distinctos sævire posset. At Moysum genis suæ mise-

» rias apud Deum assidue deprecantem, eo demum tempore
» Numen propitium habuisse, ac repente succensum e terra
» ignem erupisse ait, qui, tametsi locus ab omni ligno alia-
» que materia igni pascendo apta vacuus esset, ardere tamen
» non desineret. Quo prodigio Moysum, cum exterritus fu-
» geret, voce divinitus immissa admonitum esse, ut in Ægyp-
» tum expeditione suscepta, Judæos liberaret, ac pristinam
» in patriam aliquando reduceret. Itaque confirmato animo
» bellum Ægyptiis inferre statuisse, sic tamen, ut Aaronem
» fratrem ante omnia conveniret. Cujus adventu nuntiato,
» Ægyptium regem ex eo, quem ad sese confestim evocave-
» rat, quæsisse, quorsum illuc venisset: ipsum autem, orbis
» universi Moderatoris jussu ac nomine regi denuntiasse,
» uti Judæos liberos securosque dimitteret. Quamobrem,
» cum in carcerem ab eo conjectus esset, noctu portas om-
» nes carceris sponte patuisse, custodesque partim repen-
» tino sublatos interitu, partim alto somno solutos fractis
» passim armis jacuisse. Moysum e vestigio sese in regiam,
» patefactis etiam ultro januis, intulisse, ac præsidiariis
» militibus profundo quoque somno sepultis, regem exci-
» tasse; qui facti novitatem primum quidem obstupuerit,
» mox tamen, quasi ludos Moysum faceret, Dei a quo
» missus esset, nomen eum aperire jusserit: quod ubi Moy-
» sus in aurem insinuasset, regem illico mutum concidisse,
» donec ab eodem arreptus sibi ac vitæ redderetur. Et il-
» lum quidem indicatum nomen tabellis inscripsisse, quas
» postmodum obsignarit: quemdam vero sacerdotem, qui
» scripti nominis majestatem elevaret, repentino spasmo
» correptum periisse. Præterea, cum rex a Moyso prodi-
» gium aliquod expeteret, eum quam manu virgam tenebat,
» in serpentem subito convertisse, omnibusque stupentibus,
» arrepta cauda priorem ei rursus virgæ formam reddidisse.
» Paulo post Nilum eadem virga percussum, intumescenti-

»bus undis Ægyptum universam proluisse; ex eoque tem-
»pore statis deinceps vicibus in agros sese Nilum effudisse.
»Mox collectas et stagnantes passim aquas efferbuisse, nec
»piscibus modo interitum, sed exitialem quoque hominibus
»sitim attulisse. Itaque regem tot prodigiis territum, sese
»post mensem Judæos dimissurum spopondisse, si pristinus
»flumini status a Moyso redderetur : illum aquam denuo
»virga tetigisse, eodemque momento insolentem ejus im-
»petum constitisse. Hic vero regem, evocatis, qui trans
»Memphim incolebant, sacerdotibus, necem omnibus in-
»terminatum, nisi similia ipsi quoque prodigia ostenderent.
»Eos, præstigiis et cantionibus quibusdam repente draco-
»nis speciem objecisse, ac fluminis colorem immutasse;
»quo facto elatiorem ac tumidiorem quam antea regem,
»omni pœnarum ac suppliciorum genere postmodum Ju-
»dæos vexasse. Quod ubi Moysus videret, cum alia ple-
»raque ab eo miracula edita esse, tum ex terra, quam
»virga percusserat, genus quoddam alati animantis extitisse,
»quod Ægyptios pessime vexaret, omniumque corporibus
»fœdum morsibus punctionibusque suis ulcus inureret. Cui
»morbo cum nullum medici remedium invenirent, Judæos
»aliquantulum denuo respirasse. moysum vero, ejusdem
»virgæ contractu ranas præterea, locustas, ac culices exci-
»tasse : quæ quidem in causa fuerint, quamobrem singulis
»in templis virgam Ægyptii consecrarint, eademque om-
»nino, qua ipsammet Isin, religione coluerint; Isin quippe
»terram esse rati, quæ virga percussa tot miraculorum
»formas exclusisset. At furente nihilominus rege, Moysum
»ad grandinis calamitatem nocturnos terræ motus addi-
»disse, ut qui sese motui subducere conarentur, grandine
»afflicti contusique perirent : qui autem grandinis impetum
»declinarent, terræ quassatione interirent. Ac domos qui-
»dem universas, fanaque tum plurima corruisse : regem

» vero tot malis cladibusque fractum, Judæos sero licet, ali» quando tamen dimisisse. Qui multis ab Ægyptio cum po» culis, tum vestibus corrogatis, aliaque multiplici gaza, » trajectis Arabiæ fluminibus, magnoque confecto itinere, » ad mare Rubrum tertio demum die pervenerint. Atque a » Memphitis quidem ita narrari, Moysum totius regionis » scientissimum, observato reciprocantis æstus tempore, » sicco mari universam multitudinem transmisisse : ab He» liopolitanis vero secus; quippe regem abeuntes Judæos, » quæque ab Ægyptiis mutuo acceperant, secum auferentes, » ingenti exercitu cum animantibus consecratis persecu» tum esse. At Moysum uti mare virga percuteret, divinitus » admonitum, aquam virga tetigisse, ac discedentibus illico » fluctibus, copias sicco tramite deduxisse. Eamdem porro » viam tentantibus, ac fugientium terga prementibus Ægyp» tiis, cum adversum repente ignem coruscasse, tum ipsum » quoque mare patentem semitam refluentibus undis obruis» se, itaque partim igni, partim æstu maritimo Ægyptios » ad unum omnes periisse. Judeos vero ab imminenti peri» culo liberatos, per solitudinem annos triginta continenter » vagatos esse, ac farina, quam cœlitus iis Deus plueret, » panicum figura, candore nivem referente vitam susten» tasse. Cæterum idem Moysum statura proceriorem, co» lore subrufum, promissa jam cæsarie canum, totoque cor» pore augustiorem fuisse, hæcque omnia circa annum » ætatis nonum et octogesimum perfecisse tradit. »

CAPUT VIGESIMUM OCTAVUM.

De eodem, ex Ezechielo.

Jam vero, quemadmodum ipse quoque Moyses a matre paludi expositus, atque a regis filia receptus educatusque fuerit, Ezechielus poeta tragicus fuse persequitur, historia jam usque a Jacobi familiæ in Ægyptum ad Josephum adventu repetita. Is ergo Moysem ipsum hunc in modum loquentem introducit.

« Chananæa postquam deserens Jacob sola,
» Deciesque septem corporum cinctus globo,
» In Pharia venit regna, numerosam insuper
» Sobolem creavit, quæ gravi fato hactenus
» Vexata, dirum gentis infandæ jugum
» Sævasque dominæ pertulit plagas manus.
» Nam cum videret gliscere Hebræum genus,
» Caput inde nostrum fraudibus multis petit
» Rex Pharao, miseros opere lateritio premens,
» Vastasque moles urbium atque turrium
» Labore casso tollere in cœlum jubens.
» Exin profundo masculum quidquid dies
» Natum videret, flumine immersum obrui.
» Me vero genitrix, quod mihi lætam haud semel
» Narrare memini, mensibus texit tribus.
» Deprensa tandem, qua tumens jacet palus,
» Exponit undis plurima insignem nota.
» Procul Mariama stabat observans soror.

»Ecce tibi regis nata cum famulis subit,
»Lustrare liquido gestiens corpus vado.
»Puerum innatantem cernit, ac tollit manu,
»Facileque Hebræum agnoscit. Accurrens simul
»His ultro verbis principem affatur soror,
»Placetne puero gentis Hebrææ statim
»Vocem huc nutricem? Placuit. Hæc subito advolans
»Casum parenti pandit, et celeri gradu
»Jam mater astat, meque complexu fovet.
»Cui nata regis: Hunc mihi puerum educa,
»Curæ ac laboris digna te merces manet.
»Simul ipsa Mosis nomen imponit mihi,
»Quod abs liquenti tulerat incolumen vado.»

Quibus idem poeta Mosis ipsius quæ sequitur orationem adjungit:

«Matura vix me firmat infantem dies,
»Mora nulla, mater principis domum refert,
»Sed ante patrium sedulo pandit mihi
»Genus, ac potentis munus eximium Dei.
»Puerile donec tempus ætatis fluit,
»Regina, prorsus ac sua si me satum
»Fudisset alvo, regium quidquid genus,
»Tantæque sobolis cura poscebat, libens
»Volensque spondet. Ast ubi plenus mihi
»Sinus dierum, regio egressus lare
»(Quo sponte rapior, quo vocat regis dolus),
»Duos in homines, pugna quos gravior ciet,
»Hebræus alter, alter est Ægyptius,
»Incurro. Facti nemo cum testis foret,
»Fratrem eruturus, alterum trado neci:
»Mox illum arena condo, ne quisquam arbiter
»Oculo notatos prodat, ac cædem indicet.
»Iterum sequenti video gentiles die,
»Quos dirus in se mutuo armabat furor.

» Hic ego : Cruenta non parem quorsum manu ,
» Vesane , pulsas ? Ille tum contra ferox :
» Quis cognitorem te dedit ? quis judicem ?
» Men' ergo perimes , alteri qui jam necem
» Heri obtulisti ? Trepidus ad vocem hæreo :
» Nota unde cædes ? Principi cuncta ocius
» Quis gesta narrat ? Interim Pharao mihi
» Eripere vitam cogitat : sed rem audio ,
» Diræque celeri me fuga morti eximo ,
» Nunc ecce terris exul alienis vagor. »

Quibus deinde ista de Raguelis filiabus attexit :

« Has ecce coram virgines septem intuor. »

Quærenti vero cujus essent illæ virgines, ita Sepphora respondet :

« Hæc omnis , hospes , terra quam cernis procul ,
» Libye vocatur, mille quam populi tenent,
» Æthiopes atro corpore. Hanc unus tamen
» Regit imperator, unus ac bellis præest.
» At urbis hujus rector ac judex sedet
» Almus sacerdos , meus , et istarum sator. »

Tum de aquatione pecorum locutus , Sepphoræ nuptias inserit, Chumumque simul ac Sepphoram mutuo colloquentes introducit.

« Sepphora, tamen id hospitem moneas decet ,
» Huic a parente nuptui jam te datam. »

CAPUT VIGESIMUM NONUM.

De eodem, ex Demetrio.

Demetrius autem et hominis Ægyptii cædem, et susceptæ a Mose cum eo, a quo facti suggillatus est, altercationis exitum eumdem in modum, quo sacra historia, commemorat. Quippe Mosem cum sese apud Madianitas fuga recepisset, Jothoris filiam uxorem duxisse, nomine Sephoram, quo ex nomine, eam ex Chetturæ nepotibus et Abraami genere satam esse conjiciat: Abraamum enim Jexanem ex Chettura suscepisse, ab Jexane vero Dadanem, ab hoc Raguelem, a Raguele Jothorem atque Ababum procreatos fuisse; postremo Jothoris filiam Sepphoram hanc extitisse, quam secum matrimonio Moses copularit. Et vero ætatum seriem haud inepte huic suspicioni quadrare. Nam Mosem quidem septimam, Sepphoram vero sextam post Abraamum numerari. Isaaco enim, ex quo Moses originem duxerit, jam secum habente, Abraamum annos natum quadraginta supra centum Chetturam duxisse, et Isaarum ex ea secundo loco suscepisse, cum Isaacum anno centesimo genuisset, sicque annis circiter duobus et quadraginta serius Isaarum illum esse natum, cujus ex stirpe Sepphora prodiisset. Causæ igitur nihil esse, quamobrem Moses et Sepphora eodem tempore vivere non potuerint. Cæterum eos Madiam urbem incoluisse, quæ ab uno ex Abraami liberis nomen acceperit. Liberos enim suos Orientem versus domicilii quærendi causa Abraamum dimisisse, ac prop

terea Mosi deinceps ad Aserothen exprobratum ab Aarone ac Maria fuisse, quod Æthiopissam mulierem in uxorem duxisset. Hæc ipsa Ezechielus, ubi de Judaici populi eductione, persequitur, addito præterea Mosis somnio, quod ab ejus socero explicatur. Sic ergo Mosem cum socero vicissim loquentem inducit.

« Objicitur ingens vertice in summo thronus,
» Radiantis altum fornicem attingens poli.
» Augustus illum nobili specie insidens
» Diadema princeps gestat, ac sceptri arduum
» Pondus sinistra sustinens, dextra annuit.
» Mora nulla, solio proximus gradum premo.
» At ille sponte regio cedens loco,
» Ferenda tradit sceptra, et excelsum jubet
» Thronum insidere, denique augustum comis
» Diadema nectit. At mihi vastum procul
» Orbem intuenti, qua patens infra solum,
» Cœlumque supra funditur : toto æthere
» Vis ecce magna siderum ad pedes ruit.
» Hæc ego seorsum numero : procedunt, velut
» Distinctus ordo militum. Excutior metu,
» Somnumque solvo. »

Quod generi somnium ita socer interpretatur :

« Quam læta Numen, hospes, ostendit tibi!
» O vivus oculis hauriam hanc sortem meis!
» Eia age : superbum, nate, tu solium eriges,
» Ipse imperabis, ipse tu populos reges.
» Nam quod videbas, quidquid aut infra soli
» Cœlive supra vastus ambiret sinus,
» Quod est, videbis, quod fuit, quod post erit. »

Jam de ardente rubo, et quemadmodum ad Pharaonem ablegatus is fuerit, rursus ita Mosem cum Deo loquentem facit.

« Hem, quod flagrantis hoc velit signum rubi ?
» Quid hocce monstri est, quod fidem nunquam impetret?
» Ingens repente flamma corripuit rubum,
» Tamen inter ignes totus, ac viridis manet,
» Cur ita ? subibo propius, hoc miraculum
» Præsens videbo, cui fidem auditus neget. »

Tum ei vicissim Deus:

« Heu siste, bone vir, propius huc subeas cave,
» Moses, priusquam vincla dissolvas pedum.
» Hoc quippe gressu quod teris sanctum est solum.
» Divinus aures afflat ex dumo sonus :
» Animosus audi, nate, sermones meos:
» Mortalis oculus frontis aspectum haud ferat,
» Haurire vocem, cujus hic causa steti,
» Fas tibi. Tuorum, quos vocas, patrum Deus
» Ego sum, Abraam, Isaac, et Jacob tertii.
» Horum, meæque nunc memor clementiæ,
» Huc ipse venio, melior Hebrææ parens
» Vindexque gentis : cujus ærumnas graves
» Duramque vidi sortis infestæ vicem.
» I perge, Moses, nomine Hebræos meo
» Regemque moneas quidquid hic fieri placet,
» Meum ut ipse populum barbaro educas solo. »

Cui Moses hunc in modum respondet:

« Ego impeditus ore, cui titubans moram
» Nectit loquendo lingua, qui regem alloquar ? »

Deus autem :

« Aarona fratrem mitte, cui verbis meis
» Mandata pandas singula. Is regem tua
» Vice alloquatur. Ore tu quidem ex meo
» Audita referes; ille quæ tuo audiet. »

Tum etiam de virga illa, cæterisque prodigiis ita vicissim colloquuntur:

«Dic age, quid illud, quod manu inclusum tenes?
»Virga illa pecoris pariter atque hominum arbitra.
»Hanc mihi solo allide: at simul fuge ocius,
»Quippe ad stuporem vastus existet draco.
»Allisa terræ est. Dexter o serves precor:
»Heu quam tremendus! quanta se moles agit!
»Obsecro, fer opem: corpus en trepidum horruit.
»Nihil est timendum: corripe hunc cauda modo,
»Eritque rursus virga, quæ prius fuit.
»Immitte dextram pectori, ac subito extrahe.
»Viden' ut repente canduit ritu nivis?
»Immitte rursus, extrahes, qualis fuit.»

Tum quibusdam interjectis, ita subdit: «Hæc eadem, *inquit*, Ezechielus in sua Eductione commemorat.» Ac de prodigiis quidem ita Deum loquentem inducit:

«Virga hac timendus cuncta perficies mala.
»Mutabit altum flumen immundus cruor,
»Fontesque liquidos, atque torpentes aquas.
»Ranis scatebit, atque culicibus solum.
»Similis favillæ pulvis involvet diem,
»Lacerumque diris corpus ulceribus fluet.
»Caninus etiam ricinus ac rostro minax
»Fodicabit artus. Fœda mox passim lues
»Bacchata, rigido ferreos corde auferet.
»Cœlum addet iras. Grando sulphureis ruet
»Permixta flammis, et gravi quassum opprimet
»Rebelle vulgus pondere: afflictas ager
»Segetes, trucique verbere obtritum pecus
»Videbit. Atris densa nox umbris polum
»Terrasque volvet triduo: erumpens humo
»Locusta cunctos penitus absumet cibos,

» Frugumque late quidquid in campis viret.
» Quemcunque primum mater in lucem extulit,
» Ferro metetur. Sæva tum populi cadet
» Rabies minacis. Pharao nil horum feret,
» Nisi quod jacentem maximum natu videns,
» Mora nulla, populo liberum egressum dabit.
» At tu ac Hebræum voce compella genus :
» En primus anni mensis hic vobis erit,
» Quo lætus illas cursus in terras patet,
» Quas non movenda patribus indulsi fide,
» Simul ista manda. Mense quem certum indico,
» Perfecta plenum luna cum pandet jubar,
» Nocte antegressa, pascha supremo sacrum
» Faciant Tonanti : victimæ postes cruor
» Designet altos, sævus ut justæ angelus
» Cædis minister servet aspersas domos.
» Hac nocte cunctis assa comedetur caro.
» Rex ipse vestram pavidus urgebit fugam.
» Qua jam imminente, gratia fretus mea
» Ditescet omnis populus : aggestas opes,
» Mundum, atque vestes, auri et argenti grave
» Ingensque pondus : quidquid exposcit via,
» Mulieris ultro mulier in gremium feret,
» Ut justa vester præmia accipiat labor.
» Exinde propria sede cum steterit gradus,
» Ut septem ab illo qui fugam primus dabit,
» Jam tunc Hebræus triverit cursu dies,
» Totidem quotannis, azymos panes edat,
» Deoque supplex, quidquid aut primum pecus
» Satum sub auras fundet, aut primum parens
» Enixa virgo masculum vitæ dabit,
» Quo vulva matris solvitur, sacrum ferat. »

Tunc de ejusdem festi ritibus ita Deum ipsum enucleatius præcepisse scribit :

« Cum mensis hujus decima fulgebit dies,

» Per Hebræorum [1] sanguine affines domos,
» Oviumque lectos et boum fœtus cape :
» Serventur illi, festa post decimam dies
» Dum quarta mundo luceat tum vespere
» Familia tostas rite consumat dapes,
» Quas immolarit [2]. Latera succinctus, pedes
» Indutus ambos, ac manu baculum tenens,
» Epuletur omnis populus. Hanc etenim tremens
» Urgebit ipse Pharao cum reliquis fugam.
» Agno immolato [3], fusus hyssopi cruor
» Fascem rigabit, qui domus vestræ sacer
» Utrumque limen spargat : ut gladius feram
» Procul ab Hebræo transferat mortem lare.
» Exin Supremo maneat hoc festum Patri,
» Septemque solidos absque fermento dies
» Gens tota peragat. Quippe tot finem malis
» Hoc mense statuens, pandit egressum Deus.
« Eritque vobis temporum hic mensis caput. »

Quibus item post alia quædam ista subjungit. « Quinetiam » Ezechielus, *inquit*, eo dramate, quod Eductionem ins- » cripsit, nuntio sequentem orationem attribuit, qua cum » Hebræorum conditionem et statum, tum Ægyptiorum » una cladem commemorat.

« Ut Pharao patriis extulit laribus gradum,
» Rigido phalanges ære metuendas agens,
» Equitumque turmas, et graves currus trahens,
» Tot illa ferro millium facies minax,
» Alis simulque ducibus horrorem ciet.
» Numerosus agmen conficit medium pedes,
» Justum subinde curribus linquens locum.
» Eques at utrumque vallat ac cingit latus.
» Quot iste quæro capita numeraret globus,
» Centum illa decies mille censeri audio.

[1] Exod xii, 3. — [2] Ibid. 11. — [3] Ibid. 12.

» Hebræa jamque castra spectamus procul.
» Alii secundum littus Erythræi maris,
» Hinc inde varios in globos fusi jacent,
» Alii labore et aspera fracti via,
» Famem puerulis atque conjugibus levant.
» Passim supellex, et vagum late pecus.
» Ut nudus acies vidit Hebræus novas,
» Ferale subito exclamat, ac cœlo manus
» Oculosque tendens, patrium Numen vocat.
» Circum tumultu cuncta male sano fremunt.
» At vero nostri gaudio ingenti natant.
» Beelsephontis qua procul sese objicit,
» Adversa castris castra terrorem movent.
» Sed quando pronum Phœbus inclinat diem,
» Conserere pugnam mane sub primum placet,
» Armis et acri militum fretis manu.
» At ecce Pharios territat monstris Deus.
» Ingens columna nubibus densis coit,
» Fixoque Hebræos inter ac nostros pede,
» Sublimis hæret. Ductor hic virgam arripit,
» Qua tot gementem mersit Ægyptum malis,
» Nostrumque fregit mille portentis genus;
» Arripit, et alti verberat dorsum maris.
» Discedit ictu pontus, et salsas gradu
» Subit incitato populus Isacidum plagas.
» At nos fugaces voce sublata sequi,
» Mediaque nocte, quam præit Moses viam,
» Hanc ultro premere, gravior at subito rota,
» Ventosque currus pondus insolitum tenet.
» Ingens repente fulgor e cœlo micat,
» Ardetque flammæ similis. Auxilium Deus,
» Deus ipse miseris dexter auxilium tulit.
» Isacia ripis steterat adversis phalanx,
» Immane Pharios unda jam circum latrat.
» Fugiamus, eheu! miles exclamat; Deus

» Suos potente dextera Hebræos tegit,
» Ferale nobis ultor exitium creat.
» Dum loquitur, alto clauditur fluctu via,
» Totasque Rubrum copias haurit mare. »

Rursumque paulo post, tridui iter confecere, ut Demetrius commemorat, eique sacræ litteræ suffragantur. Verum loco aquæ dulcis penuria laborante, Mosem Dei jussu lignum quoddam in amariorem fontem immisisse, qui subito aqua suaviore fluere cœperit. Inde cum movissent, ad Elimum pervenisse, ubi duodecim aquæ fontes, cum septuaginta palmarum caudicibus invenerint. Quibus de rebus, ac simul de quadam, quæ sese obtulerat volucre, aliquem Ezechielus eodem dramate inducit cum Moyse colloquentem. Ac de palmis quidem, fontibusque duodecim hunc in modum:

« Quam lætus illic, molle qua spirans nemus
» Vallem coronat, obtulit sese locus,
» Attende, Moses; nam vel hinc sedem quoque
» Spectare possis. Inde se primum extulit
» Columna flammæ similis, ac signum dedit.
» Mox viride opaco cernitur pratum solo,
» Liquidique latices: quippe luxurians humus
» Petra ex eadem fonte duodeno scatet.
» Septena decies palma robustis viret
» Subnixa truncis, atque fœcundos agens
» Sublime ramos tollit: atque undis ferax
» Abunde pecori pabulum tellus creat. »

Tum de oblata quadam ave:

« Occurrit exin aliud animantis genus,
» Monstrique simile, nemini visum antea.
» Inusitata mole geminatam fere
» Adæquat aquilam: multiplex pennas color

»Subinde mutat : purpura pectus rubet.
»Miniata rutilant crura : villosam aureo
»Profunda vestit pluma cervicem croco.
» . . . .
»Subflavus extat oculus ; in medio teres
»Pupilla cocco similis ardenti micat.
»Vocem ore mittit omnium suavissimam.
»Atque is volucrum facile se regem probat,
»Sic omnis illum trepida subsequitur cohors,
»Ipse velut altum taurus attollens caput,
»Princeps citato graditur exultans pede. »

Et paucis interjectis, « quæsitum a quopiam fuisse ait, qui » tandem arma Israëlitæ sibi comparassent, qui inermes ex » Ægypto prodiissent. Quippe, sese post tridui iter, fac- » tumque Deo sacrificium, eamdem relegisse viam memo- » rabant. Intelligi ergo facile potest, qui fluctibus obruti » non fuissent, illorum sese armis induisse. »

CAPUT TRIGESIMUM.

De Davide, Salomone et Hierosolymis, ex Eupolemo.

At vero Eupolemus in suo quodam de Heliæ Prophetia opere, auctor est, « Moysem annos quadraginta Prophetæ » munus obiisse, cui Jesus Navæ filius successerit, eodem » annos triginta perfunctus, vita ad annum decimum supra » centesimum propagata. Ad hoc sacrum præterea Taber- » naculum in Silo fixum esse. Postea Samuelem Prophetam » extitisse, ab eoque postmodum Saülem regem Dei jussu

» creatum fuisse, qui circa annum regni vicesimum primum
» obierit. Eidem vero Davidem ipsius filium successisse, qui
» Syros ad Euphratem incolentes, et Commagenem oppi-
» dum, cum iis, qui Galadenem tenebant Assyriis ac Phœ-
» nicibus debellarit. Eumdem adversus Idumæos, Ammanitas,
» Moamitas, Ituræos, Nabatæos, et Nabdæos, itemque con-
» tra Suronem Tyri Phœniciæque regem movisse, quos ille
» omnes Judæis in posterum tributa pendere coëgerit. At
» cum Vaphre Ægyptiorum rege fœdus percussisse. Porro
» cum Deo templum excitare percuperet, vehementius a
» Deo contendisse, uti sibi eximium statuendo altari locum
» indicaret : simulque repente oblatum ei Angelum fuisse,
» qui supra ocum eum, ubi Hierosolymæ ara posita est con-
» sisteret; a quo tamen ejusmodi templum ædificari pro-
» hibitus fuerit, quod sese humano sanguine proluisset, an-
» nosque plurimos bellis gerendis occupatus fuisset. Angeli
» nomen, Dianathanum esse refert, jussumque ab eo Da-
» videm, relicta filio ædificationis moliendæ cura, quæ fu
» turi operis substructio postularet, aurum, argentum,
» æs, lapides, ligna tam cupressina, quam cedrina, diligenter
» ante comparare. Ergo Davidem, his auditis, navibus-
» que apud Achana Arabiæ civitatem ædificatis, effodiendi
» metalli artifices Urphen Rubri maris insulam auri fodinis
» abundantem missise, qui auri plurimum in Judæam inde
» retulerint. Davidem autem, postquam annos quadraginta
» regnasset, imperium Salomoni filio annos duodecim nato,
» coram Helio sacerdotum principe ac tribunis duodecim,
» cum auro, argento, ære, lapidibus, lignisque omnibus
» cupressinis ac cedrinis tradidisse. Salomonem vero, cum
» defuncto patre regnum capessisset, ad Vaphren Ægypti
» regem eam, quæ sequitur, epistolam scripsisse. »

CAPUT TRIGESIMUM PRIMUM.

Epistola Salomonis ad Vaphren.

» Salomon rex Vaphræ Ægypti regi amico paterno salu-» tem. Noveris me summi Numinis beneficio regnum a Da-» vide patre accepisse, a quo Templum Deo cœli terra-» rumque molitori ædificare jussus fuerim, simulque abs te » per litteras petere, uti ad me ex regni tui hominibus fa-» brisque mittas, qui suam mihi operam navent, donec, » uti par est, cuncta, prout jussus ego sum, accurate per-» fecero. »

CAPUT TRIGESIMUM SECUNDUM.

Epistola Vaphræ ad Salomonen.

« Vaphres rex Salomoni regi magno salutem. Litteras » tuas simul atque perlegi, cum ingentem animo cepi læ-» titiam, tum genialem cum universo exercitu populoque » meo diem egi, quod a viro optimo, tantoque Numini » probatissimo regnum acceperis. Quod autem a nobis » homines fabrosque postulas, eorum octoginta millia ad » te misi, quorum etiam natale tibi solum indicare juvat. » Ex Sebrithide præfectura decem millia, ex Mendesia et

» Sebennitide, viginti millia, ex Busiritide, Leontopolitide, » et Bathrithide circiter triginta millia numerantur. Supe- » rest ut iis, quæcumque opus fuerint, abunde suppeditari » cures, partim ne quid inter eos turbarum excitetur, par- » tim ut ædificatione perfecta, salvi ad suos incolumesqne » revertantur. »

CAPUT TRIGESIMUM TERTIUM.

Epistola Salomonis ad Suronem.

« Salomon rex Suroni Tyri, Sidonis, ac Phœniciæ, amico » paterno, salutem. Noveris me, summi Numinis beneficio, » regnum a Davide patre accepisse, a quo Templum Deo cœli » terrarumque Molitori ædificare jussus fuerim, simulque abs » te per litteras petere, uti ad me ex regni tui hominibus fa- » brisque mittas, qui suam nobis operam navent, donec di- » vinum illud opus, prout jussus ego sum, accurate perfe- » cero. Cæterum in Galilæam, Samariam, Moabitidem, » Amanitidem, et Galaditidem scripsi, uti ex regionibus » illis quæcumque opus fuerint, iis affatim suppetant; nempe » in singulos menses, cororum tritici decem millia, qui sin- » guli artabas sex continent; itemque cororum vini decem » millia, qui singuli metra decem efficiunt; oleum autem ac » cætera ex Judæa, hostias vero, quarum ipsi carnibus ves- » cantur, ex Arabia suppeditari jussi. »

CAPUT TRIGESIMUM QUARTUM.

Epistola Suronis ad Salomonem.

« Saron Salomoni regi magno salutem. Benedictus » Deus terræ ac cœli conditor, qui virum optimum ac » parentis optimi filium elegerit. Litteras tuas simul atque » perlegi, summam animo voluptatem cepi, Deoque gra» tias egi, quod regnum capessisses. Quod autem a nobis » homines operasque poscis, Tyriorum ac Phœnicum octo» ginta millia ad te misi, atque inter cæteros architectum, » patria quidem Tyrium, sed matre Judæa eademque ex » Davidis tribu natum, qui tibi, quæcumque ex eo quæsieris, » quæ cœli hujus ambitu continentur, si modo ad architec» turam pertinebunt, ea cum scienter edisseret omnia, tum » etiam facile perficiet. Quod superest, partium tuarum » erit, ad locorum præfectos scribere, uti huic tantæ homi» num multitudini, quæcumque necessaria fuerint, dili» genter abundeque provideant. »

« Salomon igitur, his lectis, paternorum amicorum auxilio » fretus, et Tyriorum Sidoniorumque manu stipatus, lustrato » monte Libano, quidquid lignorum a parente cæsum olim fue» rat, per mare Joppem usque transvexit, indeque pedestri » ductu Hierosolymam comportavit. Protinus ad Templi Deo » voti sese ædificationem accinxit, anno ætatis decimo tertio. » Quod in opus dum universa illa diversorum populorum » multitudo incumberet, tribus Judæorum duodecim res » necessarias centum et sexaginta hominum millibus ita sup» peditabant, ut suum singulæ mensem huic curæ ac pro-

» visioni assignatum et descriptum haberent. Ergo Templi » fundamenta jacta, quod cum sexaginta cubitorum longi- » tudine, totidemque latitudine spatium occuparet, tum » vero fundamenta latitudinis ipsa per se decem omnino cu- » bitos obtinebant. Sic enim a Nathan Dei Propheta jussus » Salomon fuerat. Ac structuram quidem universam ita com- » pingi voluit, ut alterni sese lapidum, et cupressinarum » trabium ordines exciperent, quod utrumque corium æneis » quibusdam, iisque talenti pondo, securium instar, vin- » culis astringeretur. Jam stante universi ædificii mole, » cedrinis cupressinisque tabulis exteriorem lapidum faciem, » ne oculum offenderet, undequaque vestivit; interiorem » vero sic inauravit, ut conflatos ex auro lateres cubitorum » quinque, clavis argenteis quatuor, talenti pondo, atque » uberum in similitudinem collocatis ad parietes affigeret. » Sicque a pavimento ad summum usque tectum ædes tota » auro collucebat : ipsiusque adeo laquearis aureum tabula- » tum, exterius vero culmen æreum totum erat, hoc est » æreis tegulis fuso ære conflatis instratum. Columnas præ- » terea duas in templo statuit, æreas quidem illas, sed auro » purissimo ad digiti unius crassitudinem inductas, a dex- » tris unam, alteram a sinistris; ambas autem ejusmodi, » quæ longitudine tectum ipsum attingerent, ambitu cubitos » singulæ decem implerent. Aurea etiam candelabra fieri » curavit, pondo singula talentum decem, quæ ad illius, » quod in tabernaculo testimonii collocatum a Mose fuerat, » exemplar expressit. Hæc utraque similiter ædis ex parte » constituta, ad dexteram alia, alia ad sinistram, additæque » aureæ lucernæ septuaginta, ut septem accensas candela- » bra singula sustinerent. Templi quoque valvas auro argen- » toque texit, fornicemque desuper cedrinis ac cupressinis » ex tabulis sinuavit. Jam ad septentrionalem ædis partem » ingentem porticum aperuit, columnis æreis octo et qua-

»draginta suffultam. Labrum item adjunxit æneum, longi-»tudinis quidem ac latitudinis viginti, altitudinis vero quin-»que duntaxat cubitos habens. Hoc limbus quidam exterius »ad cubitum unum eminens, ac versus basim circumduc-»tus ambiebat, quo facilius conscenso labro, Sacerdotes »pedum manuumque sordes eluerent. Eidem gradus torna-»tiles fusilesque duodecim, cum justa hominis unius ma-»gnitudine adæquati, ad partem illius posteriorem, altaris »vero dexteram suppositi. Addita insuper basis ænea, non »procul a labro, altitudine cubitos duos obtinens, cui rex »oraturus insisteret, quo facilius a circumstante Judæo Po-»pulo cerneretur. Ad hæc altare erexit, cujus ambitus »cubitorum quinque et quadraginta, altitudo vero duodecim »tantum esset. Postremo, annulos ex ære geminos catenis »implicitos, machinis quibusdam supra templi fastigium »viginti cubitis extantibus imposuit, quorum umbra in to-»tum desuper culmen incumberet: æque singulis retibus »seu catenis ænea tintinnabula, talenti pondo, quadringenta »suspendit, quæ catenis commotis impulsa, tinnitu ac stre-»pitu volucres abigerent, ne vel insiderent templo, vel ni-»dos in valvarum aut porticuum tabulatis construerent, »ædemque sacram sordibus inquinerent. Porro ipsam quo-»que Hierosolymæ urbem muris, turribus, fossisque val-»lavit, augustamque sibi ipsi regiam excitavit. At primum »quidem sacra illa ædes, ἱερὸν Σολομῶνος, Salomonis tem-»plum, nominata est, deinde vero, urbs ipsa Hierusalem, »corrupto vitiatoque Templi nomine appellata, quam Græci »postea Hierosolymam affini geminoque vocabulo nuncu-»parunt. Rex autem post Templum ædificatum, urbemque »munitam, Selomum profectus, Deo mille boum holocau-»stum obtulit; idemque postmodum, et tabernaculum, et »Aram, et quidquid sacræ supellectilis comparatum a Mose »fuerat, arcam, altare aureum, candelabrum, mensam,

»et quidquid aliud fuit, Hierosolymam comportatum, sacra »in æde Prophetæ jussu reposuit, simulque immensum »Deo sacrificium fecit, ovibus ad duo, ac juvencis ad tria »millia et quingenta mactatis. Cæterum vis auri cuncta, in »columnas duas, ac templum universum expensa, talentum »fuit quadragies sexies, argenti vero in clavos ac reliquum »apparatum, ducentorum ac triginta duum supra mille; »æris denique, in columnas, labrum, et porticum, quin-»quaginta supra octodecim millia. Porro Ægyptios ac Phœ-»nices, divisis in singulos decem auri siclis (siclus talentum »erat), suam in patriam Salomon remisit. Ad Vaphrem »Ægypti regem olei metretas ad decem millia, dactylo-»rum ægyptiacarum artabas mille, mellis vasa centum cum »aromatibus : ad Suronem vero columnam auream Tyrum »misit, quam ipse Jovis in templo consecravit.» Addit Theophilus, quidquid reliquum ex auro fuerat, Tyrio regi a Salomone missum esse : illum vero filiæ simulacrum integrum ex eo conflavisse, ipsumque aurea columna quasi theca et involucro quodam inclusisse. Eupolemus autem aureos præterea clypeos mille a Salomone elaboratos esse tradit, quingentorum singulos aureorum; eumdemque vixisse annos quinquaginta duos, ex quibus totos et continentes quadraginta summa in pace regnaverit.

CAPUT TRIGESIMUM QUINTUM.

De Hierosolyma, ex Timochare, ut habetur eodem libro de rebus Antiochi.

Timochares in rerum ab Antiocho gestarum historia : « Hierosolymæ ambitum quadraginta stadiorum esse docet;

» eamdemque expugnatu perdifficilem, quippe quæ prærup- » tis undique fossis vallibusque cingatur. Ad hæc, urbem uni- » versam aquis perlui, quarum de fluxu horti passim omnes » irrigentur : ac tametsi totis quadraginta ab urbe stadiis » summa aquæ penuria laboretur : inde tamen, riguum de- » nuo solum apparere. »

CAPUT TRIGESIMUM SEXTUM.

De eadem, ex mensore Syriæ.

Præterea is, qui Syriam totam mensus est, libro primo sui operis, « Hierosolymam in arduo quodam asperoque jugo » sitam fuisse tradit, partemque murorum aliquam polito ex » lapide, maximam vero ex silice constitisse : itemque ur- » bis ambitum stadia septem ac viginti obtinere : ad extre- » mum eodem ex loco fontem magna aquæ vi scaturientem » existere. »

CAPUT TRIGESIMUM SEPTIMUM.

De aquis ipsis, quæ sunt Hierosolymis, ex Philone.

Ejusdem scaturiginis Philo etiam meminit in iis, quos de Hierosolyma conscripsit libris, quam hyeme arescere, ac rursum æstate ubertim fluere, libro primo hunc in modum cecinit :

« Desuper allabens nova tum miracula vidi.
» * * * qua fons uberrimus undas
» Egerit, atque sinus implet ductusque profundos. »

Et quæ sequuntur, quibus de fluxu ejus pleniore subjungit,

« Scilicet ex alto decurrens vertice fluxus,
» Et pluviis crescens nivibus, sub turribus altis
» Volvitur, et sicco languentia pulvere circum
» Arva rigans, viridis miracula pandit amictus. »

Et reliqua. Idemque rursus de summi Sacerdotis tum fonte, tum aquæ ductu :

« Subter humum lymphas multus sublime canalis
» Egerit. »

Et cætera, quæ fusius ille persequitur. Verum ex Alexandro polyhistore hactenus.

CAPUT TRIGESIMUM OCTAVUM.

De iisdem, ex Aristæo.

Aristæus autem, in eo, quem de Judaicæ legis interpretatione conscripsit, de aquis illis Hierosolymitana urbe fluentibus ita narrat. « Templum, *inquit*, a fronte ortum, » occasum a tergo spectat. Solum ejus universum lapide » stratum, idemque certis et opportunis in locis declivius, » quo facilius aquæ decurrant, quibus ad abstergendum vic» timarum sanguinem pavimentum prolui necesse est, quod » multa pecorum millia diebus festis immolentur. Ac peren-

» nis quidem propterea est aquarum ejusmodi vis atque col- » lectio, quod cum ex interioribus soli visceribus, fons qui- » dam uberrimus, ac plurimas sectus in venas, eo loco na- » tivo cursu influat; tum vero mirabiles præterea tubi, om- » nique oratione majores sub terram elaborati sint, qui, » quantum ex visu conjicere licet, quinque stadiorum circa » Templi molem gyrum efficiant, ex quibus innumerabiles » fistulæ ad latera singula producantur, quibus aquæ omni- » bus ex partibus confluentes egerantur. Atque hæc omnia, » partim ad pavimentum, partim ad ipsos quoque parietes, » opere plumbario, infusa desuper vi magna calcis, adhæ- » rescere, adeoque singulari et accurata quadam arte con- » stare scribit. »

CAPUT TRIGESIMUM NONUM.

De Hieremia propheta, ex Eupolemo.

At enim, cum laudatus supra polyhistor Hieremiæ quoque Prophetiæ meminerit, ineptissimum utique foret, hanc a nobis silentio præteriri. Eam igitur hoc etiam loco attexamus. « Tum Joachimum, *inquit*, regnum capessisse, cujus » tempore Hieremias propheta oracula sua ediderit. Quippe, » hunc a Deo missum, Judæos, interim dum idolo cuidam » aureo, Baalem vocabant, sacrificium facerent, deprehen- » disse, quibus impendentem calamitatem prædixerit. Ac » Joachimum quidem, vivum illum ac spirantem cremare » voluisse: at contra denuntiasse Prophetam, hoc eos ligno- » rum genere Babyloniis opsonia curaturos, et canales ad

»derivandas Tigris et Euphratis undas fossuros esse, pos-
»teaquam eorum in manus ac potestatem venissent. Itaque
»Nabuchodonosorem Babyloniorum regem, ubi rem, quo-
»modo ab Hieremia prænuntiata fuerat, rescivisset, Asti-
»baren Medorum regem, uti hujus expeditionis socius esse
»vellet, obsecrasse, conjunctoque Babyloniorum ac Medo-
»rum exercitu, qui præter decem curruum millia, pedi-
»tum octoginta supra centum, equitum vero centum ac
»viginti millibus constaret, primum quidem, Samariam,
»Galilæam, Scythopolim, et Judæos Galaatidem incolentes
»delevisse: mox vero ipsam quoque Hierosolymam, Joa-
»chimumque regem vivum cepisse, et quidquid in Templo
»auri, argenti, ærisque fuit, detractum Babylonem mi-
»sisse, præter arcam et inclusas in ea tabulas: hanc enim
»penes Hieremiam remansisse.»

CAPUT QUADRAGESIMUM.

Ex Beroso, quem Josephus laudat, de Judæorum captivitate sub Nabuchodonosore; deque Babylonis regibus, a Nabopallasaro usque ad Cyrum. Ex Josepho.

His porro, Judæorum etiam captivitatem attexere, quam a Nabuchodonosore passi sunt, operæ pretium fuerit. « Is
»enim motis in rebellem copiis, justa victum acie in po-
»testatem redegit suam, ac regionem passim universam ad
»imperium suum adjunxit. Sub idem tempus, cum Nabo-
»pallasari patris sui lethali morbo confecti, Babylone, pos
»vicesimum primum regni sui annum, obitus contigisset;

» Nabuchodonosorus, cum supremum ejus diem paulo post » accepisset, rebus Ægypti compositis, cæterisque provin- » ciis, et Judæorum, Phœnicum, ac Syrorum, gentium » Ægypto vicinarum captivis amicorum suorum fidei com- » mendatis, sese in Babyloniam recepit. Idem quibusdam » interjectis, Nabuchodonosorus, inquit, jam affecto, quem » paulo ante dixi, muro, cum in morbum incidisset, anno » regni quadragesimo tertio migravit e vita. Cui cum Evil- » maluruchus ejusdem filius successisset, quod summa re- » rum nefarie ac petulanter abuteretur, anno altero quam » regnare cœperat, Neriglisaræ sororis suæ conjugis insidiis » occubuit. Post quem, idem ipse Neriglisaras parricida » suscepto imperio, quatuor tantum annos regnavit. Ejus » autem filius, Chabaessoarachus nomine, tametsi adhuc » puer menses novem regnum tenuisset, tamen quod jam » tum existentem indolis pravitatem ostenderet, a necessa- » riis suis clam mactatus interiit. Quo sublato, mox Nabon- » nido cuidam Babylonio ejusdem conjurationis socio, com- » muni insidiatorum consilio delatum imperium est. Hoc » regnante, Babylonis mœnia, quæ flumini adjacent, cocto » latere ac bitumine splendidius ædificata sunt. Regni vero » decimum septimum agente annum, Cyrus ex Perside cum » ingenti profectus exercitu, ac reliquum ejus imperium » omne populatus, in Babyloniam ipsam invasit. Quam ejus » impressionem Nabonnidus cum sensisset, ei cum exercitu » occurrendum statuit: verum pugna victus, cum paucissi- » mis fugæ comitibus sese Borsippenorum inclusit oppido. » Cyrus autem, Babylone obsessa, cum muros extra urbem » longe patentes subrui jussisset, quod difficilior et auctuo- » sior ejusdem expugnatio videretur, Borsippum movit, Na- » bonnidum obsessurus. At is, obsidione occupata, Cyro » sese tradidit, qui eum perhumaniter habitum, Babylonia » tantum cedere, et in Carmania deinceps versari voluit.

» Qua in regione , donec supremum obiret diem , Nabonni» dus reliquum omne vitæ tempus exegit. Atque hæc narra» tio consentientem habet cum nostris litteris veritatem. Pro» ditum enim iis est, Nabuchodonosorum anno regni sui » decimo octavo Templum nostrum funditus evertisse, ejus» que excidium totos quinquaginta annos durasse; anno au» tem Cyri regni secundo restitui cœptum, Darii tandem » decimo partibus omnibus absolutum esse. » Ista Josephus.

CAPUT QUADRAGESIMUM PRIMUM.

De Nabuchodonosore, et condita ab eo Babylone, ex Abydeno.

Ego vero, in ea, quam Abydenus de Assyriorum rebus scripsit, historia, de Nabuchodonosore hæc præterea reperi. « Megasthenes, *inquit*, auctor est, Nabucodrosorum » Herculi ipsi fortitudine atque animis præstitisse, atque in » Libyam et Iberiam impetu facto, utriusque jam domitæ » colonias in dextram Ponti plagam deportasse. Quibus per» actis, Chaldæi ferunt, eum conscenso palatio divinitus » repente afflatum, quod sequitur oraculum effudisse : Ille » ego Nabucodrosorus, o Babylonii, imminentem vobis cala» mitatem prænuntio, quam Parcis uti averruncent, nec » Belus generis nostri auctor, nec regina Beltis persuadere » unquam poterunt. Persicus veniet Mulus, qui Dæmonum » vestrorum usus auxilio, durum cervicibus vestris jugum » imponet. Atque hujus cladis auctor etiam Medus quidam » erit, quo ante Assyrii magnopere gloriabantur. O utinam » ipse, priusquam cives ita meos proderet, aut Charybdi

» quadam, aut profundo pelago haustus atque absorptus pe-
» riret, aut alias abreptus, in vias per solitudines erro vaga-
» retur, ubi nullius neque urbis neque hominis vestigium
» appareat, sed feræ duntaxat libere pascantur, volucresque
» circumvolent, adeoque solus medios inter scopulos ac vo-
» ragines jactaretur. Mihi quoque, priusquam hæc ei tam
» nefaria mens injecta sit, feliciorem exitum sortiri liceat.
» Hæc effatus, hominum ex oculis repente sublatus evanuit.
» Atque Evilmaluruchum filium, regni quidem habuit suc-
» cessorem : sed eo postmodum ab se interempto, Nerigli-
» sares sororis ejus vir, filium reliquit Labassoarascum. Quo
» etiam violenta nece sublato, Nabannidochum nulla cum
» eo affinitate conjunctum, regem creant, cui Cyrus postea
» Babylone potitus, Carmaniæ principatum ultro concessit.
» Idem porro conditam a Nabuchodonosore Babylonem fuisse
» ita narrat. Ferunt, inquit, loca hæc omnia jam inde ab
» initio aquis obruta fuisse marisque nomine appellata : ve-
» rum suam singulis regionem Belum assignasse, Babylo-
» nemque mœnibus cinxisse, ac deinceps mortalium oculis
» ereptum esse : postea vero septum illud, valvis distinctum
» æreis, a Nabuchodonosoro extructum fuisse, quod ad Ma-
» cedonum imperium usque steterit. Ac rursus nonnullis in-
» terjectis, Nabuchodonosorus, inquit, regno potitus, Ba-
» bylonem intra quindecim dierum spatium triplici muro
» cinxit, atque Armacalen Acracanumque fluvios, ab Eu-
» phrate ortos, alio derivavit. Tum Sipparenorum urbis in
» gratiam, paludem fodit, cujus ambitus parasangas qua-
» draginta, altitudo vero ulnas viginti obtineret. Eidem clau-
» stra imposuit, echetognomonas vocant, quibus patefactis
» agrum illi suum irrigarent. Maris quoque Rubri eluvionem
» objectis repressit obicibus, ac Teredonem urbem, adver-
» sus Arabum irruptiones excitavit, palatiumque suum ar-
» boribus consitis (pensiles hortos vocabat), exornavit. »

Atque hæc ex Abydeno referre potissimum eo libuit, quod in ipsa Danielis prophetia, Nabuchodonosor, cum in regni sui templo Babylone condito inambularet, has in voces temeritatis et arrogantiæ plenas erupisse legatur : « Nonne hæc » est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, » in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei? Cum- » que sermo adhuc esset in ore ejus [1], » ultorem illum e vestigio tanti fastus exitum subiit.

CAPUT QUADRAGESIMUM SECUNDUM.

De iis qui Judaicæ gentis meminerunt, ex libro primo Josephi, de Antiquitate Judæorum.

Hæc igitur auctorum illorum testimonia nostram in rem protulisse sufficiat. Superioribus omnibus, Josephi tantum ex judaicarum antiquitatum historia verba subjungamus, ubi laudatis infinitorum prope scriptorum locis, idque totidem syllabis, ad extremum ita concludit. « Enimvero satis, » erunt, *inquit*, ad fidem hujus antiquitatis faciendam, Sy- » rorum, Chaldæorum ac Phœnicum historiæ : quibus tot » enim Græcorum auctoritatem attexuimus, cum addere » præterea licuisset Theophilum, Theodorum, Mnaseam, » Aristophanem, Hermogenem, Evemerum, Comonem, ac » Zopyrionem, aliosque forte quamplurimos; nec enim om- » nes evolvi libros, qui rerum nostrarum ex professo memi- » nerunt. Et quanquam eorum etiam, quos nominatim cita-

[1] Dan. IV, 27.

» vimus, plerique quod litteras nostras minime attigerint, a » rerum jam inde ab initio gestarum veritate aberrarunt; » communi tamen consensu omnes eidem antiquitati suffra- » gati sunt, quod unum hoc loco mihi propositum fuerat. » Ex quibus sane Demetrius Phalereus, Philo antiquior, et » Eupolemus, a vero propius abfuerunt, quibus etiam si » quid peccarunt, veniam hoc nomine dare æquum utique » sit, quod librorum nostrorum sensum minus accurate ca- » pere et assequi potuerint. » Hactenus Josephus. Cui vero conscriptos ab eo de Judæorum antiquitate libros volutare placuerit, is apud eum alia pleraque testimonia reperiat, summa cum iis, quæ adhuc laudavimus, consensione conjuncta. Quanquam, ingentem ejusmodi testium, tam veterum, quam recentiorum copiam, ad manum habemus ipsi quoque, qui ad eorum, quos ante produximus, auctoritatem, calculum adjungant suum. Verum, ne modum excedere videamur, eos quidem studiosis excutiendos scrutandosque relinquemus, nos vero, quod superest, susceptum affectumque deinceps argumentum pertexemus.

LIBER DECIMUS.

CAPUT PRIMUM.

Eximias quasque disciplinas a Barbaris ad Græcos traductas esse, ac de antiquitate Hebræorum.

Quibus tandem adducti permotique rationibus Philosophiam Hebræorum Græcæ prætulerimus, quove consilio sacras eorum litteras susceperimus, cum a nobis hactenus explicatum fuerit, ostensumque præterea, ne Græcis quidem ignotum genus illud hominum fuisse, quippe qui nominatim eorum meminerint, vitæ rationes mirum in modum prædicarint; postremo, cum de regia ipsorum metropoli, tum etiam de rebus cæteris plurimam fecerint mentionem: age videamus quoque deinceps, quemadmodum non suis modo scriptis eorum memoriam celebrare voluerint, sed etiam in plerisque decretis ad animorum conformationem pertinentibus, affinem iis geminamque doctrinam æmulari. Et quidem ut reliquas artes, geometriam, musicam, astronomiam, medicinam, primaque adeo grammatices elementa, rerumque aliarum partim cum artificio conjunctarum, partim humanæ vitæ utilium vim infinitam, ex Barbaris eximii nostri præstantesque Græci aliunde alii corrogarint, jamjam abs me demonstrabitur. Præterea, quemadmodum illam de pluribus Diis opinionem, mysteriorum sacrorumque ritus, historias, atque fabulosas Deorum narrationes, earumque ad naturalem quamdam allegoriam traductiones,

et quidquid ex superstitioso errore superest, eosdem a Barbaris mutuatos esse, superioribus libris probavimus; cum vetustissimos illos Græcos, semotas regiones laboribus maximis oberrando, ex emendicata doctrinarum, quibus florebant Barbari, stipe suam illam theologiam conflasse deprehendimus. Sic quæcumque vel ad unius ac summi rerum omnium Moderatoris Dei religionem, vel ad ejus doctrinæ partem, quæ ad animi utilitatem maxime comparata est, quæ quidem præcipua sunt atque potissima totius philosophiæ capita, non aliunde ipsos, quam ex solis Hebræorum fontibus hausisse paulo post ostendemus. Id quod si cui minus probaretur, quod eos in istam opinionum similitudinem inditis a natura notionibus deductos esse defenderet: id ipsum a nobis maxime fuerit, quod ea quæ non Hebræis tantum ab hominibus, theologia prophetiaque clarissimis, ex omni retro memoria tradita sunt, verum a Græcis etiam, si minus omnibus, at nonnullis quidem, iisque tota passim Græcia celeberrimis, adeoque philosophorum ipsorum disputationibus diligenter expensa, æmulari statuerimus. Equidem paucos ejusmodi fuisse intelligo (nam quæ præclara, eadem, ut vulgo fertur, difficilia sunt): at eos tamen, qui reliquos inter philosophos primas facile tenuerunt, ut nominis sui claritate cæterorum omnium famam obscurarint. Neque vero mirum videri debet, quod Hebræorum sententias investigari a Græcis, et curiosius explorari potuisse dicamus: cum reliquas ipsi doctrinas ex Ægyptiorum, Chaldæorum, aliarumque gentium barbararum spoliis non modo conflaverint, sed etiamnum ambitiosæ omnes æmulationis rei teneantur, dum alterius alter plagiarius esse non veretur. Imo quemlibet passim videas vicinorum suorum verba simul atque sententias, operaque nonnunquam integra suffuratum, non secus iis ac propriis laboribus gloriari. Neque tu meam hanc esse vocem arbitrere: ipsos rur-

sus audies Sapientes, quemadmodum in scribendo hoc sibi mutuo plagii crimen impingant. Atque id sane, quando semel eo incumbere cœpimus, ante omnia pervidere necesse est, ut exploratiores istorum mores habeamus. Et quoniam Clemens ille noster fuse admodum Stromate sexto disputationem istam exequitur, hæc tu mihi primum ipsius verba perlege.

CAPUT SECUNDUM.

Ex Clemente, de Græcorum Scriptorum furtis.

« Jam vero, quandoquidem, *inquit ille*, arcanam illam » Græcæ sententiæ vim, ejus quam ex scripturis hausimus » veritatis lumine collustratam protulimus, eoque sensu » deinceps ad illos veritatis ejusdem furtum, si ita loqui fas » est, pervenisse ostendimus: age Græcos ipsos in sese plagii » testes producamus. Nam qui suis in rebus ab aliis alii palam » adeo pleraque suffurantur, ii sane cum sese fures esse » confirmant, tum etiam vel inviti profectam a nobis veri» tatem et vindicare sibi, et cum gentilibus suis, obscure licet, » communicare noscuntur. Si enim suis minime parcunt, a » nostris ægre abstinebunt. Atque ut philosophiæ decreta si» leam, cum sese familiarum duces, ne ingrati videlicet ha» beantur, præcipuarum opinionum capita a Socrate acce» pisse fateantur: ubi paucis aliquot eorum testimoniis, qui » omnium ore celebrantur, summæque sunt apud Græcos » ipsos existimationis, nullo temporum discrimine, suum » illud ac proprium furandi genus arguero, tum demum ad

» ea, quæ ordine consequuntur, me me ipse revocabo. » Hæc ille quasi præfatus, certa deinceps atque omni ex genere furtorum argumenta profert, ducto a poetis initio, quos aliorum poetarum versus atque sententias furatos esse, sua cujusque verba inter sese conferendo, probat. Tum ita prosequitur. « Ne philosophiam, *inquit*, aut historiam, aut » ipsam quoque rhetoricam hac reprehensione carere quis » putet, verum utique fuerit, ex iis etiam disciplinis non- » nulla proferre. » Hic Orphei, Heracliti, Platonis, Pythagoræ, Herodoti, Theopompi, Thucydidis, Demosthenis, Æschinis, Lysiæ, Isocratis, et infinitorum aliorum loca inter sese committit, quorum verba subjungere plane supervacaneum sit, cum ipsorum Clementis scriptorum quivis copiam habeat. Ubi auctoribus illis furti convictis, ista subdit. « Atque hæc furtorum, *inquit*, si sententiam » spectes, apud Græcos varia quasi genera, ei quidem, qui » mentis acie solertiaque valeat, evidentis ac manifesti » exempli causa satis erunt. Jam vero non solas, ut a nobis » ostendetur, sententias vocesque suffurati sunt aut inter- » pretum more fusius elocuti, sed aliena etiam opera » pro suis, quam longa sunt, edidere: ut Eugrammon ille » Cyrenæus, qui Musæo detractum volumen de Thesprotis » integrum nomine vulgavit suo. » Quod ipse posteaquam multis confirmatum ac testatum exemplis reliquit, ad extremum ita concludit. « Vita me deficiat, *inquit*, si quid- » quid illi, dum se nimium amant, furtive surripuerunt, » exponere sigillatim et coarguere voluero: nec non ut pul- » cherrima quæque dogmata, quæ a nobis primum consti- » tuta sumpserunt, pro suis postea venditarint. Nunc vero » non satis ipsi Barbarorum sententias palam suffurari habue- » runt; sed etiam res æmulati nostras, quæ nostri erudiendi » causa, viri sanctissimi, supra communem hominum opi- » nionem, divina vi tanto ante perfecerant, ea Græcarum

» fabularum monstris induerunt. Enimvero, quæremus ex » iis, vera ne sint, an falsa, quæ narrant. Falsa utique nun» quam esse dixerint; nec enim sententia sua tantæ se illi » stultitiæ damnaverint, ut abs se falsa scribi fateantur. » Vera igitur illa esse defendent. Cur ergo, quæ a Mose pro» phetisque cæteris edita miracula sunt, fidem illis adhuc » omnem superare videantur? Nam præpotens ille Deus, » pro ea qua homines universos cura benevolentiaque com» plectitur, jussis alios, alios comminationibus, prodigiis » etiam monstrisque nonnullos, quosdam vero blandis pro» missionibus ad cogitationem salutis adducit. Græci enim» vero, cum diuturniore quondam æstu Græcia passim ex» hausta squaleret, et longa frugum omnium inopia preme» retur, qui superstites adhuc erant, famis, inquiunt, de» pellendæ causa, Delphos suplices adiere. His quemadmo» dum tanto malo defungerentur, consulentibus, viam hanc » unam Pythia levandæ calamitatis aperuit, si Æaci preci» bus uterentur. Quibus ille obsecundans, aliquem in Græ» ciæ montem conscendit, ibique puris in cœlum manibus » sublatis, communem Deum, uti eum perditæ Græciæ » commiseratio caperet, obsecravit. Precibus ille dum ins» taret, ingens illico tonitu exaudiri, nubibus circum undique » obduci cœlum, immensa continuaque vis imbrium vasto » impetu regionem universam inundare. Inde beata messis » existens, Æaci culta sataque precibus, ad lætam maturi» tatem perducitur. Nimirum, inquit Scriptura, *Invocavit » Samuel Dominum, deditque Dominus voces et pluviam in die » messis*. Vides unum esse Deum, qui per subjectas virtutes » *pluit super justos et injustos*[1]? » Et quæ sequuntur. Infinita quippe subjungit Clemens, quibus tanquam certissimis probationibus Græcorum furta manifeste coarguit. Qui si tibi forte suspectus erit, quod perinde ac nos Barbaro-

[1] Reg. XII, 15.

rum philosophiam Græcæ prætulerit ipse quoque: omittatur ille quidem, tametsi non suis, sed Græcorum ipsorum vocibus hanc disputationem instruxerit. Quid respondebis porro, si affinia prorsus ac gemina ex suis illis præstantibus egregiisque philosophis audieris. Age sis ergo, et illorum etiam accipe testimonia.

CAPUT TERTIUM.

Græcos fures esse, ex Porphyrii primo, de erudito auditu.

« Athenis, *inquit*, ad celebrandam Platonis memoriam » convivio nos Longinus exceperat, interque complures alios, » Nicagoram sophistam, Mæoram, Apollonium grammati» cum, Demetrium geometram, Prosenem peripateticum, » et Calietem stoicum invitarat. Quibuscum septimus ipse » accumbebat: qui fervente jam convivio, motaque inter » alios de Ephoro quæstione: Audiamus, inquit, de Ephoro » quid turbarum excitetur. Contendebant Caystrius et Maxi» mus. Ephorum quippe ipsi quoque Theopompo Maximus » anteponebat; eumdem Caystrius plagiarium vocabat. » Quid enim, inquiebat, Ephori singulare ac proprium » est, qui ex Daimachi, Callisthenis, et Anaximenis ope» ribus tria nonnunquam ipsa versuum millia totidem ver» bis in sua transtulerit? Cui Apollonius grammaticus: » Enimvero nescis, inquit, Theopompum illum, quem ei » præferre gestis, eodem quoque morbo laborare, qui libro » de Philippi rebus undecimo, ex Isocrate areopagitica lo» cum illum ad verbum transcripserit, Boni malique nihil

» per sese hominibus evenire, et quæ sequuntur. Isocratem » interea despicit, eoque certamine, quod in Mausoli hono- » rem institutum est, victum abs sese magistrum gloriatur. » Quinetiam res ipsas ille subtraxit, quæ aliorum propriæ » sunt, aliis tribuendo, ut hoc etiam modo mendacii tenea- » tur. Cum enim Andro in Tripode res a Pythagora philoso- » pho prædictas collegisset, interque cætera commemoras- » set, eum aliquando Metaponti sitientem, cum haustam ex » quodam puteo aquam bibisset, terræ motum ante diem » tertium futurum prædixisse. Hic nonnullis interjectis ita » prosequitur. Illam igitur Andronis de Pythagora historiam » Theopompus integram furatus est. Qui si eam de Pytha- » gora commemoraret, alii, quibus ea forte nota jam esset, » eamdem etiam ab Androne narratam esse dicerent. Nunc » vero furtum ipse suum nominis mutatione patefecit. Rem » enim eamdem scribens, nomen supposuit alienum. Id vide- » licet a Pherecyde quodam Syro prædictum fuisse tradit. » Imo non hujus tantum nominis integumento, verum etiam » locorum mutatione suum ipse plagium occultare conatur. » Quam enim de illo terræ motu prædictionem Metaponti » factam esse Andro commemorat, eam in Syria contigisse » Theopompus habet. Navigium item illud, non ab Megara » urbe Siciliæ, sed ab Samo visum fuisse. Postremo Sybaris » expugnationem ad Messanæ cladem transtulit. Quanquam » ut eximium aliquid dicere videatur, hospitis quoque nomen » adjunxit, Perilaum ipsum nuncupari scribens. Ego vero, » excepit Nicagoras, in eorum, quæ cum ipse, tum Xeno- » phon de rebus Græcorum memoriæ prodidit lectione ver- » sans, eum etiam e Xenophonte permulta suam in historiam » traduxisse deprehendi; quodque gravius est, deteriora fe- » cisse. Nam illum sane Pharnabazi cum Agesilao congres- » sum; qui Apollophane Cyziceno sequestre habitus est: ac » mutuum utriusque in sanciendo fœdere colloquium, quod

» libro quarto Xenophon eleganter admodum, et pro ambo» rum dignitate conscripsit, in Græcarum historiarum undecimum transtulit Theopompus : verum ita quidem, ut » omnia sine vi, sine motu, habere prorsus ac jacere vi» deantur. Dum enim is, ut plagium dissimulet, dicendi fa» cultatem ostentare gestit, et elaboratæ dictionis cultum » assuere, tardus, cunctabundus, ac procrastinanti similis » videtur, adeoque vivam illam ac spirantem Xenophontis » efficacitatem elidit. Quibus a Nicagora dictis : Quorsum » vero miremur, inquit Apollonius, Ephorum ac Theopom» pum hoc plagii vitio laborasse, inertes plane ac somno» lentos homines, cum ipsum quoque Menandrum lues ista » pervaserit? Quem Aristophanes grammaticus, quod eum » nimium amaret, in excerptis illis, quibus ipsum cum aliis, » unde furatus est, componit, non nisi leviter blandeque » perstringit. At vero Latinus sex omnino libris, quos de » scriptis haud Menandri propriis edidit, furtorum ejus mul» titudinem patefecit : quemadmodum Philostratus Alexan» drinus de Sophoclis poetæ furtis justum confecit opus. » Imo Cecilius, quasi magnum aliquid deprehenderit, fabu» lam Antiphanis, quem Augurem inscripserat, a Menandro » totam a capite ad calcem in Superstitiosum suum trans» criptam esse testatur. Et quoniam, inquit, vobis, nescio » quo pacto, fures semel prodere visum est, boni etiam » Hyperidis nomen ecce defero; is enim cum adversus Dion» dam, tum in ea, quam de Eubuli donationibus reliquit, » ex Demosthene multa quoque furatus est. Enimvero alter» utrum sane alterius plagiarium fuisse constat; sed tamen » quod æquales ambo fuerint, vestrum erit, Apolloni, tem» poris ipsius vestigiis furem indagare : Equidem Hyperidem » suspicor : verumtamen, quamdiu non certo liquet. Demos» thenem utique, si mutuatus ab altero est, vehementer » admiror, qui tam apposite ejus orationem corrigere po-

» tuerit : Hyperidem contra, si Demosthenis plagiarius est, » permoleste fero, qui tam male vim ejus dictionis infreg» rit. Ac paucis interjectis : Quid attinet, inquit, hoc loc » dicere, aut Hellanici de moribus barbarorum opus, ex He» rodoti Damasique scriptis esse conflatum ? aut Herodotum » in secundo, ex historica Hecatæi Milesii narratione quam» plurima verbis totidem excripsisse ? pauca quædam levi» ter ementitum; cujusmodi sunt, que de Phœnice ave, » deque fluviatili equo, et crocodilorum venatione comme» morat ? aut quæ de quæstionibus in ea de Cylonis hæredi» tate disputat Isæus, eadem apud Isocratem in Trapezitica » reperiri ? imo Demosthenem etiam, in ea, quam adversus » Onetorem unde vi habuit oratione, eadem prope sententia » disserere ? aut Dinarchum in primam adversus Cleomedon» tem plagarum abs se postulatum, multa ex Demosthenis » in Cononem similis injuriæ reum oratione verbis ipsissimis » transtulisse ? aut illam Hesiodi sententiam :

» Haud uxore bona quidquam felicius ulli,
» Tetrius haud quidquam prava contingere possit,

» ab Simonide libro undecimo hunc in modum usurpatam :

» Uxore melius nil bona quidquam viro,
» Mala evenire tetrius possit nihil.

» Quem eumdem in sensum Euripides in Menalippe captiva :

» Mala invenire fœmina pejus queat
» Nihil, bonaque melius optari nihil,
» At iste varium sexus ingenium capit.

» Ejusdem Euripidis illud est :

» Nos heu mulieres germen infelix sumus.

» Quod Theodectes in Alcmæone sic expressit :

» Hoc jure passim nemo non hominum canit,
» Haud esse germen fœmina infelicius.

» Qui quidem sententiæ hujus ansam non ex illo tantum » Euripidis versu arripuit, sed illam iisdem quoque verbis » extulit : nisi quod versute quidem et callide, proverbii ge» nus id facere, eoque tanquam vulgi ore jam trito abuti » maluit, quam ab ejus auctore mutuatus videri. Antima» chus vero in quibus Homeri plagiarius est, in iis correcto» rem agit, nam illum Homeri versum :

» Ἰδεώ θ', ὃς κάρτιστος ἐπιχθονίων γένετ' ἀνδρῶν,

» Atque Idæ, reliquos homines qui robore vicit,

» Vocis unius mutatione sic usurpat Antimachus :

» Ἰδεώ θ', ὃς κάρτιστος ἐπιχθονίων ἦν ἀνδρῶν.

» Quam ejus emendationem Lycophron approbat, quod ea » versum fulcire videatur. Nam alterum quidem illum :

» Τὸν δ' ἀπαμειβόμενος προσέφη κρείων Διομήδης,

» His contra princeps Diomedes vocibus infit,

» facile prætereo, cum eo nomine Homerus Cratini comædia » traducatur, quod suum illud, τὸν δ'ἀπαμειβόμενος, ad satieta» tem inculcet. Quod usque adeo contritum licet, suis ta» men inserere non erubuit Antimachus. Præterea Home» ricum illud est :

» E populis, patrio quos blandus amore regebat,

» Itemque alterum hoc :

» At postquam hinc atque hinc densam instruxere phalangem,

» Quo ex utroque sumptis hemistichiis Antimachus versum » hunc conflavit :

» E regni populis densam instruxere phalangem.

» At enimvero, ne dum furti alios insimulo, furti crimen sub» eam ipse quoque, quinam furta ista patefecerint indicabo.

»Lysimachi extant de furti Ephori libri duo. Eadem Alcæus »contumeliosorum iamborum epigrammatum que scriptor, »faceto carminis genere coarguit. Polionis ad Soterindam, »epistolam de Ctesiæ, itemque librum de Herodoti furtis »habemus. In eo similiter, cui titulus est, Indagatores, de »Theopompo multa leguntur. Extat etiam Aretadis de for- »tuita convenientia opus aliquod, unde hujusmodi pleraque »haurire liceat. Rursumque post alia quædam, Plagiarios, »inquit Prosenes, alios prodidistis. At Platonem illum divi- »num, cujus e nomine festum hunc diem celebramus, eo- »rum scriptis, qui ante se vixerunt, permultis abuti (furem »enim talem virum appellare non audeo), vestrum adhuc »nemo deprehendit. Quid tu ais (inquit Callietes)? Ille au- »tem, Enimvero non tantum aio, sed etiam verbis reipsa »fidem adjungo. Libri quidem eorum, qui ætate Platonem »antecesserint, extant sane perpauci, quorum si copia fo- »ret, plura fortassis hujus philosophi furta deprehensa fo- »rent. Casu vero mihi occurere nonnulla. Cum enim Pro- »tagoræ librum de Ente perlegerem, his illum ego rationi- »bus, eos, qui Ens duntaxat unum esse volunt, refellere »comperi: hoc enim egi, ut, quæ ab illo hanc in rem dis- »putantur, ad verbum ediscerem.» Hæc ipse præfatus, mul- tis deinceps dicti sui veritatem demonstrat. Sed enim, cu- jusmodi Græcorum scriptorum ratio sit, utque ne mutuis quidem aliorum alii reprehensionibus pepercerint, vel ex istis, quæ de infinitis pauca collegi, satis constare exis- timo. Jam vero, ut via summæ illi utilitati magis magisque sternatur, quæ in Græcos Hebræorum ex litteris redunda- vit, facturum me necessarium operæ pretium putavi, si omnem illam, quæ tantopere jactatur, doctrinam philoso- phiamque Græcorum, nec non eorum primarias quasque disciplinas, momentaque artis disserendi graviora, passim eos corrogasse a Barbaris universe ostendero: ne quis ipse-

rum amplius probro nobis vertere audeat, quod haustam a Barbaris religionem atque philosophiam augustis illis eorum mysteriis potiorem habuerimus.

CAPUT QUARTUM.

Quam non sine causa Hebræorum Theologiam Græcorum Philosophiæ prætulerimus.

Quam non sine maturo sanoque consilio, posthabita Græcorum philosophia, Hebræorum theologiam complexi fuerimus, vel ex eo satis intelligas, quod e Græcis ne illi quidem ipsi, qui omnium optime philosophiam tractaverunt, et vulgari de Diis contritoque sermone amplius aliquid majusque cogitarunt, alia veritati consentanea reperire dogmata potuerint, quam quæ apud Hebræos tanto ante sancita et constituta fuissent. Nam cum alii temere æstu quodam falsarum ac multiplicium opinionum abrepti, tandem in altum ineptæ loquacitatis gurgitem effusi sunt: tum illi sane, paulo sinceriore usi judicio, quibus de rebus veram animo notionem informarunt, in iis quidem nonnullum se Hebraicæ doctrinæ gustum habuisse declarant. Et vero consentaneum utique est, ut qui rerum sibi multarum cognitionem compararunt, moresque populorum atque disciplinas curiosius explorarunt, ii nec illorum, de quibus loquimur, philosophiæ genus ignorarint: cum omnibus, ut ita dicam, non Hebræis modo, vel Phœnicibus et Ægyptiis, sed etiam Græcis illis antiquioribus tempore juniores extiterint. Siquidem illis partim ex Phœnice Cadmus Agenoris filius, par-

tim ex Ægypto, vel aliunde, sua illa Dearum mysteria, sacrorumque ritus, signorum collocationes, hymnos, odas, epodasque, seu Thracius Orpheus, seu quivis alii vel Græci vel Barbari erroris duces ac principes fabricarunt: nec enim vetustiores alios sese vel ipsi quoque Græci nosse fateantur. Ac primum quidem Orpheum, Linum inde, tum Musæum, circa Trojana tempora, vel paulo ante floruisse volunt. Atqui nihil sane tum, præter Phœnicum atque Ægyptiorum scatentem erroribus theologiam, Græcorum respublica noverat. Quam eamdem in omnibus sacrorum mysteriorumque rationem gentes etiam reliquæ in suis quæque regionibus urbibusque retinebant. Quippe, illa jam tum apud omnes, de qua superius locuti sumus, de Diis opinio passim obtinebat: templa ubique magnifica, omnique signorum ac donariorum genere ad eximiam speciem ornabantur: simulacra cum ex omni materia, tum in quamlibet mortalium animantium formam eleganti artificio fingebantur. Plurima quoque apud omnes oraculorum erat maximaque copia: quique magnus apud Græcos potissimum habitus est augustusque Deus, eodem maxime florebat tempore, Pythius, inquam, ille, Clarius, atque Dodonæus: quem Amphiaraus deinde, Amphilochus, et infinita deinceps alia vatum potius, quam poëtarum aut rhapsodorum multitudo consecuta est. At vero philosophia, cum non nisi multis post eos sæculis venisset in Græciam, nec quidquam rerum suarum apud eorum majores inveniret, quidquid insuper in patriæ theologiæ mysteriis præclari olim sanctique habebatur, nec non illa, quæ omnium ore jactabantur, egregia divinaque oracula, et plena vanitatis, et ab omni utilitate vacua re ipsa deprehendit. Ergo iis secundum in locum rejectis, quod nihil sibi ad rerum necessariarum ac verarum investigationem commoditatis afferre possent, errare deinceps vagarique, et quando nuda per sese erat, ac

propriarum facultatum inops, peregrina saltem barbaraque rimari, quæque sibi usui esse possent colligere undique, et quidquid apud quoslibet populos reperiret, sedulo corrogare. Nec enim veram duntaxat theologiam, sed alias etiam artes atque doctrinas humanæ vitæ perutiles, Græcis hominibus deesse cognovit. Et vero Græci fatentur ipsi, non nisi post Orpheum, Linum ac Musæum, qui videlicet theologorum omnium antiquissimi, ac principes, falsæ hujus de multitudine Deorum opinionis fundamenta jecerunt, viros illos omnino septem philosophiæ in Græcia laude claruisse, quos ipsi quoque sapientes nominarint. Atqui Cyro Persis imperante floruerunt omnes : quo tempore Prophetarum apud Hebræos omnium novissimi extitere, annis post Tojana quidem tempora amplius sexcentis; post Mosem vero non paucioribus mille ac quingentis, ut facile tibi paulo post ex temporum ratione serieque constabit. Cæterum eo circiter ævo, cum recentiores isti septem sapientes emersissent, humanioris quidem et castigatioris disciplinæ magistri fuisse perhibentur, sed tamen præter celebres quasdam eruditasque sententias, nihil admodum reliquerunt. At longe serius philosophorum in Græcia vigere nomen ac prædicari cœpit. Horum princeps ille Pythagoras, Pherecydis ante discipulus, a quo philosophiæ nomen inventum est, Samius, ut nonnulli volunt, vel, ut aliis placet, Tuscus erat. Nec desunt, qui Syrum eum aut Tyrium fuisse dicant. Utut sit, illum et philosophorum principem, et Græcorum omnium ore celebratum, non Græcum tamen, sed Barbarum esse fatendum est. Quinetiam ipsum quoque Pherecydem, cui Pythagoram operam dedisse ferunt, Syrum fuisse memorant. Quanquam non eo tantum doctore Pythagoram usum esse tradunt, sed etiam cum Magis apud Persas, cum Prophetis apud Ægyptios consuetudinem habuisse; quo quidem tempore partim in Ægyptum, partim Babylonem Hebræos

migrasse liquet. Ita noster hic philosophus, quid apud quosque præclarum et eruditum esset, diligenter explorans, Babylonem, Ægyptum, Persidemque peragravit, magorum ac sacerdotum disciplinis imbutus. Idem præterea brachmanas (Indorum philosophi illi sunt) audiisse fertur. Is ergo cum ab aliis astrologiam, geometriam ab aliis, ab aliis arithmeticam et musicam, aliaque ab aliis didicisset, a solis Græcis auferre nihil potuit, tanta illi tum penuria sapientiæ, ac rerum omnium ignorantia laborabant. Contra peregrinis ipse artibus doctrinisque cumulatus, eruditionis omnis in Græcia fontem aperuit. Ac Pythagoras quidem ejusmodi fuit. Ab eo deinceps primum philosophiæ genus propagatum est, quod ab Italia, ubi plurimum viguerat, Italicum appellarunt. Tum alterum illud secutum est, quod Thales e septem sapientibus unus instituit, quodque dixerunt Ionicum. Huic successit Eleaticum, quod Xenophanem Colophonium parentem sibi vendicat. Porro Thales ipse quoque, vel Phœnix, ut nonnulli scribunt, vel ut alii, Milesius fuit : idemque cum Ægyptiis etiam Prophetis commercium habuisse fertur. Jam Solonem, unum item e septem illis sapientibus, quemque Atheniensibus leges tulisse fama communis est, Ægyptiis, quo tempore Hebræi rursus Ægyptum incolebant, similiter inhæsisse testis est Plato. Eum quidem in Timæo, quasi a Barbaro quodam erudiatur, inducit; ubi Ægyptius inter cætera : « O Solon, inquit, » Solon, pueri semper Græci estis, neque senex e vobis quis» quam, neque canum apud vos ullum disciplinæ genus. » Quin idem ipse Plato, non contentus ea, quæ sibi cum Pythagoreis in Italia fuerat, consuetudine, in Ægyptum navigasse, ac perdiu in eorum philosophiam incubuisse dicitur. Atque hoc ipse testimonio, pluribus operum suorum locis barbaros cohonestat, quo in genere laudabilis, meo quidem judicio est, dum egregia animi æquitate, pulcherri-

mis sese ac præstantissimis philosophiæ opibus a Barbaris instructum esse confitetur. Sane vero illum audias cum alibi passim, tum etiam in Epimenide, hoc fere modo de Syris Ægyptiisque loquentem. « Atque hujus rei auctor, » *inquit*, Barbarus is fuit, qui princeps ista perviderat. Hos » enim aluit pervetusta regio, qui propter æstivæ tempestatis » amœnitatem, quæ maxima in Ægypto ac Syria est, eo- » rum primi vim atque rationem animo informare potue- » runt : unde etiam illa deinceps infinito jam explorata tem- » pore, ac maturitatem assecuta suam, cum ad gentes » alias, tum ad nos etiam pervenerunt. « Tum paulo post ita colligit : « Ergo secure concludamus, quæcumque Græci a » Barbaris acceperint, ea tandem ipsos facere meliora. » Sic Plato. Quinetiam ante Platonem, Democritum ferunt, Babyloniorum de moribus disputationes edidisse : adeoque hunc in modum ipse alicubi gloriatur. « Plus, *inquit*, ego » terrarum obii, quam ullus æqualium, disjunctissima quæ- » que lustravi, cœli solique genera cognovi quamplurima, » eruditos homines permultos audivi, nec in ducendis com- » mittendisque lineis, vel eorum, qui apud Ægyptios Arse- » pedonaptæ nominantur, quisquam me demonstrationum » certitudine superabat, quibus in omnibus ad annosocto- » ginta, peregrinus hospesque versatus sum. » Enimvero Babylonem iste quoque Persidem, Ægyptumque, peragravit, Ægyptiisque ac sacerdotibus operam dedit. Quid si Heraclitum, cæterosque Græcos tibi commemorem, ex quibus manifeste quivis intelligat, Græcorum rempublicam summa penuria diutissime laborasse, atque omnibus disciplinis vacuam nudamque perstitisse? Sacris videlicet Numinum simulacris passim erigendis, vaticinationibus et oraculis, atque ambitiosa illa fallacium ac fraudulentorum Dæmonum specie gloriabatur; veræ sapientiæ, omnisque omnino doctrinæ, unde fructus in vitam aliquis redundet,

præsidiis carebat. Nec vero quidquam iis ad bene prudenterque sentiendum inanes oraculorum voces conducebant; imo ne egregius quidem ille Pythius, ad philosophiæ, aut alius e Diis quisquam, eos ad ullius rei necessariæ parandam copiam juvabat. Sed vario huc atque illuc errore jactati, ac toto vitæ suæ tempore discursantes, ex alienis sibi plumis, ut est in fabula, cultum atque ornatum quærebant: adeo quidem, ut ex precaria stipe sua jam illis Philosophia constet universa. Nam aliunde alia disciplinarum genera exprimentes, geometriam ab Ægyptiis, a Chaldæis astrologiam, ab aliis alia habuerunt. Nec tamen usquam gentium, ei bono simile quidquam repererunt, cujus apud Hebræos ipsorum nonnullis facta copia est. Summi rerum omnium Moderatoris Dei cognitionem, suorumque Numinum rejectionem intelligo, quam utramque paulo post susceptæ disputationis progressus ostendet. Nunc enim tantum id agimus, nostri ut lectores intelligant, Græcos illos veteres non vera modo theologia, sed etiam doctrinarum, quibus philosophiæ studia promoveri possunt, adeoque illarum ipsarum, quibus reipublicæ status informatur, cognitione caruisse. Cujus ego rei probationem, ad illud, quod efficiendum mihi deinceps ac demonstrandum proposui, lucis plurimum allaturum esse confido: siquidem ea defensionis nostræ suscepta ratio est, uti non inconsulto ac temere, Hebræorum, hoc est, ut ipsi quidem interpretantur, Barbarorum hominum philosophiam, Græcæ a nobis antepositam fuisse ostendamus. Nam si Græcos ipsos, clam licet, omnia tamen a Barbaris tanto ante corrogasse, nec solum abs Diis suis nihil ad consequendam philosophiam opis accepisse, verum etiam justis eos nominibus insimulasse constiterit, quamobrem nonnulli quoque divinitatem omnem tollere, quam hoc Deum genus colere maluerint: quis deinceps factum reprehendat, ac non potius probet, laudetque

nostrum; qui melioris amore capti, aut potius in parta ejus, quod verum unum est, cognitione acquiescentes, nos vanitati subduxerimus, neque in Divinitatis sublatæ scelus cum istis Græcorum sapientibus præcipites acti, neque cum egregiis philosophis vecordem illam insanamque Deorum multitudinem, cum summi ac præpotentis Dei notitia fœdissime commiscentes, neque falsum omnino cum vero confundentes? Verum hæc postea viderimus: nunc ea tu mihi primum expende, quibus Græci non solas philosophiæ disciplinas, sed ipsas etiam vitæ communis tuendæ artes barbaris hominibus furati esse arguantur.

CAPUT QUINTUM.

Nihil non a Barbaris Græcos accepisse.

Cadmum illum certe quidem, qui communes litteras adeoque prima grammatices elementa Græcis informavit, genere Phœnicem fuisse constat, ut easdem litteras veteres nonnulli propterea Phœnicias appellarint. Nec desunt, qui a Syris excogitatas illas fuisse velint. Syri autem illi, Hebræi etiam utique fuerint, qui finitimam Phœniciæ regionem, quæque Phœnicia quondam ipsa quoque, tum Judæa, hodie vero a nostris Palæstina dicitur, incolebant. Et vero proxime sane ad Hebræorum nomina Græcarum litterarum accedit appellatio. Cum enim suum cuique apud Hebræos elemento nomen singulari quadam et propria significatione attributum fuerit, quod apud Græcos locum profecto nullum habet, sequitur omnino, ut minime Græcorum

propria esse fateamur. Sunt autem elementa Hebræis omnia duo ac viginti. Primum dicitur alph, disciplina Græce reddi possit. Secundum beth, quasi domus. Tertium gimel, hoc est plenitudo. Quartum delth, quasi librorum dicas. Quintum he, id est ipsa. Quæ omnia si conjunxeris, sententiam ejusmodi aliquam efficias: Disciplina domus, plenitudo librorum ipsa. Jam sextum ab iis elementum vau nuncupatur, hoc est, in ipsa. Septimum zai, hoc est, vivit. Octavum heth, quod significat vivens. Ex quibus hic sensus colligitur: In ipsa vivit vivens. Nonum, teth, id est bonum. Decimum ioth, quod redditur principium: quæ duo bonum principium efficiunt. Undecimum chaph, hoc est, verumtamen. Duodecimum labd, hoc est, disce: quod utrumque simul est, verumtamen disce. Decimum tertium, mem, quod significat, ex ipsis. Decimum quartum, nun, id est, æternum. Decimum quintum samch, quod exponitur, auxilium: ut sensus hic existat: Ex ipsis æternum auxilium. Decimum sextum, ain, quod fontem vel oculum significat. Decimum septimum, phe, os. Decimum octavum sade, hoc est, justitia: unde hanc sententiam elicias: Fons, vel oculus, et os justitiæ. Decimum nonum coph, id est, appellatio. Vicesimum res, quod est, caput. Vicesimum primum sen, hoc est, dentes. Vicesimum secundum, idemque postremum, vocatur ab illis thau, quod signa interpretari queas: hoc sensu, appellatio capitis, dentiumque signa. Hujusmodi ergo litterarum apud Hebræos appellatio significationem habet, ex qua quidem integræ orationis existit ea sententia, quæ litterarum istarum cognitioni, ac promissioni cuidam belle admodum apteque conveniat. Cui simile apud Græcos nihil usquam reperias, ut eas, quod paulo ante dicebam, fateri necesse sit Græcorum proprias non esse, sed palam ex barbara lingua levi quadam vocis mutatione traductas. Id quod ex Græca singulorum elementorum appellatione

quivis intelligat. Quid enim alph ab alpha magnopere differt? quid autem vel betha a beth, vel a gamma gimel, aut delta a delth, aut epsilon ab he, aut a zai zeta, aut theta a theth, cæteraque deinceps? Maneat ergo, voces illas non Græcorum, sed Hebræorum esse, apud quos sua cuique significatio tribuitur. Ibi vero natæ cum essent, cum ad alios deinde, tum ad ipsos quoque Græcos pervenere. Atque hæc de primis litterarum elementis modo satis. Jam vero Clementem audi, in eadem mecum disputatione versantem.

CAPUT SEXTUM.

In eamdem sententiam Clementis verba.

« Medicinam autem, *inquit ille*, primum ab Api quodam » Ægyptio inventam, deinde ab Æsculapio auctam esse fe» runt. Atlas ille Libycus et navim ædificavit primus, et » primus mare navigavit. Ægyptii cum Chaldæis astrologiam » in hominum genus principes invexerunt. Nec desunt, qui » artem ex sideribus præsentiendi a Caribus excogitatam esse » velint. Avium autem volatus primi Phryges observarunt. » Aruspicinam Thusci Italiæ finitimi apprime calluerunt. » Isauri atque Arabes augurandi scientiam, Thelmissences » divinationem ex somniis haustam coluere. Tyrrheni tu» bam, Phryges tibiam invenere : Olympus enim et Marsyas » ex Phrygia oriundi erant. Lucernas item accendere primi » omnium Ægyptii docuerunt, primi et annum duodecim » in menses tribuerunt, et cum mulieribus in templis

» rem habere vetuerunt, et nemini, qui non sese ab uxoris » congressu lustrasset, patere templa voluerunt. Ab iisdem » quoque profecta geometria est. Telmis autem et Damna- » meneus Idæorum Dactyli ferrum in Cypro : Delas alius » quidam Idæus, vel ut Hesiodus mavult, Scytha ferri tem- » perandi artem primi repererunt. Sane quidem Thraces et » primi harpem, incurvus is gladius est, invenerunt, et » primi peltas in equis gestare cœperunt : quarum etiam » usum per sese Illyrii habuerunt. Tuscis fingendi artem » vulgo acceptam ferunt, Itano, qui Samnites fuit, scutum. » Cadmus Phœnicius lapidicinam reperit, aurique metalla » sub Pangæum montem deprehendit. Cappadoces, aliud » quoddam hominum genus, uti quod nablium vocant, ita » quod dichordum, Assyrii principes invenere. Quadrire- » men Carthaginienses moliti primi sunt, quam Bosporus » indigena ædificavit. Medæa illa Colchis, Æetæ filia, infi- » ciendæ comæ artem excogitavit. Noropes (gens est Pæo- » niæ, Noricos hodie appellamus), conflandi æris, ferrique » purgandi rationem primi tenuerunt. Amycus rex Bebry- » ciorum cæstus pugilum primus invenit. In musica Lydium » concentum Olympus Mysus sedulo ac solerter excoluit: » Troglodytæ, quos vocant, sambucæ, quod et ipsum instru- » menti musici genus est, auctores fuere. At obliquam fis- » tulam Satyri, trichordum, quamque diatonum harmoniam » nuncupant, Agnis; pulsandarum fidium artem, Olympi; » mixophrygium et mixolydium genus, Marsyæ inventum » esse ferunt, quos omnes in Phrygia natos esse constat. At » Thamyri cuidam Thraci Doricum tribuitur. Jam a Persis » currum, lectum, atque suppedaneum, a Sidoniis vero » triremim profectam esse accepimus. Siculi autem Italiæ » finitimi, cum phormingem, citharæ non absimilem, tum » etiam crepitacula primi reperere. Vestem byssinam Semi- » ramide Assyriis imperante inventam fuisse memorant.

» Atossam Persarum olim reginam, epistolarum conficien-
» darum auctorem fuisse tradit Hellanicus. Atque hæc omnia
» Scammon Mitylenæus, Theophrastus Ephesinus, Cydip-
» pus Mantinensis, nec non Antiphanes, Aristodemus, et
» Aristoteles, adeoque Philostephanus, et Strato peripateti-
» cus, in suis de rerum inventione libris memoriæ prodide-
» runt. Ex quibus pauca ista proferre placuit, quæ vim illam
» inventricem, vitæque cultricem humanæ, Barbarorum in-
» geniis insidentem, a quibus ipsi quoque Græci artes ac
» disciplinas hauserunt, certius comprobarent. » Hæc totidem verbis Clemens primo Stromaton. Quibus tanti futurum existimo, nonnulla ex eo Josephi Hebræi opere insuper adjungere, quod de Judæorum antiquitate libris duobus elaboravit, ubi et juniores fuisse Græcos, et a Barbaris accepisse quamplurima, nec non inter sese pugnantia scripsisse demonstrat. Illa quippe ad pleniorem quoque ac firmiorem eorum, quæ adhuc a nobis allata sunt, fidem maxime pertinebunt. Audi ergo, quemadmodum ipsæ præterea loquatur ad verbum.

CAPUT SEPTIMUM.

Ex Josepho in eamdem sententiam.

« PRIMUM, *inquit ille*, vehementer eos mirari subit, qui
» de rebus antiquissimis, non aliis fidem quam Græcis ho-
» minibus habendam esse, non nisi ab illis verum expectan-
» dum, proinde neque nobis, neque aliis quibuscumque cre-
» dendum arbitrantur. Equidem hoc in genere secus omnino
» statuendum intelligo, si modo verum e rebus ipsis haurire

» potius, quam vanis et insulsis opinionibus inhærere mali» mus. Enimvero nova certe apud Græcos omnia, et ante » unum, ut ita loquar, alterumve diem extitisse reperias, » urbium molitionem, excogitationem artium, legum pers» criptionem. Omnium vero novissime ad scribendam histo» riam sese contulerunt. At vero Ægyptiis, Chaldæis, Phœ» nicibus (ne cum iis nostrates hoc loco numerem) vetustis» simam atque constantissimam rerum suarum manere me» moriam Græci fatentur ipsi. Etenim cum regionem inco» lunt omnium minime infesto cœlo laborantem, tum dili» gentiam in eo singularem adhibuerunt, uti ne quid e » rebus suis oblivione consepultum jaceret, sed potius om» nia publicas in tabulas virorum sapientissimorum manibus » referrentur. Contra vero tractum illum Græciæ universum, » infinitorum morborum subinde depasta lues, rerum ges» tarum memoriam funditus abolevit, adeoque novo semper » instituto vitæ curriculo, suum quique sibi universæ princi» pium et caput esse facile persuaserunt. Iidem sero admo» dum, vixque tandem litterarum naturam didicere. Nam » qui vetustissimum illarum usum esse volunt, eas illi sese » a Phœnicibus atque a Cadmo accepisse gloriantur. Neque » tamen quisquam aut in sacris, aut in publicis usquam mo» numentis, litterarum ullum ejus temporis extare vestigium » ostenderit : cum de illis ipsis, qui Trojanam expeditionem » tanto post suscepere, dubitatum perdiu quæsitumque sit, » num litteris uterentur. Qua de re verior ea constantiorque » sententia jam obtinet, ignoratum ab iis hodiernum illa» rum usum fuisse. Neque tu scriptum omnino apud Græcos » ullum, cujus de fide modo constet, Homerica poësi anti» quius invenias. At eum post Trojana tempora natum esse » nemo non fatetur : imo ne ab ipso quidem litteris suam il» lam poësin mandatam esse ferunt, sed posterorum memo» moria propagatam aliquandiu, variis ex cantilenis collec-

» tam demum et contextam fuisse, ac propterea tantum in » ea vulgo discrepantiæ reperiri. Ergo qui ex illis ad scriben- » dam historiam animum appulere, Cadmus, inquam, Mi- » lesius, et Acusilaus Argivus, ac si qui præterea nominan- » tur, paulum admodum Persicam adversus Græcos expe- » ditionem tempore anteverterunt. Ad hæc qui de rebus cæ- » lestibus atque divinis primi apud eos philosophari cœpe- » runt, ut Pherecydes Syrus, Pythagoras, et Thales, illos » et Ægyptiorum Chaldæorumque discipulos fuisse, nec » nisi pauca scripsisse, ore omnes uno pronuntiant : atque » illa Græci cum omnium vetustissima esse arbitrantur, tum » vix etiam ab illis scripta fuisse credunt. Quis igitur vano » stolidoque fastu Græcos laborare non videat, qui sibi et » res antiquas tenere soli, et soli accuratam illarum inte- » gramque veritatem tradere videantur? Imo, quis non ex » iisdem scriptoribus illud perfacile auferat, perspecti ab » iis nihil exploratique conscriptum, sed tantum quatenus » assequi conjectura potuerint? Itaque scriptis suis alios » passim alii reprehendunt, nec iisdem omnino de rebus » longe diversa loqui erubescunt. Ego vero importunus et » otiosus utique videar, si quibus id quam ipsi mihi notius » est, percensere velim, quam in genealogiæ rationis multa » sint, in quibus Hellanicus ab Acusilao dissideat : quam » apud Hesiodum Acusilaus multa castiget : quam sæpe men- » dacii reum Hellanicum Ephorus, Ephorum Timæus, Ti- » mæumque recentiores, denique Herodotum universi pera- » gant. Neque vero aut de rebus Siculis eadem Timæus, quæ » Antiochus, Philistus, et Callias, sentire voluit : aut in » Atticarum, vel Argolicarum historia, qui genus idem scri- » bendi suscepere, aliorum alii sensum mentemque secuti » sunt. Quanquam quid ea persequi attinet, quæ per urbes » passim contigere; et angustioribus omnino regionibus » continentur, cum in ipsa quoque Persica expeditione, ac

»rebus in ea gestis, laudatissimorum scriptorum magna sit »plerumque dissensio? Prorsus ut ipse quoque Thucydides, »licet accuratissimam temporum suorum historiam per- »scribere videatur, a nonnullis tamen erroris ac vanitatis ar »guatur. Cujus sane discidii, cum aliæ fortassis plurimæ »aliis in illud anquirentibus occurrere possint, tum has »præcipue duas summi momenti causas esse intelligo. Atque »ut ab ea, quæ mihi potior videtur, incipiam, cum totum »illud res eas, quæ ubique fierent, publicas in tabulas re- »ferendi studium a Græcis jam usque ab initio neglectum »fuisset, id sane cum errori maxime viam aperuit, tum iis »etiam omnibus, qui de rebus antiquioribus scribere cogi- »tarent, licentiam obtulit impune mentiendi. Nec enim re- »liqua dumtaxat Græcorum natio hanc tabularum conficien- »darum curam jacere permisit: sed ne apud Athenienses »quidem, quos tamen et indigenas, et disciplinarum ap- »prime studiosos esse ferunt, quidquam ejusmodi factum »reperias: cum e publicis quidem litteris, antiquissimas »leges eas fuisse tradant, quas ipsis Draco de cæde tulit, »homo qui nonnisi paulo ante Pisistrati tyrannidem lucem »aspexerat. Nam Arcadum meminisse quid attinet, qui »cum de sua tantopere vetustate glorientur, vix tamen etiam »post illa tempora litterarum informari cognitione cœpe- »runt. Ita plane, cum vetustior commentarius nullus exta- »ret, qui vel docere discendi cupidos, vel mentientes ar- »guere posset, maxima est scriptores inter excitata dissensio. »Cui tu causæ alteram hanc adjungas licet. Qui enim ad »scribendum sese contulerunt, ii non veritatis utique studio »ducebantur, licet hoc profiteri solemne passim omnibus »translatitiumque sit: sed vim orationis unam ostendebant, »atque ita quo se quisque genere alios superaturum esse »maxime confidebat, in eo elaborabat plurimum. Ergo alii »fabulas texere, alii civitatum aut regum benevolentiam et

» gratiam laudationibus eblandiri cœperunt : nonnulli res » ipsas, aut illarum scriptores carpere ac vituperare malue- » runt quod in eo sese facilius excellere posse sperarent. Cæ- » terum isti cum historiæ legibus omnino pugnant. Cum » enim eo potissimum argumento historiæ veritas compro- » betur, si de rebus iisdem eadem omnes pronuntient ac » scribant; ita sese demum isti maxime reliquos omnes ve- » ritatis opinione superaturos putarunt, si ab reliquis maxime » dissiderent. » Hactenus etiam Josephus. Quorum omnium quoddam quasi sigillum esto Diodori testimonium, quod ex primo conflatæ ab eo bibliothecæ proferemus. Sic enim ad verbum habet.

CAPUT OCTAVUM.

Ex Diodoro in eamdem sententiam.

« His, *inquit* [1], a nobis diligenter enucleatis, ostenden- » dum nobis est, quam multi Græcorum non minus pruden- » tia, quam eruditione præstantes, in Ægyptum olim pro- » fecti sint, ut ejus populi mores doctrinæque genus cognos- » cerent. Enimvero, sacerdotes Ægyptii sacrorum librorum » auctoritate confirmant, ad suos Orpheum aliquando, Mu- » sæum, Melampodem, ac Dædalum, nec non et Homerum » poëtam, Lycurgum Spartiatem, Solonem Atheniensem, » Platonem philosophum, Pythagoram Samium, Eudoxum » mathematicum, Democritum Abderitam, et Œnopidam » Chium accessisse. Quorum illi monumenta quædam etiam- » num repræsentant, aliorum quidem, imagines, aliorum

[1] Diodor. lib. I.

» vero, partim loca, partim opera quædam ipsorum cognomentis insignia. Quinetiam ex singulari cujusque ac proprio doctrinæ genere id ipsum manifeste colligunt, dum eos, quidquid tantum ipsis apud Græcos admirationis peperit, id totum ex Ægypto deportasse demonstrant. Quippe, Orpheum enim partem mysticorum sacrorum maximam, quæque de ipsius errore orgia celebrantur, ac totam illam inferorum fabulam ab Ægyptiis derivasse. Nam et Osiridis religiones, illas ipsas esse, quas Baccho attribuit, et Isidis inter Cererisque cultum affinitatem esse permagnam, adeoque solam nominum mutationem interesse. Quod autem et impiorum apud inferos supplicia, et prata piorum amœnissima, et fictitias illas passimque vulgatas mortuorum umbras invexerit, in iis omnibus solemnes in funeribus Ægyptiorum ritus imitatum fuisse. Nam veteri Ægyptiorum instituto, Mercurium illum deducendis animabus præpositum, Apidis corpus, ubi ad certum usque locum per duxerit, tum nescio cui dimidii Cerberi larvam induto tradere solitum. Id Orpheus cum Græcis hominibus indicasset, Homerum ejus deinde secutum vestigia, suis ita versibus inseruisse :

» Heroumque animas Cyllenius evocat Hermes :
» Virgam dextra gerit. »

Tum aliis eamdem in rem commemoratis, ita prosequitur. « Melampodem quoque ferunt, statas solemnesque Græcorum in sacris Bacchi ceremonias, cum iis, quæ vel de Saturno, vel de commisso cum Titanibus certamine, vel omnino de Numinum suorum casibus fabulantur, ex Ægypto transtulisse. At vero Dædalum ejus labyrinthi flexiones imitatum esse, qui a Mendete, ut nonnulli tradunt, vel ut aliis placet, a Mari rege, multis antequam Minos regnaret annis, ædificatus, ad hodiernum usque diem visitur.

»Quinetiam idem artis ingenium in antiquis Ægyptiorum »signis etiamnum apparere, quo Dædali apud Græcos sta- »tuæ commendantur. Eumdem, quod elegantissimum apud »Memphim Vulcani templi vestibulum admirabili artificio »construxisset, ligneam in eodem templo statuam suis ip- »sius manibus elaboratam; imo divinos etiam honores, ob »singularem artis excellentiam, qua et magnum sibi nomen »confecerat, et nova pleraque excogitaverat, consecutum »fuisse. Siquidem in una quadam ex iis, quæ Memphi vicinæ »sunt, insulis, hodieque Dædali templum extare maxima insu- »lanorum religione celebratum. Jam ibidem Homerum quo- »que versatum esse, cum aliis argumentis efficiunt, tum ex »illo pharmaci genere auferunt, quo apud Menelaum Helena »omnem Telemacho superiorum malorum abstersit excussit- »que memoriam. Et sane pharmacum illud poëta, quod ne- »penthes, quasi ab omni dolore vacuum nominat, quodque »Helenam a Polydamna Thonis uxore acceptum, Thebis »Ægyptiis asportasse commemorat, admodum exploratum »habuisse videtur. Nam illic mulieres etiamnum ea vi facultate »præditas esse, nec nisi apud Diospolitanas præsens illud ira- »cundiæ dolorisque remedium jam ab ultimis usque tempo- »ribus repertum fuisse tradunt: Thebas porro atque Dios- »polin, unam et eamdem urbem esse. Nec non Venerem »ab indigenis, auream pervetusto quodam more numcupari »adeoque campum aliquem propter Momemphim esse, qui »Veneris aureæ campus appelletur. Præterea quæ de Jovis »Junonisque congressu, aut in Æthiopiam profectione fa- »bulatur, indidem ipsum hausisse. Jovis enim ædem quot- »annis apud Ægyptios per fluvium in Libyam deferri, un- »de post aliquot dies, quasi reverso ex Æthiopia Numine »revehatur. Utriusque vero Dei conjunctionem ex eo fin- »gendi occasionem sumpsisse, quod in publicis totius populi »festis, in montem quemdam a sacerdotibus omni florum

» genere consperso ædes utraque deferatur. Ad hæc Lycur-» gum, Platonem, ac Solonem, permulta ex Ægyptiorum » institutis in legum suarum tabulas retulisse: Pythagoram sa-» cri sermonis arcana, cum geometriæ principiis, numerandi » arte, et animorum in quælibet animantium genera migra-» tione, ab Ægyptiis accepisse. Democritum etiam annos » apud se quinque versatum, ac pluribus astrologiæ præceptis » eruditum fuisse arbitrantur: Œnopidemque similiter ex fre-» quenti sacerdotum consuetudine, cum alia pleraque, tum » solis maxime conversionem didicisse, utque obliquum et » flexuosum cursum instituat, ac motu reliquis sideribus » contrario rapiatur. Eudoxum quoque post navatam apud » se astrologiæ operam, quod multa deinde summæ utilitatis » ac fructus cum Græcis hominibus communicasset, laudem » sibi maximam peperisse. Postremo quotquot e priscis fic-» toribus in hominum ore plurimum et existimatione versati » sunt, Ægyptum frequentasse omnes, atque inter alios » Teraclem, ac Theodorum, ambo Rhœci filios, qui Samiis » illud Apollinis Pythii simulacrum perfecerunt. » Huc usque Diodorus. Quam mihi disputationem, superioribus testimoniis abunde illustratam, hoc demum loco terminare libet. Ac desinant isti porro nos temeritatis arguere, quod veræ pietatis studio, Græciæ sapientum philosophorumque doctores, Barbaros, inquam, illos (si Barbari tamen Hebræi sunt), consulere voluerimus ipsi quoque. Deinceps quibus ipsi temporibus, Moses puta, cæterique post eum prophetæ claruerint, excutiendum erit; cum is, qui de viris inter omnes eruditionis ac sapientiæ laude præstantibus sermonem instituat, rem ad suscepti argumenti rationes longe præcipuam facturus videatur, si de illorum antiquitate certi prius aliquid exploratique constituat. Nam ita demum, siquando cum Hebræorum prophetis atque theologis Græci consentient, sine ulla dubitatione intelligas, utros credibile sit aliorum mutuari sen-

tentias, antiquiores ne juniorum, id est Græcorum Hebræos, Barbarosque philosophorum, quorum illi ne vocem quidem audire potuerint: an, quod longe vero similius est, juniores antiquiorum, adeoque Græcos illos, qui tam curiose gentium plurimarum instituta scrutati sunt, ne scripta quidem Hebræorum, quæ Græcam in linguam fuerint tanto ante conversa, latuisse.

CAPUT NONUM.

De Mosis et Prophetarum Hebræorum antiquitate.

Ac Mosis quidem et Prophetarum eo posteriorum antiquitatem, suis in operibus alii complures diligenter admodum ac studiose comprobatam et contestatam reliquerunt, ex quibus pauca quædam paulo post subjiciam. Sed tamen prius novam ipse viam insistens, cæterisque jam tritæ dissimilem, quæ sequitur rationem ac methodum inire decrevi. Cum Servatoris nostri natalem omnium consensu, in Augusti imperatoris tempora incidisse, Christum vero circa decimum quintum Tiberii Cæsaris annum proseminandi evangelii initium fecisse constet: si quis ab eodem annorum summam ita colligere voluerit, ut per superiora retro tempora, ad Darium usque Persarum regem, et instauratum Hierosolymæ sub eo templum, id quod post Judaici populi ex Babylone reditum contigit numerando perveniat; is a Tiberio ad Darii secundum, annos omnino reperiat quingentos et quadraginta octo. Nam Darii quidem secundus in primum olympiadis sexagesimæ quintæ, imperii vero Ti-

berii decimus quintus in quartum ducentesimæ tertiæ olympiadis incurrit. Quocirca Darium Persarum inter, ac Tiberium Romanorum imperatorem, centum ac triginta septem olympiades intercedunt, quæ summam annorum quingentorum et quadraginta octo conficiunt, quadriennio singulis olympiadibus attributo. Et quoniam Darii secundus annus, cum Hierosolymitani templi vastitatis septuagesimo congruebat ut ex Hebræorum historia liquet: si gradum etiam inde retro flectas, ab anno Darii secundo ad primam usque olympiadem anni confient omnes quinquaginta sex supra ducentos, olympiades vero quatuor et sexaginta: quot plane ab ultimo excisi templi anno, ad Osiæ Judæorum regis quinquagesimum numerantur; quo tempore Esaias, Oseas, aliique amborum æquales prophetæ claruerunt. Ita prima Græcorum olympias cum Isaia et ipsius æqualibus congruit. Rursus qui ad superiora tempora recurrere voluerit, is ab olympiade prima ad captam usque Trojam, annorum summam conficiet octo supra quadringentos, quem numerum chronologici Græcorum commentarii repræsentant. Similiter apud Hebræos, ab Osiæ Judæorum regis quinquagesimo, si gradum ad Labdonis Hebræi quondam judicis tertium feceris, æqualem annorum quadringentorum et octo numerum colliges. Atque ita sub Labdonis judicis tempora Ilium fuerit, septem annis antequam Samson Hebræis imperaret, quem viribus corporis nihil non superasse, adeoque omnium ore jactato Græcorum Herculi persimilem fuisse tradunt. Quod si ab illo tempore, annos rursus quadringentos sursum versus numeraveris, Mosem apud Hebræos, apud Græcos Cecropem illum terrigenam reperies: quo quidem recentiora esse, quæcunque Græci tantopere celebrant, nemo non fatetur. Nam post illum, Deucalionis diluvium, Phaethontis incendium, ortus Erichthonii, Proserpinæ raptus, mysteria Cereris Eleusiniorum institutio,

Triptolemi agricultura, Europæ ab Jove raptus, natalis Apollinis, Cadmi apud Thebanos adventus, atque iis omnibus juniores Bacchus, Minos, Perseus, Æsculapius, Castor, et Pollux, et Hercules extitere. Quos proinde Moses, cum Cecropis tempore floruerit, ætate omnes anteivit. Porro si ab eodem Mose ad primum usque Abrahami vitæ annum recurreris, summam colliges annorum quinque supra quingentos; itemque, totidem ab illo Cecropis regni anno superiora versus tempora numeratis, ad Ninum Assyrium pervenies, quem omnium principem tota passim Asia, si tamen Indos excipias, dominatum esse tradunt. Nomen ab eo Ninus civitas, quam Niniven Hebræi vocant, accepit, ejusdemque temporibus Zoroastres ille magus Bactrianis imperabat. Nini uxor Semiramis eidem successit in regnum, quorum ætate proinde Abrahamum vixisse oportuit. Verum hæc a nobis omnia certis argumentis in chronologicis nostris canonibus confecta reperies. Nunc quidem confirmandæ Mosis antiquitati, ad superiora illa, unum hominis longe cum Hebræis, tum etiam nobis inimicissimi, atqui infensissimi testimonium libet adjungere : philosophum illum æqualem nostrum intelligo, qui eo in opere, quod nostros in homines vis ejus odii magnitudoque vulgavit, non modo nos, sed Hebræos etiamipsos, nec non et Moysem, prophetasque post illum cæteros, iisdem contumeliis oneravit. Nam ita demum susceptum a nobis argumentum, ipsa hostium confessione testatum, nihil cuiquam dubitationis relicturum esse confido. Porphyrius igitur, libro sui adversum nos operis quarto, hunc in modum, verbis omnino totidem loquitur : « Porro in scri-
» benda, *inquit*, rerum Judaicarum historia, veritatis aman-
» tissimus est Sanchoniatho ille Berytius, quippe qui com-
» mentarios cum eorum sive locis sive nominibus maxime
» congruentes, ab Hierombalo Jevonis Deæ sacerdote acce-

» perit : qui suam historiam Abelbalo Berytiorum regi nun-» cupatam, cum illi ipsi, tum iis etiam, quibus in explo-» rando vero consiliariis atque arbitris utebatur, probavit. » Quorum sane tempora Trojanis etiam illis antiquiora sunt, » parumque admodum a Mosis ætate disjuncta, ut ex Phœni-» ciæ regum successione cognoscitur. Idem autem Sancho-» niatho, qui universam historiam, cum ex publicis urbis, » tum e sacris tabulis haustam, summo cum veritatis studio » Phœnicia lingua conscripsit, Semiramidis Assyriorum re-» ginæ temporibus floruit.» Hæc Porphyrius. Ex quibus ita nos ratiocinari posse intelligo. Si Sanchoniatho Semiramidis temporibus floruit, Semiramidem vero multo ante Trojana regnasse constat, iisdem quoque vetustior Sanchoniatho fuerit, necesse est. Atqui eum ab aliis sese adhuc antiquioribus commentarios accepisse tradunt, qui etiam ipsi Mosis non æquales, sed vicini tantum fuisse dicuntur. Sequitur ergo tanto saltem intervallo a Sanchoniathonem Mose superari, quanto posterior illis est, quos nonnisi vicinos esse confitentur. Cæterum, quot annis eosdem antegressus Moses fuerit, quod certo definiri nequeat, omittendum statuo. Quinetiam, ut demus Sanchoniathonis æqualem omnino fuisse Mosem, sic tamen colligere atque rem conficere liceat. Si regnante in Assyria Semiramide, Sanchoniatho claruit, Moses certe quidem, ut nihil eo vetustior fuerit, sed prorsus æqualis, sub ejusdem tamen Semiramidis imperium vixerit, necesse est. Jam, et Abrahamum Semiramidis temporibus vixisse antea probavimus, et Mosem ipsum illa vetùstiorem philosophus hic noster fuisse confirmat. Trojana vero tempora Semiramis annis integris octingentis superavit. Ergo totidem illa Moses ex hujus philosophi mente antecesserit. Præterea cum primus apud Argivos Inachus imperaret, necdum Atheniensibus aut civitas aut nomen erat. Ejusdem autem Inachi regnum in quintum a Semiramide Assyriorum regem incidit,

annis post illam atque Mosen centum et quinquaginta, quibus nihil apud Græcos memoria dignum gestum esse reperitur. Cæterum eodem temporis, apud Hebræos Judices imperabant. Annis deinde post Semiramidem amplius quadringentis, primus Athenis regnavit Cecrops, quem indigenam vocant, Triopa regnante Argis, qui septimus ab Inacho regum Argivorum primo fuit. Quo quidem regum istorum intervallo, Ogygium diluvium contigisse narrant, itemque apud Ægyptios primum Apim deum nominarunt, ac simul Io Inachi filia, quam Isidis nomine colunt Ægyptii, Prometheus atque Atlas celebrari cœperunt. Jam a Cecrope ad captum Ilium, alii prope quadringenti colliguntur anni, quibus illa Græcorum fabulis decantata miracula, Deucalionis, inquam, diluvium et Phaetontis incendium contigere; cujus utriusque fingendi occasionem, ex multis, uti veresimile est, crebrisque per ea loca terrarum cladibus arripuerint. Jovem autem ab eodem primum Cecrope deum appellatum esse ferunt, cum nequaquam inter homines id antea nominis habuisset : ab eodem postmodum primam Athenis excitatam aram, primumque Minervæ signum conflatum ac positum fuisse, neque enim pervetustum genus illud rerum extitisse. Itaque post Cecropem tota illa Græcorum numinum genealogia texitur. Apud Hebræos interea, cum Davidis posteri regnabant, tum secuti Mosem prophetæ florebant. Ita si nostrum hunc philosophum audiamus, a Moyse ad captum Ilium anni amplius octingenti numerentur. Porro longe Trojanis illis temporibus recentiores, Homerum, Hesiodum ac reliquos fuisse constat. Inde nuperi omnino, Pythagoras, Democritus, cæterique deinceps philosophi, circa olympiadem quinquagesimam, hoc est annis post captum Ilium prope septingentis, emersere. Mosem igitur ac posteriores Mose prophetas, ante omnes Græciæ philosophos annis quingentis

supra mille vixisse, ex ejusdem philosophi confessione auferimus. Atque hæc a nobis ita breviter perstricta sunto. Jam tempus est, ut eorum etiam, qui ante nos hac in disputatione versati sunt, argumenta videamus. Homines enimvero apud nos existere, non diserti modo, sed etiam nulli eruditione secundi, quique plurimum divinis in litteris operæ studiique posuerunt. Ii rem istam accurate admodum et enucleate persecuti, antiquitatis hæbraicæ fidem magna rationum vi ac singulari varietate fecerunt. Alii quippe certis quibusdam ex historiis et omnium consensu approbatis, temporum seriem ordinemque duxerunt: alii suis ipsi testimoniis firmitatem ac robur ex antiquiorum scriptorum auctoritate quæsierunt. Et alii quidem adhæsere Græcis, alii vero ex rerum etiam Phœniciarum, Chaldæarum, et Ægyptiarum historicis argumenta petierunt: at simul universi, Græcis, Barbaris, Hebraicisque rebus sub uno collocatis aspectu, omniumque populorum historiis sigillatim inter se propiusque commissis, quæ apud quosque sub idem tempus gesta fuerint, cum aliis alia diligenter expensa contulerunt. Tum suam quique viam ac methodum secuti, partes suscepti operis singulas ita digesserunt, ut omnes inter sese constanti fuerint ac certa demonstratione complexi. Quocirca locum verbis auctorum ipsissimis hac in disputatione relinquendum putavi, simul ut ne suorum ipsis laborum fructus præripiatur, simul ut suscepta pro veritate defensio, non ex unius, sed ex plurium testium ore fidem omni dubitatione majorem accipiat. Ordiamur ab Africano.

CAPUT DECIMUM.

Ex Africani Chronographiæ tertio.

«Ante olympiadum seriem, *inquit ille*, Græcorum in »historia certi nihil exploratique reperias, usque adeo per»turbata sunt omnia, nec ulla secum ex parte consentiunt, »quæ antea contigisse memorantur. At in olympiadibus di»gerendis accurate multi diligenterque versati sunt, quod »non longo intervallo, sed tantum suo cujusque res qua»driennio definitas Græci comprehensasque perscripserint. »Quamobrem ex fabulosis illis, quæ ad primam usque »olympiadem fama cæteris et hominum opinione præstite»rint, breviter cursimque libatis, quæ postea contigerint, »ea si modo insignia videbuntur, ita cum Græcis Hebræa »contexam, ut Græcis obiter duntaxat perstrictis, historici »more fusius Hebræa pertexam. In quo ejusmodi futura »mea ratio est; ut quoties Hebraicam historiam, quæ cum »Græca aliqua tempore conveniat, tractandam suscepero, »toties in ea constanter hærens, detractis, ubi res tu»lerit, adjectisve nonnullis, quinam aut Græcorum, aut »Persarum, aut populi cujusvis alterius, ejusdem tem»pore floruerit, aperiam: sic enim ejus me demum, quod »propositum mihi est, compotem futurum existimo. Pri»mum igitur celebratissima illa Hebræorum migratio, cum »a Nabuchodonosore Babylonis rege in servitutem abducti »sunt, annos tenuit septuaginta, uti futurum Hieremias

» ante prædixerat. Porro Nabuchodonosoris Berosus quoque » Babylonius meminit. Exactis illis septuaginta captivitatis » annis, Cyrus Persicum regnum obtinuit, cum Olympias » ageretur quinquagesima quinta, uti ex Diodori bibliotheca, » Thalli et Castoris, nec non Polybii et Phlegontis historiis, » auferre licet, aliisque præterea, qui olympiadum seriem » texuerunt: omnibus enim in eo tempore definiendo con» venit. Cyrus igitur anno imperii sui primo, qui olympiadis » quinquagesimæ quintæ primus item annus erat, per Zorobabelem, cujus etiam æqualis idem et socius erat Jesus Josedeci filius, expleta jam septuaginta annorum summa, populi Judaici partem aliquam primum dimisit, ut apud Esdram Hebræum historicum legimus. Et quoniam regni Cyri principium cum Judaicæ captivitatis fine, historico» rum omnium consensione concurrit, similis etiam in olym» piadum annis, cum utriusque, tum cæterorum deinceps » convenientia ad nos usque ducitur; quippe qui ab eo veluti » cardine progressi, consequentes pariter historias eadem » inter sese ratione commissuri contexturique simus. At in » superiorum consignandis temporibus, si Atticæ chrono» graphiæ rationem sequi libet, ab Ogyge, quem indidem » satum esse credunt, sub quo ingens illud primumque dilu» vium regnante Argis Phoroneo, Atticam invasisse Acusi» laus auctor est, ad primam usque olympiadem unde Græci » accuratam sibi temporum seriem ducendam putaverunt, » anni colliguntur viginti supra mille, qui numerus et cum » superioribus optime congruit, et ex sequentium declara» tione constabit. Hæc enim Hellanicus et Philochorus, qui » res Atticas, itemque Castor et Thallus, qui Syriacas pro» secuti sunt, quique gentium omnium historiam in biblio» thecam suam inclusit Diodorus, et Alexander Polyhistor » memoriæ prodiderunt: quorum etiam, e nostris præterea » nonnulli, diligentius quam Attici omnes, accuratiusque

» meminere. Itaque, si quæ mille ac viginti annorum spatio » paulo insignior occurret historia, eam commode suo loco » dabimus. » Idemque paucis interjectis: « Volumus igitur, *in-* » *quit*, scripti etiam hujus auctoritate freti, Ogygem illum, » qui quod haustis aquarum vi quamplurimis, salvus et inco- » lumis evaserat, primo diluvio nomen dedit, circa tempus » illud, quo populus ex Ægypto cum Mose migravit, exti- » tisse. Id quod hunc in modum conficimus. Ab Ogyge ad » primam olympiadem anni putantur viginti supra mille : ab » olympiade prima ad primum quinquagesimæ quintæ an- » num, qui primus item Cyri regis annus est, idemque cap- » tivitatis Judaicæ finis, anni septemdecim supra ducentos : » ergo ab Ogyge ad Cyrum usque, anni triginta septem su- » pra mille ac ducentos omnes colliguntur. Jam, qui sursum » versus ab exitu captivitatis annos retexere voluerit, is » triginta septem supra mille ac ducentos revolvendo nume- » rabit, hoc est idem prorsus intervallum ad eum usque an- » num, quo primum ex Ægypto per Moysen eductus Israel » est, quod abs quinquagesima quinta olympiade ad Ogy- » gem, qui Eleusinem condidit, excurrere dictum est. At- » que inde quidem insignius Atticæ chronologiæ principium » duci potest. » Iterumque post alia quædam. « Verum de tem- » pore Ogygem antegresso hactenus. Cæterum illius tem- » pore, excessit ab Ægypto Moses, id quod veri quam simile » sit, hunc in modum ostendimus. Ab exitu Mosis ad Cyrum, » qui post captivitatem regnavit, anni putantur mille ac du- » centi cum tringinta septem. Mosis enim reliqui ab egressu » anni quadraginta sunt : Jesu, qui secundum illum populo » deducendo præfuit, quinque ac viginti : seniorum qui post » Jesum judices fuere, triginta : Judicum omnium, qui pro- » prio ipsorum libro continentur, nonaginta supra quadrin- » gentos : sacerdotum Eli et Samuel, nonaginta ; consequen- » tium regum Hebræorum, nonaginta supra quadringentos,

» sequuntur captivitatis septuaginta : cujus postremus annus » regni Cyri primus fuit, ut jam ante diximus. Jam a Mose » ad olympiadem primam anni fluunt viginti supra mille, » cum ab eodem ad quinquagesimæ quintæ annum primum, » mille ducenti cum triginta septem numerentur, in quo » nobis etiam cum Græcorum temporibus optime convenit. » At vero post Ogygem, quod ingens ab illo diluvio conse- » cuta vastitas esset, quæ nunc Attica dicitur, ea sine re- » gibus annos centum et octoginta novem, ad Cecropem » usque permansit. Actæum enim illum, qui post Ogygem » recensetur, quæque deinceps finguntur nomina, Philo- » chorus ne extitisse quidem omnino confirmat. » Et rursus. « Ergo ab Ogyge, *inquit*, ad Cyrum usque tantumdem nu- » meres, quantum ad eumdem a Mose, hoc est annos du- » centos et tringinta septem supra mille. Et vero Græcorum » sane nonnulli Mosem sub eadem tempora vixisse testantur. » Nam, Polemo quidem, libro Græcarum historiarum primo, » conceptis verbis habet, Apidis Phoronei filii tempore, » exercitus Ægyptiaci partem sese ab Ægypto subduxisse, » atque in Palæstina, quam Syriam vocant, haud procul ab » Arabia consedisse : illos nimirum ipsos intelligens, qui » Mose duce profecti sunt. Apio vero Posidonii filius, idem- » que grammaticorum omnium curiosissimus, libro adver- » sus Judæos, et historiarum quarto scribit, Inacho Argis » regnante, Judæos duce Mose, ab Amosi Ægyptiorum rege » defecisse. Cujus etiam defectionis, simulque Amosis, libro » secundo Herodotus meminit : imo et ipsorum quoque Ju- » dæorum, quos in circumcisorum classem reponit, ac Pa- » læstinæ Assyrios nominat, ducta fortassis ex Abrahamo » utriusque causa. Quibus cum omnibus Ptolemæo quoque » Mendesio, qui ab ultimis usque temporibus Ægyptiorum » ducit historiam, ita convenit, ut inter ipsos nulla fere » nisi levissima temporum differentia notari possit. Cæterum,

» hic observandum etiam est, quidquid paulo rarius ob ve-
» tustatem Græci fabulantur, id omne Mose posterius in-
» veniri, diluvia, incendia, Prometheum, Io, Europam,
» Proserpinæ raptum, mysteria, legum sanctiones, Bacchi
» gesta, Perseum, Argonautas, Centauros, Minotaurum,
» res Trojanas, Herculis certamina, Heraclidarum reditum,
» Ionum migrationem, et olympiadas. Ac mihi quidem
» Græcas historias cum Hebraicis committere statuenti, ea
» potissimum Attici regni tempora describere visum est. Sic
» enim cuivis omnino liceat, qui modo principium ex meis
» ducere voluerit, eamdem mecum in colligendo numero ra-
» tionem inire. Illorum igitur mille ac viginti annorum, quos
» ab Mose et Ogyge ad primam usque olympiadem fluxisse
» diximus, anno primo, uti Hebræorum pascha, et disces-
» sus ab Ægypto, sic Ogygium in Attica diluvium contigit.
» Et convenienter id quidem. Nam cum Ægyptios grandini-
» bus, ac tempestatibus Dei præpotentis ira percelleret,
» fieri vix poterat, quin simul in quasdam terræ partes ca-
» lamitatis inde aliquid redundaret. Ac præsertim Athe-
» nienses Ægyptiacæ cladis partem aliquam subire verius
» erat, quos Ægyptiorum coloniam habitos esse, cum alii,
» tum vero Theopompus in Tricareno commemorat. Tempus
» inde medium prætermissum est, quod in eo nihil a Græcis
» memoria dignum referatur. Post annos vero quatuor et
» nonaginta, ut nonnulli tradunt, Prometheus extitit, quem,
» quod homines ad disciplinæ cultum ab nimia simplicitate
» solerter ingenioseque traduxerit, homines propterea finxisse
» fabulantur. » Hactenus Africanus. Jam vero Tatianum au-
diamus.

CAPUT UNDECIMUM.

Eamdem in rem ex Tatiani adversus Græcos opere.

« Jam, *inquit*, agendum nobis id videtur, ut nostram
» quoque philosophiam exquisitis illis Græcorum artibus
» antiquiorem esse demonstremus. Qua in re Mosem et Ho-
» merum summos veluti cardines terminosque statuemus.
» Cum enim sit uterque vetustissimus, et alter quidem poë-
» tas et historicos omnes tempore antecedat, alter vero
» barbaræ omnis sapientiæ dux princepsque fuerit : juvat
» etiam amborum contentionem instituere. Enimvero non
» doctrina modo Græcorum, sed ipsa quoque litterarum in-
» ventione res nostras priores esse cognoscemus. Neque ta-
» men domesticos eam in rem testes dabimus, sed Græco-
» rum ipsorum auctoritate abutemur. Nam ut illud minus
» consultum foret, quod minime vobis probaretur, ita hoc
» si efficere modo poterimus, singulare prorsus egregiumque
» futurum est, ut vestris vos armis oppugnando, argumen-
» tis extra suspicionem omnem positis urgeamus. Ac de Ho-
» meri quidem poesi, genereque simul ac tempore quo flo-
» ruerit, omnium antiquissimi Rheginus ille Theagenes, qui
» sub Cambyse vixit, Stesymbrotus Thasius, Callimachus
» Colophonius, Herodotus Halicarnassensis, et Dionysius
» Olynthius jam diligenter ante quæsierunt. Quibus eadem
» in opera successere Ephorus Cumæus, Philochorus Athe-
» niensis, Megaclides et Chameleon peripapetici : tum Ze-

» nodotus, Aristophanes, Callimachus, Crates, Eratosthe-
» nes, Aristharchus, Apollodorus, grammatici omnes. Quos
» inter, Crates ipsum ante Heraclidarum reditum, intra an-
» nos a Trojanis temporibus octoginta floruisse auctor est.
» Eratosthenes vero non nisi post annum ab excidio Trojano
» centesimum. Aristarchus Ionicæ tantum coloniæ tempori-
» bus, quæ annis post Trojana illa centum et quadraginta
» deducta est. Philochorus post eamdem coloniam quadra-
» ginta, archonte Athenis Arxippo, annis post eversam Tro-
» jam centum et octoginta. Apollodorus annis ab ista colo-
» nia centum, quo modo Trojanis eum temporibus juniorem
» fuisse oporteret, annis quadraginta supra ducentos. Nec
» desunt, qui paulo ante olympiadas natum illum esse ve-
» lint, hoc est annis ab expugnata Troja quadringentis. Imo
» sunt etiam, qui longe recentiorem et Archilochi æqualem
» eum faciant : Archilochus autem circa olympiadem ter-
» tiam ac vigesimam celebratus est, Gygæ Lydi temporibus,
» annis post Trojana illa quingentis. Ac de Homeri quidem
» ætate, deque eorum, qui res ipsius memoriæ prodiderunt,
» contentione atque dissidio, hæc summatim attigisse suf-
» ficiat, cum alioqui rem accurate, si liberet, investigare
» possemus. Nam vel ex eo quivis istorum omnium narra-
» tiones vanitatis mendaciique convincat. Qui enim semel
» in temporum descriptione titubarit, is nunquam historiæ
» veritatem retinere possit. » Idemque paucis interjectis. « At
» esto sane, demus, *inquit*, Homerum non modo non ever-
» sione Trojana posteriorem, sed etiam ipsomet belli Tro-
» jani tempore vixisse, imo etiam Agamemnonem in illa ex-
» peditione secutum, ac si quis ita velit, ipsa litterarum
» inventione priorem fuisse : Mosem enim certo constabit,
» non solum permultis annis captum Ilium antecessisse, ve-
» rum etiam ejusdem conditu, adeoque Troe simul et Dar-
» dano longe antiquiorem extitisse. Quam in rem Chaldæ-

» orum, Phœnicum, Ægyptiorum testimonia proferam.
» Quid enim plura commemorem, cum eum, qui fidem se
» facturum esse recipiat, paucis omnino rem auditoribus de
» clarare oporteat? Berosus ergo vir Babylonius, idemque
» Beli, quod ipsorum Numen erat, sacerdos, qui Alexandri
» temporibus vivebat, in ea, quam tribus libris Antiocho
» post Seleucum tertio, scripsit Chaldæorum historia, ubi
» regum ipsorum gesta commemorat, Nabuchodonosoris
» cujusdam meminit, qui adversus Phœnicas et Judæos ex-
» peditionem susceperit, quam a prophetis quoque nostris
» celebratam esse novimus, quæque cum longe post Moy-
» sem contigerit, tum vero Persarum imperium annis sep-
» tuaginta præcesserit. Atqui Berosus ille quidem omni fide
» dignissimus est, uti vel ex Jobæ testimonio intelligere pos-
» sumus, qui de Assyriis scribens, illorum sese historiam
» ex Beroso didicisse profitetur. Duos autem ille de Assyriis
» conscripsit libros. Phœnices vero quod attinet, tres apud
» eos viri floruere, Theodotus, Hypsicrates, et Mochus,
» quorum libros Græce vertit Asitus, is qui philosophorum
» vitam summa diligentia studioque conscripsit. Qui quidem
» omnes suis in historiis, sub uno aliquo rege, simul et Eu-
» ropæ raptum et Menelai profectionem in Phœniciam, et
» Irami fœdus ac societatem contigisse tradunt, cum is Sa-
» lomoni Judæorum regi filia jam matrimonio conjuncta,
» vim insuper omnis lignorum generis maximam ad tem-
» plum ædificandum sponte donavit: quarum etiam rerum
» Menander ille Pergamenus suis memoriam scriptis consi-
» gnavit. Jam Irami tempora non longe a Trojanis absunt,
» cum tamen Salomon ejusdem æqualis, multo fuerit Mose
» posterior. Ægyptiorum denique commentarii, accurate
» in primis ac diligenter elaborati sunt. Quorum e numero,
» litterarum suarum interpres Ptolemæus fuit, non rex ille
» quidem, sed Sacerdos Mendetus. Is in regum Ægyptiorum

» historia, sub Amosi rege, duceque Mose Judæos quocumque libitum fuisset, ex Ægypto profectos esse testatur. » Amosin autem illum Inachi temporibus regnasse constat. » Ptolemæum sequitur Apion Grammaticus, clarissimi vir » nominis, qui libro Ægyptiacarum historiarum quarto, » quinque enim eo argumento scripsit, cum alia pleraque, » tum hoc in primis docet; ab Amosi eversam Avarim fuisse, » eumdemque Argivi Inachi vixisse temporibus, uti Ptolemæus Mendesius suis in Annalibus testatum reliquit. Quod » si ab Inacho ad captum Ilium temporum seriem ducere » volueris, ætates viginti numerabis. Atque hujus demonstrandæ veritatis prompta hæc et explicata ratio est. Argis » olim regnarunt, qui sequuntur, Inachus, Phoroneus, » Apis, Argius, Criasus, Phorbas, Triopas, Crotopus, » Sthenelaus, Danaus, Lynceus, Abas, Prætus, Acrisius, » Perseus, Eurystheus, Atreus, Thyestes, Agamemnon, » cujus anno decimo octavo Troja capta est. Atque hic prudenti et ingenioso lectori diligenter imprimis observandum » erit, vel ex ipsa Græcorum hominum traditione constare, » nullam tum apud illos perscriptam adhuc historiam fuisse. » Nam qui litterarum formam ipsis et rationem tradidit Cadmus, non nisi multis post ætatibus pervenit in Bœotiam. » Post Inachum vero, Phoronei ductu atque auspiciis, homines ab ferino vagoque vitæ genere ad humaniorem ac liberaliorem cultum vix tandem aliquando traducti sunt. Quare » si Mosem Inacho æqualem fuisse habebimus, idem Trojana tempora quadringentis antecesserit, necesse est. Id » vero manifeste ex regum non Atticorum modo, sed » etiam Macedonicorum, Ptolemaicorum, et Antiochenorum successione conficitur. Unde illud etiam colligas, si » clarissima quæque Græcorum sub Inachi tempus et scriptis mandari, et in hominum cognitione versari cœpere, » id ipsum pariter sub Mosis ætatem contigisse. Nam Pho-

» roneo, qui post Inachum regnavit, supparem Athenienses Ogygem faciunt, sub quo primum diluvium accidit : » tum Phorbanti Actæum, a quo Attica Actææ nomen habuerit : Triopæ deinde Prometheum, Epimetheum, Atlantem, geminum Cecropem, et Io. Ad Crotopi ævum, » et Phaetontis incendium, et Deucalionis diluvium referunt : cum Sthenelao, Amphictyonis regnum, Danai in » Peloponnesum adventum, conditam a Dardano Dardaniam, et Europæ ex Phœnicia deportationem in Cretam » temporis societate conjungunt. Sub Lynceo, Proserpinæ » raptum, Eleusinii delubri ædificationem, agriculturam » Triptolemi, Cadmi Thebanam in civitatem adventum, et » Minois regnum collocant. Ad Prœtum Eumolpi bellum » adversus Athenienses ; ad Acrisium Pelopis trajectionem » ex Phrygia, Ionis Athenas adventum, Cecropem alterum » juniorem, Perseique res gestas revocant. Postremo regnante Agamemnone captum est Ilium. Ergo ex superioribus, Mosem, Heroibus, civitatibus, ac Dæmonibus » ipsis antiquiorem fuisse, manifesto intelligitur. Verius autem profecto est, homini ætate plurimum antegresso » fidem habere, quam Græcis, qui ejus dogmata ut ex ipsomet fonte hauserint, minus tamen veræ scientiæ ductum » secuti sunt. Sophistas enim permultos habuere, qui curiositati suæ obsecuti, quæcumque vel a Mose, vel ab » similis philosophiæ professoribus acceperant, adulterare » omnia conati sunt : primum ut singulare aliquid ac proprium dicere viderentur, deinde ut quæ minus assequerentur, ea commentitiæ dictionis specie involvendo, fabularum instar veritatem ipsam traducerent. Verum de Reipublicæ nostræ forma, deque legum nostrarum historia, » quod Græcorum eruditissimi quique scripserint, quot » quive illius meminerint, adversus eos, qui de rebus divinis disputarunt, in medium afferemus. Nunc vero agen-

» dum id nobis est, ut, quam diligentissime fieri poterit, » ostendamus, non Homero solum antiquiorem fuisse Mosem, verum etiam vetustioribus Homero scriptoribus, » Lino, Philammone, Thamyride, Amphione, Orpheo, » Musæo, Dæmodoco, Femio, Sibylla, Epimenide Cretensi, qui Spartam migravit, Aristæo Proconnesio, Arimaspiorum auctore, Asbolo Centauro, Isatide, Drymone, Euclo Cyprio, Oro Samio, et Protænide Atheniensi. Linus enim Herculis magister fuit, Hercules vero » Trojana tempora ætate duntaxat una antecessit; ut vel » ex eo intelligi potest, quod Tlepolemus Herculis filius » Græcorum adversus Trojanos expeditionis socius fuerit. » Ejusdem Herculis Orpheus æqualis fuit : tametsi quæ » vulgo ipsi tribuuntur, ab Onomacrito Atheniensi, qui » sub Pisistratidarum dominatu, circa olympiadem quadragesimam vixit, conscripta ferant. Orphei porro discipulus Musæus fuit. At Amphion, qui duabus Trojana tempora ætatibus antegressus est, plures a nobis ad priores » illos doctrinæ studiosos adjungi non patitur. Jam Demodocus et Femius sub ipsum Trojani belli tempus extitere, » cum alter apud Procos, apud Phæacas alter versaretur. » Quo utroque Thamyris ac Philammon haud multo antiquiores fuere. Ac de singulorum quidem in quolibet genere studiis, deque ipsa temporum ratione vobis, ni fallor, quam accuratissime fieri potuit, disputavimus. Sed » tamen ne quid a nobis in præsentia desideretur, pauca de » eorum insuper, qui Sapientes apud vos habiti sunt, ætate » subjungam. Minos igitur, quem omnis cum sapientiæ, » tum solertiæ, adeoque legum sanctionis principem fuisse » putant, Lynceo, qui Dano successit, regnante florebat, » ætate post Inachum undecima. Lycurgus vero, longe post » captum Illium, annis ante Olympiades haud amplius centum, Lacedæmonios legibus instituit. Draconem circa

» Olympiadem nonam supra trigesimam fuisse reperies, So-
» lonem vero circa sextam et quadragesimam, Pythagoram
» denique circa sexagesimam secundam. Olympiades autem
» annis septem supra quadragintos post Trojana tempora
» institutas fuisse ostendimus. His certo constitutis, septem
» quoque Sapientum ætatem facile breviterque definiemus.
» Nam cum vetustissimum eorum Thaletem, circa Olym-
» piadem quinquagesimam vixisse constet, simul etiam uno
» quasi compendio cæterorum, quos ille suppares habuit,
» ætatem colligimus. Hæc vobis ego, viri Græci, Tatianus
» ille, qui Barbarorum Philosophiæ studeo, conscripsi, in
» Assyria natus ipse quidem, sed tamen primum vestris,
» tum iis demum, quorum me præconem hodie profiteor,
» eruditus. Cæterum veri jam Dei cognitione illustratus,
» resque ab eo creatæ cujusmodi sint intelligens, ad subeun-
» dum quoque dogmatum nostrorum examen promptum me
» vobis paratumque sisto, divini hujus instituti sectatorem
» nullo me unquam tempore negaturus. » Hactenus Tatianus.
Jam ad Clementem transeamus.

CAPUT DUODECIMUM.

De eadem, ex Clemente, Stromatum primo.

« Est quidem iis de rebus, *inquit*, a Tatiano in sua ad-
» versus Græcos oratione accurate disputatum, disputatum
» et a Cassiano in primo Pontificalium. Sed tamen operis
» suscepti ratio postulat, ut quæ ab aliis hanc in rem co-
» piose dicta sunt, ea breviter summatimque percurram.

» Apion igitur grammaticus, is quem πλειστονίκην, hoc est
» sæpissime victorem nominant, Ægyptiacarum historiarum
» quarto, licet (ut Ægyptius erat) tam infenso erga Hebræos
» animo fuerit, ut etiam adversum Judæos librum ediderit,
» Amosis Ægyptiorum quendam regis ac rerum ab eo gesta-
» rum mentione facta, testem earum laudat Ptolemæum
» quemdam Mendesium, cujus hæc verba sunt. Avarin,
» inquit, eruit Amosis, qui æqualis Inachi Argivi fuit, ut
» scriptum in Chronico Mendesius Ptolemæus reliquit. Hic
» autem Ptolemæus sacerdos erat, qui regum Ægyptiorum
» historiam libris tribus integris complexus, Amosi in Ægypto
» regnante, Judæos Mosem ducem secutos, ex Ægypto
» migrasse testatur; ex quo intelligitur Mosem Inachi tem-
» poribus floruisse. Res autem Argolicas, quæ ducuntur ab
» Inacho, græcarum omnium vetustissimas celebrari, Dio-
» nysius Halicarnassensis in suo de temporibus commentario
» auctor est. Quibus posteriores esse totis quadraginta æta-
» tibus res Atticas, quæ ab Cecrope illo, quem geminum
» atque ex terra satum appellant, initium habuere, totidem
» verbis Tatianus ait: novem autem, Arcadicas, a Pelasgo
» quem et ipsum ex terra satum esse volunt, repetitas:
» iisdemque duabus et quinquaginta recentiores esse Phtio-
» ticas, quæ ab Deucalione fluunt. Ab Inacho autem ad Tro-
» jana usque tempora, ætates duæ ac viginti, aut etiam una
» plures numerantur, anni vero, ut omnes complectar, qua-
» dringenti et amplius. Jam vero, multis ne similiter annis
» res Assyriorum Græcas antecesserint, ex iis quæ scribuntur
» a Ctesia, cognoscetur. Anno quippe secundo supra qua-
» dringentesimum Assyriorum imperii, Beluchi autem oc-
» tavi principatus secundo ac tricesimo, sub Amosi Ægyp-
» tio Inachi Argivi æquali, Mosis ex Ægypto profectio con-
» tigit. Porro in Græcia, Phoronei Inacho posterioris tem-
» pore, Ogygium diluvium accidit; itemque regnum Sicyo-

» nium, quod Ægialeus omnium primus tenuit, tum Eu-
» rops ac deinde Telchin : simulque Cretis in Creta reg-
» num. Acusilaus enim Phoroneum hominum omnium prin-
» cipem extitisse ait : isque propterea mortalium parens
» omnium, ab eo poëta, qui Phoronidem scripsit, appella-
» tur. Quare Plato ipse in Timæo Acusilaum secutus. Cum-
» que id ageret, inquit, ut illos ad sermonem de rebus anti-
» quis suscipiendum adduceret, eorum, quæ apud nos ve-
» tustissima haberentur, mentionem injecisse se, cujusmodi
» sunt, quæ de Phoroneo, quem primum nominant, deque
» Niobe, necnon de rebus diluvium illud consecutis jac-
» tari solent. Præterea Phorbantis tempore Actæus vixit, a
» quo Attica Actææ nomen invenit : Triopæ deinde Prome-
» theus, Atlas, Epimetheus, geminus Cecrops, et Io sup-
» pares fuere. Ad Crotopi ævum, et Phaethontis incendium,
» et Deucalionis diluvium referunt. Cum Sthenelao, regnum
» Amphictyonis, Danai in Peloponnesum adventus, condita
» a Dardano Dardania, quem ab Jove nubicogo primum Ho-
» merus ait procreatum fuisse, et Europæ in Cretam depor-
» tatio, temporis societate junguntur. Sub Lynceo Proser-
» pinæ raptus, Eleusinii delubri ædificatio, agricultura
» Triptolemi, Cadmi Thebanam in civitatem adventus, et
» Minois regnum collocantur. Ad Prœti tempora, Eupolemi
» bellum adversus Athenienses; ad Acrisium, Pelopis trajec-
» tionem ex Phrygia, Ionis Athenas adventum, Cecropem
» alterum juniorem, Persei Bacchique res gestas, Orpheum
» denique ac Musæum revocant. Anno regni Agamemmonis
» decimo octavo captum est Ilium, Demophoonte Thesei filio
» Athenis regnante, primo ejus anno, die vero thargelionis
» mensis duodecimo, ut Dionysius Argivus auctor est; ut
» autem Agis ac Cercylus libro tertio scribunt, panemi vi-
» cesimo secundo : Hellanicus Diopnysio, subscribens, duo-
» decimo thargelionis; alii vero nonnulli, qui res Atticas

» scripserunt, ejusdem vigesimo secundo, postremum regni » sui annum agente Menestheo, sub plenilunium, ex quo » illud poëtæ, qui minorem Iliadem scripsit :

» Jam nocte in media, pleno sese aurea vultu
» Cynthia tollebat.

» Alii denique eodem scirophorionis die. Porro Theseus Her- » culis æmulus, Trojana illa tempora ætate dumtaxat una su- » peravit, cum Tlepolemi ejusdem Herculis filii, tanquam » expeditionis in Trojanos susceptæ socii Homerus ipse me- » minerit. Certum igitur exploratumque manet, Bacchi con- » secrationem, annis omnibus quatuor supra sexcentis ante- » gressum Mosem fuisse, cum is, ut Apollodorus in Chronico » statuit, anno regni Persei secundo supra tricesimum, Diis » ascriptus fuerit. Ab eodem Baccho ad Herculem, ac stre- » nuos illos principes Jasonis in Argonautica expeditione » socios, anni tres et sexaginta colliguntur. Quibuscum Æs- » culapius ac Tyndaridæ navigarunt, ut testatur Apollonius » Rhodius in Argonauticis. Ab Herculis Argivo regno, ad » ejusdem ac simul Æsculapii consecrationem anni octo et » triginta ab Apollodoro chronographo numerantur. Inde ad » similem Castoris ac Pollucis consecrationem, tres et quin- » quaginta, quo circiter etiam tempore captum est Ilium. » Quod si Hesiodo quoque poëtæ fidem habere placet, age » hominem audiamus :

» Juppiter illustrem Maja ex Atlantide natum
» Mercurium, terris Superum mandata ferentem,
» Sustulit, ætherii consors quæ facta cubilis.
» At Semele genuit proclivem in gaudia Bacchum.

» Cadmus certe quidem regnante Lynceo Thebas venit, » Græcaque reperit elementa. Isidis æqualis Triopas fuit, » ætate post Inachum septima : Ionem vero nonnulli eam ap-

» pellarunt, διὰ τὸ ἰέναι, hoc est, quod totum orbem errando
» circumiret, ita nuncupatam fuisse arbitrantur. Eamdem
» Ister, libro de Ægyptiorum colonia, Promethei filiam vo-
» cat, qui Triopæ suppar, totis septem ætatibus Mose poste-
» rior fuit. Ex quibus efficitur, Mosem ante illam, quæ a
» Græcis statuitur, hominum procreationem floruisse. Leo
» præterea, is qui Deorum Ægyptiorum historiam conscrip-
» sit, Isim a Græcis hominibus Cererem vocari docet, quæ
» Lyncei temporibus, ætate post Mosem undecima vixit.
» Quinetiam Apis rex Argivorum, ut scribit Aristippus libro
» Arcadicarum historiarum primo, Memphim condidit, quem
» eumdem Aristeas Argivus Sarapin nominatum, atque illum
» ipsum esse testatur, quem colunt Ægyptii. At Nymphodo-
» rus Amphipolitanus, libro de moribus Asiæ tertio, Apim
» illum taurum quemdam fuisse ait, quem post mortem sale
» maceratum, atque in ejus Dæmonis templo, cujus præci-
» puus apud eos cultus erat σορῷ, hoc est loculo conditum,
» Soroapin inde primo, tum Sarapin nominarint. Apis autem
» ab Inacho tertius extitit. Jam Latona Tityi æqualis erat:

» Latonam sibi namque Jovis sociavit amicam;

» idemque vixit cum Tantalo. Jure igitur Bœotius Pindarus
» cecinit:

» Tempore certo natus Apollo est.

» Nec id profecto mirum videatur, cum ipsemet una cum
» Hercule operam Admeto mercenarii vice navaverit:

» . . . magnus sese dum volveret annus.

» Sub Cadmi tempora Zethus et Amphion musicæ inventores
» extitere. Ac si quis erit, qui Phemonoen Acrisio primam
» oracula cecinisse dicet, intelligat, post eamdem Phemonoen
» annis septem ac viginti, Orpheum, Musæum, atque Linum

» Herculis præceptorem floruisse. Homerus autem et Hesio-» dus, ut Trojanis temporibus multo juniores fuere, ita » longo post utrumque intervallo Græci legislatores, Lycur-» gus, Solon, septemque Sapientes : necnon Pherecydes » ille Syrus, magnusque Pythagoras, quod adhuc posterius » sub olympiadum initium natos esse jam ostendimus. Ex » quibus omnibus Mosem utique, Græcis illis non sapien-» tibus tantum ac poëtis, verum etiam plerisque numi-» nibus antiquiorem fuisse constat. » Atque ex Clemente hactenus. Sed quoniam ante nostros homines, hoc in argumenti genere Hebræi versati sunt, illorum etiam testimonia proferre juvat. Mihi tamen Flavius Josephus hoc loco instar omnium fuerit.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Ex Flavii Josephi primo de antiquitate Judæorum.

« Ego vero, *inquit*[1], ab Ægyptiacis litteris initium fa-» ciam, quarum ut nulla nobis per sese copia sit, Mane-» thus tamen Ægyptius genere, vir in Græca eruditione ver-» satus, uti ex eo intelligitur, quod Græce patriam historiam » scripserit, eam ut ipse profitetur, e sacris interpretatus » libris, qui etiam Herodotum multa propter ignorationem » in exponendis rebus Ægyptiacis peccasse demonstrat. Ille » igitur historiarum Ægyptiarum secundo, ita de nobis scri-» bit : ejus quippe verba proferre libet, quod ipsum uti tes-» tem aliquem producam. Regem, inquit, olim habuimus

[1] Joseph., Contra Appion. Lib. I.

» Timæum nomine : cujus tempore, cum nobis Deus nescio » quo pacto esset iratior, ex partibus orientalibus homines » ignobili genere illi quidem, sed tamen audaciæ pleni, re» pentinum hanc in regionem impetum fecerunt; eamque » facile admodum ac sine pugna subegerunt. « Tum paucis interjectis: « Gens, *inquit*, eorum universa Hycoussos vo» cabatur, hoc est reges pastores. Hyc enim in sacra lingua » regem sonat; Oussos autem communi vocabulo pastorem » pastoresque significat : unde vox composita Hycoussos. » Sunt tamen qui Arabes illos fuisse velint : adeoque in alio » quodam exemplari, nomine illo Hycoussos, non reges, » sed potius captivos pastores indicari. Sane quidem Hyc, et » Hac, si cum aspiratione scribatur, captivos proprie nomi» natimque significat. Atque id mihi verosimilius videtur, » magisque cum antiqua historia consentaneum. Illos igitur » regum olim pastorumque nomine appellatos, eorumdemque » posteros Ægypti dominatum tenuisse Manethus ait, an» nis circiter undecim supra quingentos. Tum vero suscep» tam adversus eos ab Thebaidis, ac reliquæ Ægypti regibus » expeditionem, bellumque grave ac diuturnum inter ipsos » conflatum fuisse. Tandem sub rege quodam, cui Misphra» guthosis nomen erat, debellatos pastores illos, ac reliqua » Ægypto pulsos, unum in locum inclusos esse tradit, cujus » ambitus decem jugerum millia contineret. Avaris locus » ille dicebatur, quem a pastoribus universum ingenti vali» doque muro septum ac munitum idem scriptor ait, ut » quidquid sibi fortunarum esset ac prædæ, id omne tutum » ac securum habere possent. At vero Misphraguthosis filium » Thmutosin nomine, quadringentorum et octoginta mil» lium hominum exercitu muros obsedisse; atque ipsos per » vim expugnare conatum illum quidem, sed obsidionis » exitu desperato, cum iisdem ea conditione pepigisse, uti » Ægypto relicta, quocumque vellent, omnes sine ullo suo

» detrimento commigrarent. Eos igitur cum universis familiis, atque omni possessione sua, uti per ictum fœdus poterant, haud pauciores ducentis et quadraginta millibus, ab Ægypto per solitudinem in Syriam tetendisse. Quod autem sibi ab Assyriorum principatu metuerent, tum enim Asiam tenebant, in ea, quam hodie Judæam appellamus, regione urbem ædificasse, quæ tot hominum millia caperet, eamdemque Hierosolyma nominasse. Quibus deinde regum Ægyptiorum successionem tempusque, quo singuli regnarunt ubi Manetus subjunxit, tum demum ita concludit. Ergo si tempus ad initam annorum istorum rationem exigemus, constabit omnino, quos pastores ipsi vocabant, majores nostros, annis ante tribus et nonaginta supra trecentos, ubi ex Ægypto migrassent, regionem illam insedisse, quam Danaus Argos venisset, qui tamen ab Argivis pro antiquissimo celebratur. Ita duo nobis eaque sane præcipua, hoc Manethi, quod Ægyptiarum litterarum fidem sequitur, testimonio confecta sunt : alterum, eos in Ægyptum aliunde profectos esse; alterum, indidem ipsos alio commigrasse, quod etiam posterius adeo vetustum esset, ut Trojana tempora annis prope mille antecederet. » Hæc Josephus ex Ægyptiaca historia paulo solutius. Idem ex Phœnicia, productis ipsismet rerum Phœniciarum scriptoribus, manifesto probat, templum Hierosolymitanum ab Salomone rege annis centum et quadraginta tribus, cum octo insuper mensibus, ante conditam a Tyriis Carthaginensem, ædificatum fuisse. Tum progressus ad Chaldæos, ex eorum etiam monimentis Hebræorum antiquitatis testimonia repetit.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Universa Hebræorum historia recentiorem fuisse Græcorum philosophorum ætatem.

Verum enim, quid porro demonstrationes demonstrationibus cumulare necesse est, cum nemo sit, qui modo veritatis amantior esse velit, quam malevolentiæ tenacior, cui non hactenus allata sufficiant, quibus tam varia tamque multiplex suscepti argumenti probatio continetur? Si quidem id agebamus ut Mosis Prophetarumque tempora Græcorum rebus antiquiora esse demonstraremus. Nunc igitur, quoniam eumdem Mosem longe ante Trojanum bellum floruisse ostendimus, age qui post eum secuti sunt, reliquos etiam omnes videamus. Quippe Mosem enim veris illis Hebræorum principibus Hebere atque Habrahamo, qui hoc nominis generi dederunt suo; nec illis tantum, sed etiam aliis omnibus uti Deo carissimis, ita longe vetustissimis, juniorem ac posteriorem fuisse, vel ex ipsamet ejus historia clarissimum est.

Primus ergo post Mosem Judaicæ genti præfuit Jesus, annis ut nonnullis placet, triginta. Deinde, ut sacra Scriptura testatur, eidem alienigenæ octo dominati sunt. Tum Gothoniel annis quinquaginta. Post hunc Eglom rex Moab, annis octodecim. Tum Aod, annis octoginta: post quem iterum alienigenæ annis viginti. Deinde præfuerunt Debora simul et Barac annis quadraginta. Tum Madianitæ

annis septem. Post ea Gedeon annis quadraginta : Abimelech annis tribus, Thola tribus et viginti, Jair duobus et viginti, Ammanitæ octodecim, Jephthe sex, Esbon septem, Æalon decem, Labdon octo, alienigenæ quadraginta, Samson viginti; tum Heli sacerdos, ut Hebraicæ litteræ fidem faciunt, annis quadraginta : cujus tempore captum est Ilium. Post Heli Sacerdotem, populo Samuel imperavit.

Hunc Saul rex omnium primus excepit, regnavitque annis quadraginta. Tum David annis totidem : inde Salomon totidem, qui primus Hierosolymitanum templum exstruxit. Post Salomonem, Roboam annis septemdecim, Abia annis tribus, Asa uno et quadraginta, Josaphath viginti quinque, Joram octo, Ochosias anno duntaxat uno, Gotholias septem, Joas quadraginta, Amasias quadraginta novem, Ozias duos et quinquaginta, cujus tempore Osee, Amos, Esaias, et Jonas prophetarunt. Post Oziam regnavit Joatham annis sedecim, tum Achaz totidem. Quo regnante prima olympias celebrata est, in qua cursu vicit Coræbus Eleus. Post Achaz regnavit Ezechias annis viginti novem : cujus tempore Romulus et Romam condidit, et regnavit. Post Ezechiam Manasses annis quinque et quinquaginta. Deinde Amon annis duobus, Josias uno et triginta, sub quo Hieremias, Baruch, Olda et alii Prophetæ floruerunt. Tum Joachaz, mensibus tribus, Joachim annis undecim, et Sedecias omnium postremus duodecim. Sub eo capta Hierusalem ab Assyriis, templum incensum, universa Judæorum natio Babylonem abducta, ubi Daniel et Ezechiel prophetarunt. Post annos inde septuaginta, Cyrus Persis imperavit, Judæosque servitute liberavit, omnibus, quicumque vellent, in patriam redeundi, Templique instaurandi potestate facta. Cum etiam Jesus Josedeci, et Zorobabel Salathielis filius reverterunt, novique Templi fundamenta posuerunt, quo tempore Aggæus, Zacharias, et Malachias omnium novissimi propheta-

bant, neminem enim post illos Judæi Prophetam habuere.

Jam Cyro regnante Solon, quosque septem sapientes Græci vocant, floruere, quibus sane vetustior apud eos philosophus nemo celebratur. Ex iis Thales Milesius princeps inter Græcos de rebus naturalibus philosophari cœpit, deque solis conversionibus, lunæque cum defectione, tum illustratione, necnon de æquinoctio disputavit. Quare clarissimus in Græcia semper habitus est. Thaletis auditor fuit Anaximander, Praxiadæ filius, genere Milesius ipse quoque. Is omnium primus stylos ad dignoscendas solis, temporum, tempestatum, et æquinoctii conversiones elaboravit. Huic operam dedit Anaximenes item Milesius Euristrati filius, quem audivit Anaxagoras Clazomenius Hegesibuli filius. Is de principiis distincte primus et enucleate disputavit. Neque enim de universi tantum natura, uti priores illi, sed etiam de ipso motus ejus auctore philosophatus est. « Cum enim » res omnes, inquit, confusæ simul permixtæque ab initio » forent, Mens penitus eas permeans, ab illa perturbatione » in ordinem elegantiamque vindicavit. » Anaxagoræ discipuli tres fuere, Pericles, Archelaus, et Euripides. Pericles non Atheniensum modo facile princeps fuit, verum etiam equales suos omnes opibus ac nobilitate superavit. Euripides cum ad poëticam sese contulisset, scenicus a nonnullis philosophus vocatus est. Archelaus denique Lampsaci Anaxagoræ suo in ludo successit. Inde cum Athenas migrasset, easdem ibi docendi partes, munusque sustinuit, et quamplurimos Athenienses discipulos, interque cæteros Socratem habuit. Ejusdem Anaxagoræ tempore, Xenophanes et Pythagoras physici claruere. Ac Pythagoræ quidem Theano uxor, ejusque filii Telauges et Mnesarchus successerunt. Telaugis auditor Empedocles fuit, cujus ætate Heraclitus ille tenebricosus in hominum ore versari cœpit. Xenophani vero Parmenidem, Parmenidi Melissum, Melisso Zenonem

Eleatem successisse ferunt. De quo Zenone illud etiam narratur, cum is conjurationis adversus tyrannum ejus temporis initæ princeps auctorque deprehensus esset, ab eoque uti consilii socios indicaret, torqueretur, tyranni suppliciis tanquam minus ad sese pertinentibus omnino contemptis, præmansam dentibus linguam in eum expuisse, atque ita mediis in cruciatibus constantissimum obiisse. Ejusdem auditor Leucippus fuit, Leucippi Democritus, Democriti Protagoras, cujus ætate Socrates floruit. Ut enim ante Socratem physicos sparsim nonnullos reperias, omnes tamen cum initium ab Thalete ducant, Cyro Persarum rege posteriores fuisse constat. Atqui Cyrum, multis post abductos Babylonem Judæos annis vixisse liquet, cum jam et Prophetæ apud Hebræos esse desiissent, et sacra ipsorum metropolis expugnata fuisset.

Restat igitur, uti et Mose, et recentioribus eo Prophetis, multo juniorem Græcorum philosophiam esse fatearis, Platonisque præsertim, qui, Socratis primum auditor cum fuisset, indeque Pythagoreis operam dedisset, superiores omnes cum eloquentia, tum etiam prudentia, philosophandique genere longo superavit intervallo. Is enim sub extrema regni Persarum tempora floruit, paulo ante Alexandrum Macedonem, ante Augustum vero annis haud multo amplius quadringentis. Si ergo Platonem tibi, quique illum secuti sunt, eadem interdum, quæ Hebræos ipsos, philosophatos esse constiterit, tum vero operæ pretium fuerit, quonam tempore vixerit cogitare, adeoque illam Hebræorum sive Theologorum, sive Prophetarum vetustatem, cum Græcorum omnium philosophorum ætate componere. Sedenim quando semel ista sumus demonstratione perfuncti, tempus utique jam est, uti ad Græcos illos sapientes Hebraicorum dogmatum æmulos proprius intuendos aliquando redeamus: nihil ut deinceps importuni calumnia-

tores, hoc nomine objiciendum nobis atque exprobrandum habeant, quod illa Hebræorum decreta, philosophorum suorum placitis adeo gemina complecti ipsi quoque ac plurimi facere statuerimus.

ANNOTATIONES.

Annot. (1), pag. 175.

Leve satis argumentum, cum et Judæorum et Christianorum templa non semel etiam conflagrarint : nisi addideris (quod libro vi pluribus) Dæmones, fati necessitate victos, incendium ab iis depellere non potuisse.

Annot. (2), pag. 177.

An Diogenianus ille, quem Suidas per ει scribit, et Heracleotem fuisse tradit, insignemque grammaticum? Hujus extant Græcæ Paroemiæ. Medicum ejusdem nominis clarissimum idem Suidas habet, itidem Heracleotem, sed ex Heraclea Cariæ, cum plerique grammaticum illum Heracleæ Ponti natum crederent. Plutarchus, in opusculo de Pythiæ oraculis et libro de Conviviis, alterum, sed Pergamenum, in colloquium adhibet. Theodoretus libro x de Græcorum affectibus, pag. 138, nostri hujus meminit.

Annot. (3), pag. 239.

Non extat accurata illa et subtilis apud Hesiodum τῶν λογικῶν in quatuor genera partitio. Tantum in Operibus a versu 3 diversa illa mundi atque hominum sæcula describit, sic tamen ut primum illud Deorum potius videatur esse quam hominum; secundum et tertium ad subterraneos Dæmones referri possit : quartum Heroas et Semideos complectatur, de quibus ait :

. . . . . δικαιότερὸν καὶ ἄρειον
Ἀνδρῶν ἡρώων θεῖον γένος, οἳ καλέονται
Ἡμίθεοι.

Annot. (4), pag. 271.

Œnomaus ille est, quem infra nominatim appellat, homo acer ac vehemens; qui cum in fraudem ab oraculo quodam inductus esset, oraculorum istorum vanitatem omnium in oculis defigere statuit.

Annot. (5), pag. 354.

Fragmentum hic habes elegantissimi et accuratissimi operis, quod adversus Abidam astrologum, vir Syriaca Græcaque lingua disertissimus elaboravit, ut scribit Epiphanius. Librum inscripserat Antonino, ut Eusebius noster Historiæ libri iv capite ultimo auctor est. Antoninum porro, non Pium, sed Verum intellige, ut monet Epiphanius. Eumdem Hieronymus libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, vir masculæ dictionis, judex acerrimus, non prædicat modo, sed etiam miratur.

Annot. (6), pag. 414.

Eusebius hic ἄντικρυς ἀρειανίζει. Tametsi ejus orationem Trapezuntius ὑποκορίζεσθαι, et adhibito quasi studio mollire videatur. Sed notus satis Eusebius; ac præsertim ante Nicænum Concilium, ante quod hæc ab eo scripta fuisse non dubito.

Annot. (7), pag. 421.

His plane gemina Plato scribit inferius, quibus duplex impietas continetur, in Filium altera, altera in Spiritum sanctum.

INDEX

TOMI DECIMI NONI.

EUSEBII PAMPHILI,

CÆSAREÆ PALESTINÆ EPISCOPI,

PRÆPARATIONIS EVANGELICÆ pars prior decem, a primo libros complectens.

Pag.

LIBER SECUNDUS.

LIBER TERTIUS.

LIBER NONUS.

Pag.

LIBER DECIMUS.